BIU Cujas

BIU Cujas


BIU Cujas

10907

BIU Cujas

CHRISTIANI WOLFII
JUS NATURÆ
METHODO SCIENTIFICA
PERTRACTATUM,

PARS SEPTIMA,

DE

IMPERIO PRIVATO

IN QUA TAM DE IMPERIO AC SOCIETATE IN GENERE,
QUAM DE OFFICIIS
AC JURE IN SOCIETATIBUS
Conjugali, Paterna, Herili atque Domo agitur, seu Jus omne Personarum demonstratur.

ET NUNC PRIMUM CUM

VIRI CL. DE VATTEL
ANIMADVERSIONIBUS,

EDITIO NOVISSIMA EMENDATIOR, ET AUCTIOR.

10907

De l'Ecole de Droit

FRANCOFURTI, ET LIPSIÆ,
MDCCLXVI.

ÆRE SOCIETATIS VENETÆ,
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIIS.

BIU Cujas

BIU Cujas

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi ac Domino Domino

FRIDERICO REGI BORUSSIÆ,

Marggravio Brandeburgenſi, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario & Principi Electori, Supremo Sileſiæ Duci, Principi Supremo Arauſionenſi, Novi Caſtri & Valengiæ, necnon Comitatus Glacenſis, Geldriæ, Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum & Megapolis, necnon Groſnæ Duci, Burggravio Norimbergenſi, Principi Halberſtadii, Mindæ, Camini, Vandalii, Sverini, Raceburgi, Oſtfriſiæ & Murſii, Camiti Hohenzolleræ, Ruppini, Marcæ, Ravensbergi, Hohenſteinii, Teklenburgi, Sverini, Lingæ, Buræ & Leerdami, Domino Ravenſteinii, Roſtochii, Stargardiæ, Lavenburgi, Butoviæ, Arlayæ & Bredæ &c. &c. &c. Regi ac Domino meo longe Clementiſſimo.

REX AUGUSTE.

Cum civitates eo fine inſtitutæ ſint, ut unuſquiſque jus ſuum ſine armis conſequatur & eodem tranquille atque ſecure fruatur; Rectoribus illarum vel maxime curæ eſſe debet, ut judicia religioſiſſime adminiſtrentur & jus promptiſſime reddatur. Et quamvis ea de cauſa ſubinde leges civiles ab immutabili illo jure, quod ipſa natura conſtitutum eſt recedant neceſſe ſit; æquitatis tamen in iis, quantum datur, ubivis habenda ratio eſt. Eadem ſane cauſa me impulit, ut juris tam verum, quam perſonarum, de quo in foro litigari ſolet, ſcientiam non ex duodecim Tabulis, nec ex edictis prætorum, nec ex ſapientum placitis, ſed penitus ex intima philoſophia, quemadmodum jam olim ſuaſit CICERO, hauirem & in ſyſtema veri nominis redigerem, quod nomen Corporis Juris tueri poſſit. MAJESTATI TUÆ, REX SAPIENTISSIME, ea, quæ dico, adeo explorata ſunt, ut de religioſa & prompta adminiſtratione juſtitiæ civibus tuis procuranda ſerio cogites. Nemo eſt qui neſciat, jus ſuum in foris perſequentes diuturna lite morari, & ea diſtentos haud raro eventu dubio majores facere ſumtus, quam quantum eſt commodum, quod ſperare poſſunt, ſi vicerint. Pendet ſententia ſæpiſſime a favore Judicis, qui ideo plus valere dicitur, quam lex in codice, ſæpius a Doctorum inter ſe diſſentientium diſcordantibus opinionibus, ut arbitrium litis in ſortem trajectum

BIU Cujas

non immerito dicatur. Dudum ea de re proſtant graviſſimæ ipſorum Ictorum querelæ, qui ſacerdotes juſtitiæ non tam dici, quam eſſe maluerunt. Nemo tamen hactenus huic malo remedium invenire ac adhibere vel potuit, vel voluit. MAJESTATI igitur TUÆ reſervavit providentia divina, ut TUO acumine in apricum proferres, quod aliorum ſagacitate perveſtigari minime potuit, & exemplo TUO doceres, quomodo ordinanda ſit juſtitia, ut in ea certum ſit civibus præſidium. Quid gloriæ TUÆ magis accedere poterat, quam ut poſt tot exantlatos belli labores Victor ad TUOS, qui TE delicium generis humani impenſe amant, redux rem tam arduam atque difficilem, maxime tamen ſalutarem ſerio ageres, qualis omnino eſt litium inter cives tuos vel amicabilis compoſitio, vel intra ſpatium unius anni deciſio, & juris certi rationi ac conditioni provinciarum conformis conſtitutio. Quoniam igitur hoc ipſo tempore, quo tam ſalutaria moliris, PATER PATRIÆ OPTIME, ad pedes MAJESTATIS TUÆ Tomum ſeptimum Juris naturæ, qui Jus perſonarum complectitur, & Juri privatorum coronidem imponit, venerabunda mente depono; nullus dubito fore, ut eundem eodem vultu reſpicias, quo præcedentes reſpicere dignatus es, hoc eſt, benigno. Deus TE ſervet, REX AUGUSTE, in Neſtoreos annos, ut omnia feliciter perficias, quæ in ſalutem civium tuorum animo meditaris! Ita vovet

AUGUSTÆ MAJESTATI TUÆ

Subjectiſſimus, ac fideliſſimus
CHRISTIANUS DE WOLFF.

PRÆ-

BIU Cujas

PRÆFATIO.



IN ſeptimo hoc Tomo Juris naturæ, qui jam in lucem prodit, de Jure perſonarum, quod vulgo dicitur, agimus. Jus hoc conſiſtit in facultate determinandi actiones alterius & proprie Imperium dicitur, idque privatum, quatenus privatis in actiones privatorum competit. Oritur autem ex ſocietatibus, quas vel ipſa natura inſtituit, veluti quodam quaſi pacto, vel ſua voluntate homines inter ſe contrahunt. Eſt itaque jus quoddam acquiſitum, dependens a jure connato. Naturaliter nimirum homines omnes liberi ſunt, ac nemini jus quoddam perfectum competit in actiones alterius, quippe in quibus unuſquiſque dependet a ſua, non ab alterius voluntate. Quamvis enim naturaliter homini competat jus ſeſe ac ſua defendendi adverſus aggreſſores atque raptorem, ac puniendi ſecuritatis ſuæ, quæ in numerum jurium connatorum recte refertur, violatorem; utrique tamen locus non eſt niſi ex maleficio alterius, ut ideo niſi facto quodam alterius interveniente nobis competat & quaſi

mo-

BIU Cujas

momentaneum sit. Hic vero agitur de iure quodam manente, quo actiones vel omnes, vel certæ sive perpetuo, sive saltem ad certum tempus potestati nostræ subjiciuntur. Et istiusmodi jus in actiones alterius nemo acquirere valet, nisi vel expressa, vel præsumta alterius voluntate. Pertinet huc primo jus conjugale, quo utuntur inter se conjuges, & quod oritur ex pacto, quo matrimonium contrahunt. Deinde huc referendum jus parentum in liberos, quod patriæ potestatis nomine vulgo venit; utrique tamen parenti naturaliter commune est, & ex quasi pacto descendit, quo societas paterna initur. Porro hic locum habet jus domini in servum, & heri in famulum, quod ex pacto derivatur, quo quis vel in servitutem perfectam redigitur, vel societas herilis contrahitur. Et ex his consociationibus, seu societatibus simplicibus componitur domus, unde jus patris & matris familias in domesticos ortum suum habet. Ea igitur de caussa in septimo hoc tomo agitur de societate conjugali, paterna & herili atque domo, & qualia in iisdem sint jura particularia, quales obligationes, methodo nostra ex principiis Juris naturalis demonstratur. Quoniam vero non modo hisce societatibus, verum etiam aliis tam simplicibus, quam compositis insunt principia generalia; ideo tractationi speciali præmisimus generalem de societate in genere ac hinc orto imperio, quoniam specialia ex generalibus demonstranda. Enimvero ex matrimonio & societate paterna oriuntur cognationes atque affinitates. Quamobrem nostrum quoque erat de hisce demonstrare, quæ naturæ ac rationi conveniunt. Et quia jus hæreditarium demonstrari nequit, nisi antea jura liberorum atque parentum, itemque cognatorum fuerint perspecta; de eo quoque hic demum agere datum fuit, quamvis jus istud ad Jura rerum spectet. Atque ita tandem absolvimus omne Jus privatum tam rerum, quam personarum, & confidimus fore, ut iis intellectis in quovis casu pateat, quid rationi consentaneum sit. Etsi enim fieri minime potuerit, neque etiam consultum esset, ut omnes casus particulares, qui obtingere possunt, expenderemus; si quis tamen ea, quæ a nobis tradita sunt, animo comprehenderit & methodum, qua in demonstrando usi sumus, in potestatem suam redegerit; ei haud quaquam difficile erit eadem methodo demonstrare, quid in quolibet casu a nobis præterito legi naturæ conveniat, quid ab eodem abhorreat. Immo ubi in sequentibus theoriam generalem legum civilium ex naturalibus efficiendarum dederimus; non modo evidenter perspicere licebit, quantum

BIU Cujas

tum illæ cum his consentiant, & quantum ab iisdem recedant, verum etiam utrum rite fuerint factæ, an manu emendatrice adhuc indigeant. Non diffiteor, si opus nostrum de Jure Naturæ cum aliorum de eodem scriptis conferas, illud nimis amplum atque diffusum videri. Quodsi tamen perpendere velis, nos omnia ad rationis normam exegisse, quæ in Jure civili de Jure rerum ac personarum traduntur, nec ea saltem recensuisse, sed sufficienter demonstrasse, &, ne quicquam obscuritatis remaneret, aut animus alicubi adhuc fluctuaret, singulis ubivis plenam lucem affudisse, prolixitatem nimiam minime accusabis. Si breviores esse voluissemus, propositiones quasdam omittendo, demonstrationes contrahendo, notas prætermittendo, vel abbreviando; officio nostro non satisfeciissemus, nec finem a nobis propositum consecuti fuissemus. Quodsi enim propositiones quasdam omisissemus, aut subinde defuissent principia, ex quibus aliæ demonstrandæ erant, aut quidam sibi persuadere potuissent, quasi easdem ad jus positivum, seu mere civile rejiceremus, saltem non omnibus evidenter patuisset, quomodo ex principiis Juris naturæ sint demonstrandæ, aut eidem convenienter enunciandæ. Si demonstrationes contrahere libuisset, non cujusvis fuisset supplere ea, quæ prætermissa fuissent, & valde vereor, ne defeciisset evidentia, sine qua assensus firmus atque immotus nonnisi difficulter obtinetur. Quodsi denique notas non adeo liberali manu tradidissemus, multa omittenda fuissent, quæ ad Jura penitus comprehendenda & mere civilium a naturalibus differentiam intime perspiciendam faciunt, multisque dubiis passim locus fuisset relinquendus. Optarunt nonnulli, ut quis singulis definitionibus ac propositionibus adjicerem leges ex Corpore Juris civilis, vel etiam canonici, aut, ubi tales non extant, loca quædam Interpretum illius Juris, seu Doctorum; sed iidem agnoverunt, hoc mihi fore nimis molestum, nec me huic labori vacare posse, nisi opus ipsum morari velim. Quamobrem aliis laborem lubens relinquo: neque enim is sum, qui sibi, vel aliis persuadere velit, quasi præter me non sit alius, qui aliis utilia præstare possit. Evolvantur modo, quæ in Tomo anteriore de officiis ac Jure eruditorum a me demonstrata sunt, nec ullus dubito fore, ut omnes una confiteantur, nemini magis quam mihi in votis esse, ut conjunctis studiis scientiæ promoveantur. Doleo sæpius plures esse, qui actum agere malunt, quam qui multo utilius operam suam collocare poterant in iis, quæ nondum acta sunt. Jure privatorum absso-

ſoluto, reſtat Jus publicum univerſale, quod & Jus civitatis dicitur, nobis quoque Imperii publici nomine venit. Id ipſum in ſequentibus ex principiis Juris naturæ eadem methodo deducemus, qua hactenus in Jure privato enucleando uſi ſumus. Atque ita apparebit, id ipſum quoque ad Jus naturæ pertinere, ac partem Syſtematis eſſe, quod de eodem condere inſtituimus. Halæ d. 29. Martii An. 1747.



BIU Cujas

QUÆSTIONES DE JURE NATURALI

CUM ANIMADVERSIONIBUS IN OPUS

CL. WOLFII

D JURE NATURÆ

AUCTORE

DOM. DE WATTEL

Ex Gallico in Latinum converſæ.

BIU Cujas

BIU Cujas



CL. DE WATTEL
QUÆSTIONES
DE JURE NATURALI
ET ANIMADVERSIONES
IN CL. WOLFII
PARTEM SEPTIMAM.

§. 88. *Si vota numerantur, conjungi nequeunt, niſi quæ prorſus eadem ſunt.*

IN hac doctrina de ratione numerandi ſuffragia Wolfii ſententiæ accedere nequeo; & Grotii ſententiam prorſus amplector, qui præcipit ſuffragia conjungenda in eo, quod habent commune. Quæ Wolfius affert, valde ſubtilia, & ab Ontologia ipſa petita, me minime movent. Ea ſunt per ſe vera, & utilia in rebus ita determinatis, ut earum relationes omnes ac differentiæ conſtanter ſtatui poſſint, at deficiunt ſtatim, ac ad hominum communes opiniones & ſenſus referuntur: homines enim, dum agunt & judicant, plerumque fluctuant in incerto & obſcuro, ac neſcio quid commune ſpectant, ex quo invicem admoveri, & tanquam in eadem claſſe cenſeri poſſunt. Ex. c. ex judicum collegio quatuor reum damnant ad mortem; duo ad exilium, duo ad multam mille numorum, duo ad centum; tres denique abſolvunt. Ut recte judicari poſſit de hac diviſione ſuffragiorum, videndum quid commune contineant, quid oppoſitum. 1. reus non eſt morte puniendus, quia quatuor tantum illum morti damnant; novem autem vitam ſervant. 2. neque abſolvi poteſt, tres enim tantum judices abſolvunt. 3. decem judices conveniunt in pœna infligenda, nec

De ratione numerandi ſuffragia.

BIU Cujas

differunt nisi gradu . 4. ergo , cum certum sit pœnas mitiores in gravioribus contineri , sex priores judices , quorum quatuor pœna mortis , duo exilii damnant , nequeunt queri multam mille numorum esse nimis gravem , illam enim contra putant nimis levem ; efficitur ergo , eos cum graviorem pœnam infligere nequeant , mitiorem hanc probare : nihil enim rectius consequi possunt . Ergo octo suffragia conveniunt in multa mille numorum ; quæ cum plura sint quam reliqua , vincere debent.

Ecce aliud exemplum . *Cajus* & *Sempronius* de prædio litigant . Ex duodecim judicibus quinque prædium adjudicant *Cajo* , cum expensis ; quatuor adjudicant *Sempronio* , item cum expensis ; tres denique eidem *Sempronio* , sine expensis. Juxta auctoris sententiam res adjudicata esset *Cajo*. Tamen septem judices , quoad rem ipsam illum damnant . Quodlibet tribunal mecum pronunciaret , *Sempronio* tradendum esse prædium sine expensis ; nam pluralitas illi prædium adjudicat , neque adjudicat expensas.

Quoties autem suffragia duo , vel plura capita complectuntur , ac dividi possunt , veluti in exemplo hoc litis , ubi primum quæritur de fundo , postea de expensis ; imitanda praxis maxime laudabilis senatus Romani , qui consueverat *dividere sententiam* . Capita quæstionis dividantur , ac de singulis suffragia ferantur.

§. 95. *Si vota majora haberi nequeunt , sequendum erit id , quod paucioribus displicet , seu cui pauciſſima vota adversantur.*

De eodem argumento. Hæc regula recta est , quoties inter plures partes deliberatur , quæ nihil habent commune , nec spectari possunt tanquam conjunctæ ; ex. c. in electionibus , ubi plures candidati petunt . Sint suffragia duodecim : ex iis . A referat quinque , B quatuor , C tria . Proculdubio A est electus . In aliis autem casibus , ut in accusatione , secus statuendum est. Ex. c. in exemplo allato ubi tresdecim judices sententiam ferunt , quatuor autem tantum mortem decernunt , ubi nam gentium reus morte afficeretur ? Pluralitas suffragiorum manifeste repugnat ; novem enim reo vitam reservant . Arbitror igitur , in hujusmodi exemplis gradus minores in majoribus contineri ; ideoque gradus superiores ad proximos redigendos , dum numerus suffragiorum major evadat : hujus autem numeri majoris sententiam exequendam . In allato exemplo

Suffragia ad mortem sunt	4
ad exilium	2
ad multam mille num.	2
ad multam centum num.	2
pro absolutione	3

Jam vero tres primæ classes 4 , 2 , 2 efficiunt 8 ; & numero vincunt . Ergo reus multa mille numorum damnatus erit . Fingo autem hanc pœnam ipsi mitiorem esse , quam exilium.

Animadvertatur , sententiam meam confirmari ex eo , quod auctor ipse pronuntiat , *sequendum id , quod paucioribus displicet* : neque enim dici potest , sententias mitiores displicere iis , qui graviores urgent eodem modo , quo graviores improbantur ab iis qui mitiora sentiunt . Reus qui gravius supplicium mereri posset , meretur pro-

cul

BIU Cujas

culdubio minus ; ſed qui minus meretur , non ita meretur gravius . Judices, qui reum dignum patibulo aut exilio judicant , cenſeri poſſunt conſentire in multam, pœna graviore locum non habente . Sed non licet fingere conſenſum ullius judicis in pœnam graviorem quam ipſe pronuntiet ; nam juxta ipſum eſſet injuſta.

Ceterum ſunt pœnæ , quæ comparari nequeunt ; pœna mortis cum pœna exilii, aut multæ comparari nequit . Ergo jure , collective ſumuntur ſuffragia omnia quæ mortem remittunt, ut opponantur iis quæ mortem decernunt. Si ex duodecim judicibus quinque decernunt mortem , ſeptem vero ceteri ſcinduntur in varias pœnas mitiores , exilii , multæ &c. judicatum jam eſt majori numero ſuffragiorum reum non eſſe morte tollendum.

In altero exemplo allato ſeptem judices *Caji* cauſam injuſtam judicant quoad fundum ; diſcrepant tantum de expenſis : quinque autem tantum pro *Cajo* ſtant . Nonne patet , fundum Cajo ablatum?

§. 113. *Concluſum mutari nequit niſi unanimi ſuffragantium conſenſu , & ubi per hoc jam tertio cuidam jus quæſitum fuerit , nec conſenſu iſto mutari poteſt.*

Prima pars hujus ſententiæ repugnat praxi omnium Rerumpublicarum, quæ decreta ſua ſæpe reſcindunt, quin omnium ſuffragiorum unanimis conſenſus requiratur . Neque ſententiam ſuam Auctor demonſtrat, imo prorſus contrarium pervinci poteſt . In comitiis enim alicujus Reipublicæ ſuffragiorum pluralitas ſemper habetur pro mente & ſententia publica , niſi quid lex aliter caveat . Si ergo Reſpublica decretum aliquod mutandum cenſet, nemo jus habet obſtandi : nemo enim in hujuſmodi deliberationibus habet aliud jus aut actionem , ultra jus & actionem Reipublicæ . Diſplicet tibi mutatio decreti, quod propugnabas : at intereſt ne tui pluris quam Reipublicæ? minime inquis ; recte ; at plurium judicia hanc mutationem utilem Reipublicæ cenſent . Ergo ſententiam tuam præferri vis majori civium numero. Perpende, jus ſuffragii tibi tribuere tantum facultatem enuntiandi quod ſentias , ac ſententiam tuam eſſe unam e multis. *An quod concluſum mutari poſſit.*

Secus eſt, cum decretum jus tertio tribuit: tunc non licet recedere; hoc enim decretum ex legibus tertio tribuit jus acquiſitum, quod auferri non licet.

§. 164. *Quoniam ad ſocietatem ea applicanda , quæ de officiis erga ſeipſum præcipiuntur lege naturali quatenus finis illius admittit , homo autem obligatur ad corpus ſuum conſervandum* , quælibet etiam ſocietas obligatur ad ſe conſervandam.

Ratio , qua propoſitio hæc colligitur ex præcedentibus, mihi ſophiſtica videtur . Ratio enim , ex qua homo tenetur ad ſui corporis conſervationem,

BIU Cujas

nem, in ſocietates omnes non cadit; ipſa vero Propoſitio vera eſſe non videtur, niſi in ſocietatibus quarum conſervatio neceſſaria eſt ad felicitatem & conſervationem ſociorum, cujuſmodi eſt ſocietas civilis. Societas mercaturæ cauſa contracta ad tempus indefinitum ſolvi poteſt cum membris ejus libet. Ipſius civilis ſocietatis conſervationem tueri eatenus tenemur, quatenus nobis prodeſt & convenit, & quamdiu in ipſa moramur. Licet enim civibus & communi conſenſu illam ſolvere, cum libet, vel diſceſſione facta, vel adhæſione ad aliam ſocietatem.

§. 202. *Quoniam natura nemo imperium in alterum habet, ſubjectus vero alteri eſt is, in quem alter imperium habet; natura nemo alteri ſubjectus eſt.*

De imperio & ſubjectione.

Miror Auctorem noſtrum non ſenſiſſe vitium ratiocinii ſui. Monuerat (not. §. 200.) *poteſtatem latiorem habere ſignificatum quam imperium*, & ſubjectum definierat: (§. 201.) *alteri ſubjectus dicitur, in quem ipſi poteſtas competit*. Cum ergo vocabulum *poteſtatis* latiorem habeat ſignificatum, quam *imperii*, eſſe poſſet in alium poteſtas ſine imperio; & cum ſubjectus ſit, in quem poteſtas eſt, aliquis ſubjectus eſſe poteſt alteri, quin hic imperium habeat in ipſum. In majore *ſubjectus alteri eſt is, in quem alter imperium habet*, vox *ſubjectus* ſumitur in ſenſu peculiari; in concluſione autem in ſenſu generali. Hæc propoſitio major ſignificat tantum, eum, in quem quis imperium habet, eſſe ſubjectum; minime autem nullos alios exiſtere ſubjectos præter eos, in quos imperium eſt. Wolfii concluſio ſimilis eſt huic: nullus eſt Rex in Helvetia; qui ſub imperio Regis vivunt, ſubjecti ſunt; ergo in Helvetia ſubjecti nulli ſunt.

§. 203. *Similiter quia nemo ſibi in invitum imperium arrogare poteſt, nec imperium in aliquem acquiri niſi conſenſu ipſius vel expreſſo vel tacito vel præſumpto, ſubjectus vero alteri eſt is in quem ille imperium habet;* nemo *quoque* alteri invitus *ſubjici poteſt*, ſed ad ſubjectionem requiritur conſenſus ipſius ſive expreſſus, ſive tacitus, ſive præſumptus.

Continuatio ejuſdem argumenti.

Idem vitium perſtat in hoc paragrapho, & ſequentibus; adeo ut, niſi in propoſitione error adſit, *imperium* & *poteſtas* pro uno eodemque vocabulo accipi debeant contra monitum Auctoris (*not.* §. 200.) aut ſubjecti definitio circumſcribi debeat ita: *ſubjectus eſt is, in quem alter imperium* (non vero *poteſtatem*) *habet*. In lingua Gallica ambiguum vitari poteſt referendo *ſubmiſſum* ad poteſtatem, *ſubjectum* ad imperium: at ſi quis dicat, *poteſtas latiorem habet ſignificatum, quam imperium; & ſubjectus eſt is, in quem alteri poteſtas competit*; ut probet, neminem ſubjectum

BIU Cujas

ctum evadere posse sine ipsius consensu, non satis est dicere, *nemo sibi in invitum* imperium *arrogare potest*, sed dicendum; *nemo sibi in invitum potestatem arrogare potest*, idque probandum.

Denique hi tres loci: *alteri subjectus dicitur in quem ipsi potestas competit* (§. 134. p. 1. Jur. nat.). *Potestas latiorem habet significatum quam imperium* (not. §. 200.). *Imperium & subjectio correlata sunt: quorum unum sine altero non intelligitur: ubi ergo nullum datur imperium, ibi nec locum habet subjectio* (not. §. 202.). Hi tres loci, inquam, consistere nequeunt, sibique manifeste repugnant. Juxta primum enim *potestas* & *subjectio* correlata sunt: juxta secundum *imperium* nequit substitui *potestati*, cujus significatio latior; *quamquam enim imperium potestas sit, non tamen eidem coæquatur*, quemadmodum ipse Auctor monet (*not.* §. 200.).

§. 239. *Lex naturæ vult, ut homines sobolem procreent, nec concubitum appetant, nisi sobolis procreandæ gratia.*

Propositionis hujus pars secunda statuit, lege naturæ non licere appetere concubitum nisi sobolis procreandæ gratia. Hæc sententia singularis ac mira videbitur quibusdam, ac multorum conscientiam turbare posset; non ergo inutile erit illam discutere. Ajo itaque hanc propositionem relatam ad commercium stabile & conjunctionem permanentem viri cum aliqua muliere, ut plurimum veram esse posse. At si referatur ad actus peculiares hujusce commercii defendi nequit. Auctor urget principium suum, nempe actiones naturales hic tendere ad speciei propagationem; cumque actiones liberæ dirigendæ sint secundum easdem causas finales quæ determinant actiones naturales, concludit, solam propagationem hic spectari posse. Verum hæc est petitio principii; sumit enim gratis, finem unicum naturæ in mutuo appetitu utriusque sexus, ejusque effectu, esse sobolis propagationem. Si res ita se haberet, mulier nullum hujusmodi appetitum sentiret, ex quo prægnans esset, neque in viro excitaretur, prout accidit brutis animantibus. Propagatio procul dubio est præcipuus naturæ scopus in cunctis animantibus; sed in homine alios fines addere posset. Cur enim sibi proponere non potuit, ut viro atque mulieri pararet innocuam voluptatem, prout in aliis agit?

An voluptas concubitus lege naturæ vetita sine fine sobolis procreandæ.

Præterea nonne voluptas hæc valide confert ad conjunctionem, & amicitiam mutuam alendam atque augendam inter virum & uxorem, quæ conjunctio necessaria est ad prolis educationem? Quis dubitet, naturam eos incitare ad voluptatem ut hujusmodi sensa inter eos conservet?

Rursus cur natura virum & fœminam ita construxit, ut sibi non solum invicem amoris argumenta sæpius, quam propagatio requirat tribuere possint, sed etiam hæc necessaria evadant ad valetudinis conservationem.

Ecce novum argumentum contra Wolfium, & novum finem, quo purgatur voluptas quam ipse damnat. Plures mulieres, atque omnes viri valentes hoc testari possent.

Denique Auctor ipse alibi docet *voluptatem innocuam* licere, & jus esse homini illa fruendi, imo jubet, ut fruatur. Quoties ergo voluptas, de

qua

BIU Cujas

qua hic est quæstio moderate sumitur, neque obest fini præcipuo propagationis, imo ad ipsam confert, & ad valetudinem simul, nec ullum denique damnum creat, nonne habet omnes partes innocuæ, ideoque licitæ voluptatis?

Secus oporteret, virum separari ab uxore statim ac prægnans esset. At præterquam quod hujusmodi commercium, ut modo ajebam, confert ad eorum animos nectendos, abstinentia tam longa plerumque eorum valetudini obesset, neque servari posset a robustis & calidis personis. Quidam contendunt, ut D. Smith in suo itinere ad Guineam, commercium hoc cum muliere prægnante fœtui nocere. Tunc sane abstinendum esset; sed viro sano ac robusto uxores plures tunc evaderent necessariæ.

Auctoris vestigiis insistendo probari posset, deambulatione voluptatis tantum causa non licere. Cum enim natura pedes nobis tribuerit, ut iremus quo negotia nostra postulant, non debemus alia de causa uti. Quisque respondebit, cum voluptas quælibet innocua liceat, hominem posse deambulare, quotiescunque vacat, præcipue si deambulatio prosit ejus valetudini.

Quare concludamus, propagationem sobolis esse præcipuum finem conjugii, nunquam licere abuti concubitu contra hunc finem, sive declinando, sive impotentiam aliquam acquirendo. Hæc sunt meo judicio, quæ simplex naturæ lex in se spectata in hoc præscribit quodque castitatis nomen meretur.

§. 264. *Deus vult ut genus humanum propagetur.*

Deum velle generis humani propagationem.

Auctor probat hoc ex eo, quod Deus mundum creando sibi proposuit manifestationem summæ suæ perfectionis. Plurima hic animadverti possent, sed ea aptius cadunt in Theologiam naturalem. Hoc unum hic animadvertam, aptiorem demonstrationem tradi posse ex præcedentibus petitam. Demonstratum enim est, naturam tendere ad propagationem generis humani, Deus autem est Auctor naturæ; ergo Deus vult propagationem generis humani.

In adnot. hæc ratio *a posteriori* indicatur; si quis aliam quærat *a priori*, eam mallem peti a Bonitate Dei, quam a proposito manifestandi summam perfectionem suam. Convenire enim videtur Deum in universo creando sibi proposuisse non hoc solum ut perfectionem infinitam proderet, sed potius ut naturas crearet felicitatis capaces, dum ipsi adhærerent.

§. 286. *Communio uxorum naturaliter illicita est.*

De communione uxorum.

Auctor hoc probat ex eo, quod, uxore communi, pater incertus, educationem prolis negligeret. An non autem occurri posset huic incommodo per leges quibus omnes nati publica cura educarentur? Certe pueri ita educati melius ad virtutes civiles formarentur, quam communiter fiat per parentes ignaros, aut cæco amore victos, aut opibus carentes ad rectam educationem filiorum necessariis. Ergo hæc sola ratio Auctoris non sufficit generatim ad communionem uxorum proscribendam. Potiores suppeditabunt licentia & corruptela, quam hujusmodi communio induceret, præterea pigritia atque inertia qua cives langueſcerent, si nati communes essent,

BIU Cujas

sent, ignoti proinde omnibus, & publico relicti. Hujusmodi constitutio vix locum habere posset in parva Republica.

§. 293. *Monogynia generi humano propagando abunde sufficit.*

Dogma hoc valere potest pro majori parte Europæ nostræ, ac præsenti ejusdem statu; sed generatim minus est vera. Utile enim esset homines magis multiplicari in pluribus Americæ Coloniis. Quare cum principium hoc generale vacillet, ne propositiones quidem duæ proximæ, quæ ab eo pendent, generatim veræ sunt, nec sumi possunt, ut partes legis naturalis. *An Monogynia sufficiat ad propagationem generis humani.*

§. 295. *Polygynia lege naturæ permissa non est.*

Posset quis objicere, Polygamiam permitti posse alias ob causas etiam si minus necessaria foret ad speciei multiplicationem: sunt enim homines ita ferventes, ut abstinere nequeant a mulieribus toto tempore quo uxor fætum in utero gerit, quin valetudinis incommodum patiantur. Auctor autem damnat actum conjugalem extra finem propagationis. Nonne igitur, inquient, hujusmodi vir plures uxores ducere potest, præcipue si opes habeat ad plures filios alendos? *An Polygynia lege naturæ permissa.*

§. 296. *Si quis cum pluribus fœminis matrimonium simul contrahit solius voluptatis percipiendæ causa, aut liberis, quos ex pluribus uxoribus tollit, educandis, prout educari debent, non sufficit; polygynia lege naturali prohibita est.*

Ratio qua Auctor propositionem hanc enunciat, satis indicat, ipsum dubitasse an præcedentes generatim essent veræ. Dum enim ait; legem naturalem vetare, ne quis uxores plures ducat solius voluptatis percipiendæ causa, aut si pluribus filiis educandis non sufficiat; significat, idem non esse interdictum ei, qui aliter esset constitutus. Quod tandem indicat, legem naturalem permittere Polygamiam, quotiescumque vir graves rationes in eo sequitur, & educandis liberis ex pluribus uxoribus susceptis sufficit. *De eodem argumento*

§. 297. *Monogamia primis naturæ convenit.*

Prima naturæ sunt, quæ animalia sectantur & quærunt naturæ vi. Animadvertit autem Wolfius, quotiescumque maris & fœminæ cura requiritur ad educationem prolis, marem unum fœminæ uni adhærere; unde concludit, Monogamiam *primis naturæ* convenire. De hac observatione ipsa dubitari posset; verum transeat. Ejus certe ad hominem applicatio generatim *Continuatio ejusdem argumenti.*

BIU Cujas

tim vera non eſt. Sunt quædam animalia, quæ inſtinctu naturali una unis adhærent, quia parentis & matris cura conjuncta ad prolem educandam neceſſaria. Ergo hic inſtinctus, quem Wolfius ponit inter *prima naturæ* variat, pro varia animantium natura. Si quis ergo inter homines ita conſtitutus eſt ut conſulere poſſit natorum plurium educationi, plurium matrium ope adjutus, hoc ipſo eſt in numero eorum animalium, quæ plures fœminas ſequuntur; ac polygamia in ipſo conveniet primis naturæ.

Rationes contra Polygamiam.

§. 299. & 300. Hoc loco Auctor validiora argumenta affert contra Polygamiam. Addi poteſt, uxorum pluralitatem eo plura incommoda parere, quo magis homines ab innocentia & ſimplicitate vitæ recedunt. Antiquis temporibus, quibus liberorum numerus familiæ vires & divitias conſtituebant; quibus educatio conveniens temporibus & circumſtantiis facilis erat; quibus denique patrem familiæ uxores tanquam dominum verebantur; *Polygamia* non ſolum carebat incommodis quibus hac ætate eſſet obnoxia, ſed fortaſſe magis conveniebat, quam *Monogamia*.

§. 301. *Impoſſibile eſt, ut ſinguli mares ducant uxores duas.*

Ratio ſumpta ex pari numero puerorum & puellarum.

Ratio eſt, quia pueri ac puellæ fere pari numero naſcuntur. Id generatim verum; tamen concluſio non ita certa. Viri plurimi bello, navigatione, itineribus aut pereunt, aut a matrimonio prohibentur, ita, ut quibuſdam in regionibus plures virgines innuptæ, ideoque inutiles ad propagationem maneant, quia maritum non inveniunt. Si jam mariti has in uxores ſecundas ſumerent, incommodum ceſſaret, populus autem multiplicaretur. Quod dictum volo, ſalvis rationibus graviſſimis, quæ contra Polygamiam afferri poſſunt.

At hæc mea animadverſio conſequentiam Auctoris §. ſequenti tollit, *Polygamiam* repugnare juri naturali, & *Monogamiam* ſolam convenire.

§. 305. *Si matrimonium contrahitur, mas fœminæ & fœmina mari promittit, quod corporis ſui uſum generationis cauſa concedere velint ſibi invicem & quidem ſolis, & quod ambo ad educationem prolis conferre velint, quod poſſunt.*

An matrimonium contineat promiſſionem reciprocam fidelitatis.

Demonſtratio minime pervincit, matrimonium per ſe & natura, ex parte viri continere promiſſionem factam uxori non habendi rem cum alia. Probat quidem Auctor, virum uxori ſuæ uni adhærere debere; ſed ob rationes extrinſecas contractui cum uxore inito, qui per ſe non jubet, niſi ut vir per commercium cum aliis fœminis non ſe reddat impotentem & ineptum ad filios procreandos cum uxore. Juxta Auctoris principia, uxor, poſtquam concepit, nihil a viro exigere poteſt, niſi dum iterum concipere poſſit; ita ut, per totum hoc intervallum vir cum aliis commercium habens nequaquam pactum matrimonii frangat, modo ne ſe reddat impotentem ad generationem.

Aliunde ergo quærendæ rationes ſunt

BIU Cujas

ſunt ad ſtatuendam fidelitatem mariti erga uxorem; ratio autem validiſſima eſt amor, quem uxori promiſit, qui minui, aut etiam extingui poſſet in commercio cum fœminis aliis: quod ſi detur, etiam legitimum finem, veluti ſecundi ordinis amoris & commercii conjugalis, eſſe voluptatem innocentem & ſæpe valetudini neceſſariam; hinc pluribus maritis interdici poterit uſus plurium fœminarum, neque enim aliter uxor quod ipſa ſibi propoſuit ia matrimonio, conſequi poſſet.

Auctori accederem, ſi diceret majoris boni cauſa promiſſionem hanc matrimonio addendam; neque ego quidquam aliud contendo, niſi hoc; matrimonium natura ſua nequaquam hanc promiſſionem continere, ſaltem ex parte viri, atque ex Wolfii principiis. Ex parte autem uxoris matrimonium neceſſario continet hanc promiſſionem, quia cum aliis viris ſeſe commiſcens, quo tempore gravida eſſet, viro ſuo filios edere non poſſet; præterea vir filios non ſuos nequaquam educaret.

At pacta, inquit Wolfius, non ſunt licita & valida niſi quatenus Legi naturali conveniunt; lex autem hæc improbat multiplex conjugium, ergo pactum hoc, etiam ex parte mariti, commercium cum qualibet alia fœmina excludit. At antea oſtendi polygamiam lege naturæ ſpectata abſolute non eſſe vetitam, nec prorſus Auctor ipſe diſſentit in adnot. §. 296. Vide etiam §. 300. ubi Wolfius ſtatuit, polygamiam legi naturæ non repugnaturam, ſi homines affectuum ſuorum eſſent domini.

§. 330. *Zelotypia inter prima naturæ referenda, & juri naturæ convenit.*

Mirum ſane, zelotypiam conjugalem inter *prima naturæ* numerari, eamque tanquam officium quoddam præcipi, ut enim hujuſmodi eſſet, in animantibus omnibus, aut certe pluribus, exiſtere deberet; neque enim talis eſt in quibuſdam. Anquia animalia quædam aliis prædam rapiunt, etiam propria relicta; rapinæ libido ponetur inter *prima naturæ*, & juri naturali conſentanea ſtatuetur? *Prima naturæ* ita fluere debent ex animantium natura, ut deprehendantur in omnibus in eodem ſtatu rerum, ſi quid non obſtet. Zelotypia inter virum & uxorem videtur proficiſci potius ex ideis factitiis, ex præjuditiis, ex philavtia, ex affectibus variis. Gallorum exemplum non ſufficit ut originem naturæ in hoc affectu ſtatuamus; ſecus enim dici poſſet, naturam inter omnes mares ejuſdem ſpeciei odium ac bellum mutuum inſeviſſe, & odium hoc eſſe inter prima naturæ; neque enim gallus alium gallum ferre poteſt, etiam ſi gallinas ſuas non tangat. *De zelotypia.*

Animadverti poteſt etiam, hanc zelotypiam animalium non definiri ad fœminam, quam diligunt; neque enim ullus mas æquo animo fert marem alium ejuſdem ſpeciei cum qualibet alia fœmina commiſceri, an ergo hujuſmodi livor univerſalis inter prima naturæ, inter hominis officia, collocandus?

BIU Cujas

§. 333. *Concubitus cum Pellice adulterium est.*

An concubitus cum pellice adulterium.

Placitum hoc repugnat tum definitioni adulterii (§. 318.) tum propos. 319. ubi Auctor ait: *uxorum communicatio, & commodatio adulterium non est*. Quod confirmat definitione adulterii, ex qua commercium cum conjuge alterius non est adulterium, nisi fiat insscio & invito altero conjuge. Qui ergo affirmare potest Auctor, inter populos, ubi concubinæ permittuntur, commercium viri cum iis esse adulterium, cum hoc uxore sciente & volente fiat? Ratio allata in adnot. §. 333. ex qua probat promissionem abstinendi a qualibet alia fœmina, natura ipsa contineri in pacto matrimoniis, neque legi naturali licere viro sibi libertatem reservare coeundi cum aliis; hæc, inquam, ratio valet etiam si vir uxorem suam alteri commodet; præterea sumitur, polygamiam lege naturali interdictam esse, quod nondum probatum, ac vix probari potest. Vide Animadversionem meam ad §. 305.

§. 354. *Fœminæ quæ vi comprimitur, competit jus pudicitiæ defendendæ; & hoc jus infinitum est.*

Fœminæ jus in raptorem.

Optime probat hoc Auctor. Tantum nescio quid animadvertam in adnotationem: *vulgo hæc redditur ratio, pudicitiam vitæ adæquari communi æstimatione, sed non ostenditur æstimationem hanc recte fieri*. Minime necessarium videtur homines ita æstimantes recte æstimare; satis est, hanc opinionem obtinere inter homines, ut fœminæ pudicitia quæ dicitur ejus honor, ipsi vitæ instar cara sit. Recte ne, an secus, ita sentiant homines; honor fœminæ omnino necessarius est, ut felix ac tranquilla vivere possit. Reapse, verus honor fœminæ, vera ejus pudicitia, in animi puritate consistit, qua commercium omne vitat officiis & legibus receptis contrarium; figmentum etiam, si libet, habeatur ignominia raptoris, ipsa fœmina invita; at hæc fictio obtinet, & vim habet inter homines generatim; sine honore fœmina misera vivit: hinc ergo bonum hoc ipsi necessarium, ac pretiosissimum quod tam defendere potest quam vitam ipsam.

§. 481. *Quoties statuendum, quid sobolis procreandæ ac educandæ, & vitæ consuetudinis causa fieri debeat: id utriusque conjugis consensu determinandum; & si casus quidam emergit, qui ad societatem conjugalem spectat, utrique conjugi de eo, quod fieri debet, voluntatem suam declarandi jus est.*

Vide etiam §. §. seqq.

BIU Cujas

§. 488. *Naturaliter non minus uxor imperium habet in maritum, quam maritus in uxorem quoad eas actiones, quæ ad ſobolis procreationem & educationem, ad vitæ conſuetudinem, & ad onera matrimonii ferenda pertinent.*

Cui ſpectet auctoritas in matrimonio.

Wolfius hic compenſationem quandam adhibet uxoribus, quas ſuperioribus ſententiis male multaverat. Statuit jure naturali æqualitatem perfectam inter virum & uxorem intercedere, rejicitque opinionem illorum, qui ſexum virilem ſuperiorem faciunt, ac viro jura quædam poteſtatis atque imperium tribuunt. Tamen manifeſtum videtur, natura mares ac viros in pluribus mulieri præſtare; magis enim ad negotia idonei, conſtantes fortes, & animoſi comperiuntur. Videtur ergo natura mulierem viri patrocinio ſubdidiſſe, ideoque etiam imperio. Sane, quoniam in ſocietate qualibet exiſtere debet rector qui negotia dirigat, & in ſententiarum varietate judicet; nonne hanc auctoritatem natura viris reſervavit, dum eis vires, animum, mentem, conſilium, conſtantiam ſupra fœminas tribuit? Nonne rationi, ideoque naturæ conſentaneum eſt, ut in ſocietate, quæ neceſſitate quadam iniri debet, quæque graviſſimas vitæ partes continet, qui aptior eſt, dominetur ac judicet? An vir impediri debet ab uxore cerebroſa in negotiis gravibus, præcipue in educatione filiorum maſculorum? Profecto hujuſmodi æqualitas ſocietatem conjugalem periculoſam & querelarum fecundam redderet: hoccine natura jubere poteſt? ſtatuendum ergo, natura virum eſſe caput & dominum familiæ. Sed natura eadem viro præſcribit, ut auctoritate ſua ſuaviter, æque, prudenter, pro bono communi, utatur; ac ſi tyrannum agere velit, uxori jus tribuit reſiſtendi: & ipſa enim jura ſua habet quæ maritus vereri debet. Ceterum, dum conjuges matrimonium contrahunt, de his omnibus paciſci poſſunt, quemadmodum Auctor ipſe poſtea animadvertit.

§. 497. *Naturaliter maritus imperium in uxorem invitam ſibi arrogare nequit, ſi vero uxor arroganti non contradicit, longa patientia tandem in jus tranſit.*

An vir acquirere poſſit jus imperii per ſilentium uxoris.

Si maritus natura non habet imperium in uxorem, non video quomodo illud injuſte ſibi arrogando, ideo in re acquirere poſſit per longam uxoris patientiam. Patet enim, uxorem hanc uſurpationem non pati niſi pro bono pacis, ac ne invidat in pejora. Silentium nemini jus tribuit, niſi cui intereſt queri debeat, aliter jus ſuum amittens; tunc enim ſilentium pro tacito conſenſu haberi poteſt. Si vero ſilentium aliunde proficiſcatur, jus non tribuit uſurpatori, neque enim ullum conſenſum ſignificat.

Adde, quotieſcunque terminus definitus non eſt, diu me ſilere poſſe, & pati vexationes tuas, quin jus hoc ceſſiſſe cenſeri poſſim. Ita eſt de uxore erga virum in Auctoris hypotheſi: dum ipſa ſilet, vir poteſt imperare at ſtatim ac illa excutitur, & reſiſtit, imperium ceſſat.

§. 507.

BIU Cujas

§. 507. *Quando nulli adhuc geniti sunt liberi, aut qui nati fuerant, decesserunt; matrimonium mutuo conjugum dissensu naturaliter dissolvi potest.*

De divortio permisso ob sterilitatem.

Hæc propositio latius meo judicio extendi debet. Si enim sterilis uxor est, vir eam dimittere potest, etiam renitentem. Consequitur hoc ex natura matrimonii, cui præcipue proposita est proles. Humanitatis bonum id postulat.

§. 508. *Non licet marito pro lubitu dimittere uxorem nec uxori licet pro lubitu a marito discedere.*

An matrimonium natura indissolubile.

Propositionis hujus demonstratio sumit matrimonium natura contrahi pro vita tota, quod Auctor nec probavit, nec probare potest. Etenim in statu naturę conjuges non tenentur persistere in statu matrimonii, nisi quandiu opus est ad liberorum educationem; nisi forte aliter pacti fuerint. Nihilominus *consuetudo vitæ*, quam Auctor appellat, videtur obstringere tota vita, modo pars utraque fideliter officium præstet. Verum consuetudinis hujus & mutui adjutorii scopus ex ipso Wolfio matrimonii naturam non constituit: ergo ex eo fluere non potest obligatio contrahentium, qua prohibeantur hunc nodum frangere sine mutuo consensu. Consuetudo vitę eos obligat, quamdiu matrimonium durat: non autem ei tacite subscripsisse censentur pro vita tota.

Wolfius postea §. 1078. demonstrare conatur, matrimonium esse indissolubile. Verum ipsius demonstratio infirma videtur & sexcentis exceptionibus exposita, quarum singulę eam tollunt.

Quare doctrinam hanc aliter efferri mallem: nempe statuendum potius videtur, matrimonium per se non esse indissolubile, sed Legem Naturalem ejus dissolutionem vetare fieri sine gravibus & justis causis, præcipue si liberi nati sunt.

§. 630. *Qui copula carnali junguntur, sunt quasi conjuges.*

De quasi conjugibus.

Hęc enuntiatio minime vera videtur, neque demonstratio firma. Nam qui copula carnali junguntur furtive, plerumque voluptatem tantum spectant; non solum prolem sibi non proponunt, sed etiam metuunt, quid ergo hic simile veri matrimonii? Videbimus opportune, an quę hinc Auctor colligit (not. §. 632.) justa sint.

§. 671. *Metu pœnarum obligantur liberi ad inobedientiam vitandam, & obedientiam non abjiciendam; spe autem præmiorum obligantur ad obedientiam præstandam.*

De pœnis & præmiis aparentibus in filios.

Ipsa enuntiatio recta & prudens est, valde quoque utilis in praxi, si accipiatur ut præceptum, prout Auctor insinuat in adnotatione. Sed demonstratio minus apta est; aptior esset hæc. Oportet deterrere liberos a malo metu pœnarum ut ejus turpitudinem sentiant, & cito agnoscant cognoscere malum vitandum quia turpe & noxium, neque præmium mereri, si tantum malum

BIU Cujas

lum vitetur. Contra excitandi sunt præmiis ad virtutem sectandam, ut ejus pulchritudinem & bonitatem cognoscant, atque intelligant timore servili agere non esse secundum virtutem. Parentes autem prudenter seligere debent, utrum satius sit pœnas an premia proponere pro temporis conditione. Circumstantiæ, atque ingenium præcipue puerorum, quid satius sit indicabunt.

§. 692. *Si parentes liberis exempla mala præbeant vel bona præbere negligant, erga liberos suos injusti sunt.*

An parentes injusti mala exempla liberis præbentes.

Hæc propositio minus recte enuntiata est; demonstratio autem labecula quadam laborat. Liberi, ait Auctor, jus habent postulandi a parentibus ne mala exempla sibi præbeant. Si ergo præbent, jus liberorum violant. Minime: tunc violarent, si postulare prohiberent. Jus postulandi est jus tantum imperfectum ad rem, quæ postulatur. Wolfius nequaquam dixit, neque filium (§. 691.), neque quemquam generatim (§. 933. p. 1. J. N.) habere jus *exigendi* ne sibi mala exempla præbeantur sed tantum jus *postulandi*; quoniam ergo jus perfectum in rem non competit nisi cum jus est exigendi, *injustus* autem est is tantum qui jus perfectum alterius violat, Auctor pronuntiare non debebat, parentes qui mala exempla liberis præbent, aut bona præbere negligunt, esse erga ipsos injustos. Quod si vocem *injustus* accipit sensu latiore, spectata justitia universali, quæ omnia officia nostra etiam imperfecta erga alios complectitur, monere debebat.

§. 695. *Qui pueris, atque adolescentibus mala exempla præbent, in eos maxime injurii sunt.*

An qui præbent mala exempla pueris, injusti sint.

Idem vitium occurrit in hac propositione, ejusque demonstratione. Jus postulandi, ne nobis exempla mala præbeantur, est jus perfectum: at animadverte jus perfectum esse jus postulandi, non jus non patiendi exempla mala. Idem est jus hoc juxta Wolfium ipsum (not. §. 933. P. 1. Jur. Nat.) ac jus postulandi officia humanitatis. Jus perfectum habemus ea postulandi; non in officia ipsa, neque vi possumus eadem exigere. Quoniam ergo injuria est tantum violatio juris perfecti, qui mala exempla præbet pueris atque adolescentibus, vere injurius dici nequit; tunc injurius esset si impedire vellet, ne postularent.

De officio hoc idem pronuntiandum, quod de reliquis quæ obligatione externa & perfecta non utuntur, vel juri alterius perfecto non respondent. Peccat proculdubio & graviter peccat, qui mala exempla præbet præcipue adolescentibus: sed in statu naturæ quisque actionum suarum dominus est, quatenus jus perfectum alterius non afficiunt. Si malum exemplum alicui præbeo, non proinde ipsi jus est me coercendi vi; & tamen hoc jus haberet, si ipsi exemplum malum præbere esset injuria vera.

§. 739. *Liberi amare debent parentes.*

De amore quem liberi debent parentibus.

Demonstratio officii hujus capitalis nequaquam idonea videtur, cum in omnes filios cadere nequeat: eam ducit Auctor ex eo, quod parentes sunt libe-

BIU Cujas

liberorum benefactores. At sunt liberi, qui nullum beneficium a parentibus receperunt: ortus enim non semper habet beneficii vim ex parte parentum: sunt enim parentes qui non solum ortum filii sibi non proposuerunt, sed etiam impedire conati sunt. Ergo alia demonstratio quærenda est, quæ valeat in omnes, cujusmodi est hæc.

Omnes homines amare tenemur: ordo postulat, ut magis adhuc teneamur erga eos, quibuscum arctiora vincula nobiscum intercedunt; Divina autem Providentia, dum nos ex hoc viro & ex hac fœmina ortos voluit, vinculum quoddam intimum inter nos posuit, cujus gratia juxta fines divinos pro ordine & bono generali humanitatis eos amore quodam singulari prosequi debemus. Si vel ipsi recederent ab officio suo, non proinde nobis licet recedere a nostro.

§. 747. *Quamdiu liberi usu rationis destituuntur, vel nondum sufficientem pollent, metu servili imbuendus est animus: quam primum vero fieri potest, operam dare tenentur parentes, ut metum servilem in filialem convertant.*

De ratione liberos instituendi.

Pars prima hujus propositionis male demonstratur. Auctor urget infantium rationem infirmam, eos bonum a malo non posse discernere, neque agere officii gratia. An non eos tunc ducere licet præmiorum spe, æque bene, ac sæpe melius, quam pœnarum metu.

Ipsa vero sententia sæpius recta esse potest; sed non universim. Sunt enim liberi felici quodam ingenio præditi, qui amore ducti, parentibus obediunt, antequam usu pleno rationis fruantur. Cur ergo minæ iis adhibeantur aut servilis timor incutiatur, quo in extremis tantum est confugiendum. Quare mallem Auctorem saltem addidisse timorem servilem non esse adhibendum, nisi rationibus aliis deficientibus, aut ubi ratio peculiaris illum postulat ut animadverti modo ad §. 671. Alias præmiorum spes suavior, & aptior modus est, & liberis æque conveniens.

§. 754. Liberi *parentes in præstandis officiis humanitatis in casu collisionis præferre debent aliis, conjuge saltem ac liberis propriis, si quos habent, exceptis.*

Parentes a filiis præferendi cunctis.

Exceptio non satis probata videtur; nam quoad filios sumitur idipsum quod est in quæstione. Quoad uxorem, Auctor exceptionem probat ex conjunctione intima conjugum, qua unam personam constituere videntur. At si conjunctionem hanc a principiis & origine sua repetas §. 461. eam non invenies neque interiorem, neque validiorem conjunctione liberorum cum parentibus.

Fingamus tamen conjunctionem hanc coniugum, ut plurimum, arctiorem; exceptio tamen, prout eam Auctor concludit, non magis firma evadit. Quoniam, inquit, vir atque uxor unum sunt, in casu autem collisionis quisque felicitatem suam præferre debet, vir felicitatem uxoris cujuscunque felicitati præferre debet & viciſſim. Quid si conservatio & felicitas uxoris, quod sæpe accidit, sit viri supplicium? Certe tunc præferre non debebit uxoris felicitatem, quam ipse non consequitur. Nam nisi interſit viro, præferre

uxo-

BIU Cujas

uxorem, cadit tota argumentatio. Instabis, ac dies, teneri virum habere uxorem tanquam rem unam secum, at id nondum probasti; cumque id oratorio quodam modo tantum dici possit, argumentum solidum præbere non potest. Tantum ostendisti, conjunctionem duorum conjugum arctissimam esse: demonstrandum præterea est, ceteras omnes ab hac vinci. Posset fortasse hoc generatim ita probari.

Principio conjuges eandem sortem, & omnium rerum communionem habent; uterque officio fungens utriusque felicitati necessarius est; quisque autem seipsum præferre cæteris debet; ergo in officiis humanitatis & mutuis auxiliis præstandis conjuges jus habent seipsos mutuo cunctis præferendi. Habent, inquam, jus: ecce officii legem: societas conjugalis communionem persectam, vitæ consuetudinem intimam, mutuum amorem, reciprocam opem a sponsis postulat: familiæ bonum, rectus etiam ordo societatis humanæ jubet, ut vir atque uxor ita sese cunctis præferant. Hoc spectavit Auctor §. 468. ubi matrimonium tacitam hanc promissionem continere docuit; ac miror locum hunc non laudasse, ut præsentem propositionem confirmaret.

Argumenta hæc sumpta ab ordine, ab utilitate propria, a bono familiæ, valent etiam pro liberis. Vir, qui semel uxorem duxit, a familia patris avellitur, ut novam constituat; in hanc ergo curas suas omnes conferre debet, idque lex ordinis postulat.

Nihilominus hæc argumenta ejusmodi sunt, ut exceptionem pati possint ex iisdem principiis. Si enim agatur hinc de parente optimo, optime merito, mihi ceterisque utilissimo, inde de uxore vel inepta, vel mediocri, aut de filio infanti, fatuo, aut improbo; in hujusmodi extremis quis dubitabit me posse, imo debere, parentis salutem illis præferre? Ratio enim utilitatis propriæ hic pro me militat, & sententiæ Auctoris repugnat; hic enim mihi magis prodest, patrem, quam uxorem, aut filium servare. Retorqueri quoque in Auctorem posset, quod alibi §. 826. tradit, nempe liberos pluris facere debere parentes, quam seipsos. Hæc observantia, hæc benevolentia justissima, filium sæpe cogent parentem sibi ipsi præferre. Quare ex eo, quod uxor cum ipso unum sit, non consequitur illum uxorem patri præferri debere.

§. 766. *Parentes bona liberis restituentes, quæ durante educatione ipsis undecunque obvenerunt, rationes administrationis reddere non tenentur.*

An Parentes filiis rationes reddere teneantur.

Neque propositio ipsa, neque ejus demonstratio, satis firma videtur. Neque enim repugnat officio filii postulare, ut pater, aut mater administrationis bonorum, quæ ad ipsum filium spectabant, rationes reddat: possunt hæc duo convenire. Satis est generatim præcipere, decere filium non exigere a parentibus hasce rationes, sine gravibus causis non esse huc deveniendum; si necessitate coactus eo deveniat, maximam moderationem & modestiam erga auctores vitæ suæ servandam: Tandem etiamsi daremus Auctori, filios officiis erga parentes debitis vetari, ne rationes ab illis exigant; non proinde consequi jus esse parentibus non reddendi.

BIU Cujas

§. 800. *Parentibus competit jus liberos suos in adoptionem dandi.*

An Parentes liberos in adoptionem dare possint.

Vera videtur propositio; sed oportebat animadvertere jus hoc liberos non obligare, nisi dum sunt minores. Statim ac majores evaserunt, adoptionem scindere possunt si ipsis mori sit, compensatione facta adoptanti. Aliquis fortasse monebit, filios majores factos jure naturali emancipari, simulque adoptionem destruere. Sed quædam remanent, quæ filiis adoptivis incommoda esse possunt, & jure molesta.

§. 819. *Ex eadem ratione (quoniam a voluntate unientium dependet, qua lege liberos ex diversis matrimoniis unire velint) patet*, unionem ea lege fieri posse, ut vel simpliciter, vel certo casu, afficiat bona unitorum, quæ ex priori matrimonio habent, vel etiam facta unione iisdem obveniunt ex casu quodam prævisо &c.

An unio prolium afficiat bona iberorum.

Hoc omnino defendi nequit: neque enim parentibus disponendi de bonis liberorum jus est. Hoc ipsum pronunciat Auctor §. 8. 14. quare duas hasce propositiones conciliare nequeo. Auctor quidem proxime §. 820. difficultates, & objecta partim tollit, dum liberorum consensum exigit, aut saltem approbationem virorum prudentum & alienorum, qui nomine liberorum minorum consentiant. Verum præstabat hoc addere in ipsa propositione, quæ per se vera esse debet sine ope sequentis. Quamquam postrema pars hujus propositionis 820. laborare videtur. Neque enim *unio*, quæ bona liberorum afficit, solida esse potest sine ipsorum consensu elicito, si majores sunt, aut confirmatione addita, cum majores evadunt.

§. 826. *Pater uxorem filiam ducere nequit; nec Mater filio nubere potest; seu matrimonium inter parentes & liberos naturaliter illicitum.*

De matrimonio inter ascendentes & descendentes.

Propositionis hujus demonstratio valde infirma videtur. Tota pendet a reverentia & observantia quam vitæ nostræ auctoribus debemus: at huic reverentiæ repugnat ne omnino matrimonium? Fortasse hoc dici posset de conjugio inter matrem & filium in sententia communi, quæ viro superiorem auctoritatem reservat. At juxta Wolfium conjuges in perfecta æqualitate versantur; imo vir uxori auctoritatem cedere potest. In matrimonio autem patris cum filia, familiaritas conjugalis reverentiæ filiali minus convenire videtur, non tamen ita prorsus repugnat, ut conciliari nequeant. Ut hæc demonstratio perfecta esset, oporteret demonstrare non licere patri & filiæ ut matrimonium contrahant, exuere communi consensu officia quæ sibi debent ratione generationis, ut alios sensus induerent rationi conjugii congruentes.

Hujusmodi conjunctiones jure prohibentur in societate civili, idque gravibus de causis: ipsa lex naturalis horrorem quendam inspirat hominibus in hujusmodi morem, qui fores aperire posset turpissimis flagitiis. Fateor etiam, plerumque hujusmodi fœdera fore prava & pudori inimica, proindeque contraria *legi perfectivæ*, quæ jubet, ut semper meliora quæramus. Conjunctio vero matris cum filio præterea repugnat scopo matrimonii, id est propagationi speciei. Denique animadvertendum, intereſſe generatim humanitatis & propagationis, unumquemque

BIU Cujas

que ſervare officia ac ſenſa quæ conditioni ſuæ conveniunt. Jam vero alia ſunt ſenſa atque officia quæ intercedere debent inter parentes & liberos; alia inter conjuges. Patres atque matres educare filios debent, ut novas familias inſtituant; qua de cauſa, ut recte fungantur munere ſuo, non eſt ferendum, eos ſpectare poſſe unquam matrimonium cum ipſis. Poſtremum hoc in primis manifeſte arguit, matrimonium inter aſcendentes & deſcendentes legi naturali repugnare: hinc etiam explicari poteſt horror quem natura inſpirat cunctis hominibus in hujuſmodi conjugia: ſenſa enim quæ pater gerere debet in filiam, adeo differunt a ſenſis erga ſponſam, aut puellam, quæ ad matrimonium quæratur, ut vel ſeſe excludant, vel ſaltem difficillime conciliari poſſint. Hæc repugnantia plerumque Patrem abſterret, ne unquam cogitare poſſit de filia in uxorem ducenda. Hac de cauſa populi male educati hujuſmodi repugnantiam non ſentiebant. Itaque Dion Pruſienſis a Grotio laudatus, Perſarum conſuetudinem in hoc genere malæ educationi eorum tribuit. Hæc ſunt meo judicio, quæ in hoc argumento graviter afferri poſſunt.

§. 836. *Cognati ſibi invicem ſpeciali ratione obligantur ad beneficia mutua præſtanda, quantum in poteſtate eſt.*

Obligatio mutua cognatorum ſibi beneficiendi.

Demonſtratio minus pervincit, ſaltem quoad cognatos remotos. Idea enim officiorum erga alios, qui ante ortum noſtrum jam functi erant, minus animum afficit. Fortaſſe hoc pervinceret ratiocinatio hujuſmodi. Omnes homines amare & beneficiis afficere debemus, ut Deo pareamus, qui nos omnes ejuſdem naturæ conſtituit, & ita conſtituit, ut ope mutua indigeremus. Ergo ex eadem mente divina amare atque adjuvare præcipue debemus eos, quibuſcum Creator idem nobiſcum arctiora vincula interpoſuit. Adde, hoc convenire ordini ac propriæ utilitati, cum utile ſit familias conjunctas permanere, ideoque ſingulos eas componentes ſeſe mutuo adjuvare.

§. 888. *Bona tutoris naturaliter obligata ſunt pupillo.*

An bona tutoris obligata pupillo.

Ratio allata ad confirmandam hanc propoſitionem, me minime vincit. Sumitur, bona pupilli in tuto eſſe non poſſe, niſi bona tutoris obligentur: ita ne? Nonne ſatis conſulitur bonis pupilli, electo tutore prudente, bonis fortunæ prædito, ſublata facultate alienandi qua per ſe caret, & conditione addita, quod ipſe Wolfius præcipit, ut quotannis tutori alteri honorario rationes reddat? cur ergo obligentur tutoris bona, atque ita hypothecæ cuidam ſubjiciantur (§. ſeq.) ex qua tutor de bonis ſuis contrahere non poſſet, neque ea vendere, ſi opus habeat? Quis unquam tutelam ullam ſuſciperet conditionibus tam duris?

§. 911. *Naturaliter tutori, vel curatori ſalarium conſtituere nequit, niſi pater vel mater.*

An parentes tantum aſſignari poſſint ſalarium tutori.

Quid? an poſt patris & matris mortem pupilli cognati proximi, qui tutelam ſuſcipere juſtis de cauſis nequeunt, neque ullum gratis inveniunt, jure carebunt conſtituendi ſalarium tutori idoneo deſignato? Quam multa & gravia

BIU Cujas

incommoda ex hac doctrina consequantur, quis non videt? Prorsus contrarium pervinci potest secundum ipsa Auctoris principia. Cognati proximi natura sunt tutores pupillorum (§. 838.) imo cognatis deficientibus, quisque idoneus tutelam sumere potest §. 839. Fingamus ergo cognatum, aut alium sumpsisse munus tutoris: a negotiis autem suis impediri, ne munus hoc retineat. Tutor certe non tenetur pupillum impensis suis educare; potest ejus redditus, imo si necesse sit etiam fundos, in pupilli educationem impendere; ideoque etiam ad administrationem & conservationem patrimonii ejusdem §. 845. Hujusmodi tutor ergo, sive cognatus, tutelam dimittere coactus, nullum inveniens qui gratis eam sumere velit, certe jure potest pacisci de justo salario cum viro idoneo qui tutelam recipere paratus sit; hujusmodi enim conventio non solum utilis est pupillo, verum etiam necessaria ad ipsius & bonorum suorum conservationem. Salarium novi tutoris inter impensas ejus educationis continetur.

Si Auctoris ratio valeret, nempe solum dominum de bonis suis disponere posse, nemo mercedem solvere posset agricolis, & servis pupilli. Tamen cognati tutor, aut simplex *negotiorum gestor* jus habent hæc solvendi. Cur Auctor ipse pronuntiat §. 845. tutorem posse impendere redditus, imo fundos ipsos pupilli, in ejus educationem? eadem ratio est de tutoris mercede.

Statuamus ergo, quoniam nemo tenetur alteri gratis aut servire, aut quidquam præbere, cum ille est solvendo; si pupillus est solvendo, nemo autem gratis tutorem agere velit, cognatos proximos jure constituere posse tutori justum salarium non minus, ac mercedem agri ejusdem cultori: pupillus enim tam indiget tutore, quam agricola.

§. 985. *Jus hæreditarium parentum & liberorum mutuum est Jus perfectum.*

De jure hæreditatis in linea ascendente & descendente.

Hæc propositio videtur pati posse aliquam exceptionem. Nam si semel admittatur tanquam lex universalis, nec pater, nec filius disponere poterit in morte de parte vel minima bonorum suorum. Ait Auctor, Jus hoc hæreditatis fluere ex eorum mutuis officiis, quæ pendent a *quasi contractu* societatis paternæ; quasi contractum autem parere jus perfectum. Verum animadvertendum, jus hoc oriri ab officiis iisdem quidem, sed intra certos fines, & modum; quatenus nempe opus est, ut eadem officia impleantur. Ex. gr. pater debet liberos educare, eorum felicitati consulere &c. Quod liberis jus perfectum tribuit, ut ab ipso opem exigere possint in vita, partemque bonorum in morte. Verum si pater multo plura bona possideat, quam liberi indigeant ad feliciter vivendum, nonne poterit bonorum suorum partem in usum alium laudabilem destinare? Officium implet erga ipsos, dum illis quod satis est relinquit.

Animadvertendum, hanc demonstrationem (itemque alias in toto hoc opere) non esse omnino perfectum, quia ducitur a quibusdam principiis, non prorsus necessariis, ac veris. Docuit antea Wolfius, teneri patrem bona liberorum augere quantum potest, quia studere debet ipsorum felicitati cui divitiæ inserviunt. Id verum generatim: sed quia divitiarum justa quædam mensura pro rerum conditione existit, quæ ad vitæ felicitatem sufficit, neque immodicæ divitiæ, felicem hominem faciunt, concludi non potest quod contendere videtur Auctor.

Sane postea mederi videtur huic incommodo, quoad doctrinam; non tamen

BIU Cujas

men demonstrationis vitium tollit. Ait enim primo posse exhæredari patrem (§. 104.) aut filium (§. 1000.) si manifeste, & data opera violant officia, ad eos spectantia. Quia hanc sententiam probat ex eo, quod pater, aut filius, dum contra officium agunt, sese ipsos privant sponte jure hæreditatis; idea juris perfecti adhuc consistit, etsi revera amitti possit culpa sua. Verum secundo addit aliam sententiam, quæ huic opponitur, scilicet patres (§. 1005.) itemque liberos (§. 1008.) legare posse partem bonorum suorum pauperibus, & aliis personis dignis, quoties hæredes naturales, nempe liberi aut parentes satis bonorum possident ad commoda vitæ. Si jus habeo perfectum in rem, ea mihi eripi nequit etiamsi destinaretur ad alium usum bonum, & laudabile. Non licet tibi mihi eripere, quod meum est, ut alteri benefacias. Quare rectius explicare debebat Auctor jus perfectum, quod tribuit hæredibus in linea recta ascendente vel descendente. Si dixisset, quod ajebam ab initio, filio jus perfectum esse succedendi in partem bonorum patris a circumstantiis determinandam; itemque patri jus simile esse in hæreditatem filii, sine successione decedentis, omnem difficultatem evitasset; neque ejus demonstratio aliud probat, ut ostendi.

Leges civiles ubique fere æquitatem hanc naturalem erga liberos sequutæ sunt, iis designando partem *legitimam*, quam pater ipsis eripere nequit sine gravibus causis, quæ filium omni hæreditate indignum arguant.

§. 988. *Si liberi scientes ac volentes ea committunt, quæ e diametro ipsorum erga parentes officio repugnant, vel a vita scelesta se revocari non patiuntur, naturaliter eos abdicare licet.*

De abdicatione filiorum.

Intellige hoc de filiis emancipatis, in quos pater potestatem non habet: aliter enuntiatio deficit, & labitur ejus demonstratio. Cura enim, quam pater debet liberis, non fluit tantum ex eo quod debet ipsis, sed etiam ex aliis principiis; (vide §. 263.) quare ex eo, quod filius officio suo non fungitur, pater minime suo solvitur. Sibi pater debet, ceteris hominibus debet, ipsi Creatori debet, ideoque auctoritate & jure suo uti debet in filium improbum ac perditum; illum debet punire; non deserere vel abdicare.

§. 991. In nota. *Parentes enim cum in bona defunctorum liberorum nunquam succedant, nisi qui sunt ejusdem gradus &c.*

De jure avorum & parentum in hæreditatem filii.

Occurrit hic difficultas. Jus enim succedendi in bona filii qui ad parentes & avos refertur, derivatur ab obligatione filii eos adjuvandi, alendi, bonis afficiendi. Hæc obligatio arctior est erga parentes, quam erga avos, ergo exclusis avis parentes jus habent in hanc hæreditatem: hi autem parentibus propriis iisdemque avis defunctis, si vivunt, consulere debent. Recte hactenus: sed fingamus, filium, cujus pater decesserit, relinquere, dum moritur, matrem opulentam, avum autem paternum in indigentia; an sola mater hæres erit? nonne, cùm pater ejus qui curam avi gerere debebat, jam decesserit, nonne inquam filius avo debet, quod patri debebat? eademque ratione qua mater jus habet ad successionem, jus habet avus? Jus ergo repræsentandi, constitutum in favorem nepotum (§. 980.), locum habere debet etiam in linea ascendente. Ideo enim secundum Auctorem jus est repræsentandi in nepotes, quia avus patre deficiente, nepotes curare debet: nonne ergo æquum est, deficiente filio, nepotem avi curam suscipere?

§. 1038.

BIU Cujas

§. 1038. *Si hæres ſub conditione fuerit inſtitutus, naturaliter pendente conditione, bonis a defuncto relictis utitur fruitur hæres ab inteſtato, & ea non exiſtente, vel poteſtativa non adimpleta, hæreditatem acquirit.*

De inſtitutione conditionata.

Pars prima propoſitionis hujus non videtur æque certa ac ſecunda. Potius æquum videtur, redditus cumulari, & conſervari, dum conditio exiſtat, aut eam exiſtere non poſſe conſtet. Si impletur, omnia ſpectant ad hæredem inſtitutum; ſi deficit, ad hæredem ab inteſtato.

Caſus propoſitionis proximæ prorſus differt: (agitur de hærede inſtituto in *diem certum*). Illic enim patet manifeſto, teſtatorem hæredi ab inteſtato uſumfructum bonorum ſuorum reliquiſſe uſque ad certum diem: vetat enim hæredem quem iſtituit, hæredem eſſe ante diem illam. Hic autem nihil ſimile: tantum teſtator certam conditionem adjecit donationi bonorum ſuorum poſt mortem, qua conditione deficiente, ſucceſſionem tranſire vult ad hæredem *ab inteſtato*.

§. 1074. *Si conjux unus moritur, in bona ejus ſuccedunt hæredes, ſive in teſtamento inſtituti, ſive qui ab inteſtato ſuccedunt.*

De jure conjugum in mutuam hæreditatem.

Hæc propoſitio minus congruere videtur cum principiis Auctoris. Jus hæreditatis, quoad parentes & liberos, repetit ab eorum mutuis officiis (§. 975. & ſeqq.). At [§. 754.] quoad officia humanitatis ſtatuit uxorem parentibus præferendam. Si ergo officia viri erga uxorem arctiora ſunt, quam filii erga patrem, cur uxori jus in hæreditatem viri non erit fortius quam patris? Inutile eſt dicere, mortem matrimonii vinculum ſolvere: nonne enim omnia vincula ſolvit? Filius decedens patri opitulari amplius non poteſt; illi ergo conſulit bonis relictis. Vir decedens conſulere debet uxoris indigentiæ. Quomodo ergo officium hoc conſtituit jus patris, etiam uxoris conſtituit. Ex principiis Auctoris concluſio hæc ineluctabilis eſt.

Jam ſi conjugum officia intra juſtos fines coerceantur, quod facere conatus ſum ad §. 754. eaque conferantur cum officiis erga parentes, colligentur regulæ ſucceſſionum multo aptiores, æquioreſque. Maritus conſulere debet ſtatui uxoris; conſulere debet parentum temporibus: præferre debet parentes ſuos uxoris parentibus. Conſequitur ex his, 1. uxorem poſt viri mortem frui debere uſufructu partis, aut totius hæreditatis, pro rerum conditione, non autem proprietate bonorum, quia illa tranſmitteret ad cognatos ſuos, mariti cognatis expulſis. 2. Partem hujus uſusfructus metiendam eſſe ex indigentia propria, ex indigentia patris, aut matris, aut avi ſponſi, collata cum æquitate. 3. Si filii exiſtunt, ad eos totam hæreditatem ſpectare; quia tunc ad eos pertinet conſulere indigentiæ matris aut avorum. 4. Si vidua tranſit ad ſecundas nuptias eam amittere etiam uſumfructum; tunc enim novi viri officium eſt ei conſulere. 5. Si vir decedat ſine cognatis proximis, uxorem eſſe hæredem; tunc enim ipſa evadit perſona proxima marito; ſucceſſio autem ab inteſtato nititur voluntate præſumpta defuncti. [§. 1031.] Quod dictum de uxore, viciſſim intelligendum de marito, *mutatis mutandis*.

Eadem fere ſtatuit Auctor in §. ſeq. Addit autem, virum morientem hæc præſtare debere officii gratia & tanquam amori conjugali conſentanea, non vero vi juris ullius perfecti, quo conjux ſuperſtes fruatur in hæreditatem. Cur non ſervatis ſuperioribus regulis, ſpe-

BIU Cujas

ſpectatiſque circumſtantiis, conjux vivens ex Wolfii principiis non habeat jus perfectum in partem ſucceſſionis, aut ſaltem uſusfructus, pro conditione indigentiæ ſuæ? Jus perfectum parentum & liberorum pendet a ſocietate paterna: cur ſocietas conjugalis ſimile non pariat? Fateor, ſocietatem paternam inſtitutam eſſe natura, ideoque eſſe magis ſacram ſocietate conjugali, quæ inſtituta eſt voluntate humana, ideoque concedo jus amplius parentibus & liberis quam aliis conjunctis, ut patet ex quinque regulis præcedentibus; non tamen conſequitur, conjunctorum jus nullum eſſe: objicietur, ſocietatem conjugalem contrahi ad vitam conjugum, ideoque morte diſſolvi. At officia filii erga patrem obligant ejus bona etiam poſt mortem: cur officia viri erga uxorem non eandem vim habent? eo tanto differunt, quod uxor tranſiens ad ſecundas nuptias jus amittit, quia tum ſpectat ad novum maritum officia conjugalia erga ipſam implere.

§. 1080. Servitus *eſt ſubjectio, qua quis operas perpetuas pro alimentis perpetuis præſtare obligatur.*

Servitutis definitio.

In definitione ſervitutis omitti fortaſſe poterat obligatio alimentorum, quæ colligi poterat ex eo, quod ſervus ſine alimentis vivere nequit, neque illa ſibi comparare poteſt, cum operam ſuam domino obligaverit. Ex definitione Auctoris incommodum ſtatim ſequitur: nam §. 1085. Auctor concludit, in communione primæva ſervitutem locum non habere; ibi enim omnes æquale jus habent in alimenta terræ. Concluſio recta, ſi recta definitio. At ſervitus exiſtere poteſt in communione primæva æque, ac poſt proprietatem inductam: quod facile probatu eſt. Etenim in hac communione, veluti in omni ſtatu naturæ, juſta defenſio mihi jus tribuit eripiendi vitam injuſto aggreſſori, ſi opus eſt: cur ergo illum potius non liceat in ſervitutem redigere? Si divitias meas non augebit, quæ in eo ſtatu deſunt, ſaltem me labore levabit in parandis rebus neceſſariis ad vitæ commodum, & jucunditatem. Ceterum hæc quæſtio de ſervitute fuſius a me tractatur alibi [vide meum *Droit des Gens* lib. 3. cap. 8. §. 1052.].

§. 1092. *Si parentes aliter liberis ſuis de iis proſpicere non poſſunt, quæ ad educationem requiruntur; eos in ſervitutem vendere licet.*

An parentes jus habeant liberos vendendi in ſervitutem.

Minus hoc rectum videtur: parentes jus non habent, neque in libertatem, neque in vitam liberorum; ergo nec alienare, nec vendere poſſunt. Ex demonſtratione tantum conſequitur, parentes impotentes convenire & paciſci poſſe cum aliquo, qui alat filios, & qui jus habeat opera exigendi ex iis, dum ipſi compenſentur damna & impenſæ pro illorum educatione: & quia hujuſmodi conventio ſufficit parenti adimplenda officia ſua in liberos, eadem officia jus amplius ei tribuere nequeunt. Quomodo autem tribuant jus filium vendendi & pretium recipiendi, quæ venditio nihilo melius filio proſpiciendo ejus conditionem multo duriorem redderet, ac reditum ad libertatem difficiliorem ac remotiorem? Auctor §. 1127. ſententiam meam confirmat: ibi enim oſtendit, dominum, ſi puerum emit quem pater neceſſitate coactus vendidit, teneri illum manumittere ſtatim ac ipſi pretium ſolvatur cum expenſis educationis: ne ergo pater filium vendat, ne pretium accipiat, cujus nullum ipſi jus! tunc filius, ut in libertatem naturalem redeat, impenſas tantum educationis reſtituere debebit. At difficile erit aliquem invenire qui ita paci-

paciſcatur: imo facilius quam invenire qui emat ſecundum Auctoris conditiones; qui enim ita recipit filium, parcet pretio emptionis, & periculum evitabit.

§. 1102. *Dominus permittere non debet, ut ſervus ſit vitio deditus; ſed dare potius operam, ut virtuti ſtudeat.*

De jure Domini in ſervi mores.

Manca videtur tota hæc propoſitio ut, quæ conſequuntur recte concluſa ſint. Quoniam enim Dominus ex eo tantum mores ſervi corrigere debet, quia ſervus adhuc homo eſt [§§. 1099. & 1101.] non conſequitur, Dominum jus habere in actiones ſervi, quæ ad operam ſervilem non ſpectant, illumque puniendi, ſi vitium ſectatur, virtutem deſerit. Etiamſi enim lex naturalis nobis præcipiat, ut curemus pro viribus homines reddere virtutis cultores; non tamen jus tribuit puniendi, ſi reſiſtant, niſi forte peculiare jus ex officio habeamus. Ex principiis autem Wolfii Dominus jus habet tantum in operam ſervi, & actiones ab ea pendentes. [§. 1096.] Ut ergo auctoritas Domini in mores & vitam ſervi conſtitueretur, oſtendendum antea erat, mores ſervi valde conferre ad ipſum fidele ſervitium: patet enim ſervi improbi operam non eſſe ita fidelem, & utilem, ac ſi bonus & frugi eſſet: ex quo conſequitur, Domino jus eſſe obſtandi ne ſervus vitio ſe dedat, illumque corrigendi quolibet modo.

In aliis legibus ex. gr. apud Romanos, qui ſervos Dominis prorſus addictos habebant, vis auctoritatis, jus puniendi ab ipſa ſervitutis natura oriebantur, quæ ſervos omnino deſerens Domino, illi ſimul poteſtatem tribuit imperandi, & agendi in eos, prout libebat; cumque officia & jura domini ſimilia evadant paternis, ſimili ratione concluduntur.

§. 1109. hujus conſectarium eſt; ideoque peculiari animadverſione non indiget.

§. 1113. *Actiones ſervi ſunt in dominio Domini.*

Continuatio.

Hæc aſſertio ex principiis ipſius Wolfii coercenda eſt intra fines indicatos. [§. 1096.] *Domino non competit jus niſi in operas a ſervo præſtandas, & in actiones ceteras, quatenus reſpectum quendam ad illas habent.* Quoad actiones autem, quæ non afficiunt ipſum ſervitium, ſatius eſſet dicere eas eſſe ſub *imperio Domini*.

§. 1146. *Herus famulum ad aliquot dies alteri commodare poteſt.*

An liceat commodare famulum.

Propoſitionem hanc inutilem eſſe patet ex ipſa argumentatione. Neque jus ullum tribuit hero; neque enim herus ulli poteſt commodare famulum ſuum niſi perinde ſit famulo, hero ſervire, aut alteri per illud tempus. Si famulus huic mutationi ſervitii repugnat, herus cogere non poteſt: ſi conſentit, quid opus eſt jure?

Finis Partis Septimæ.

JUS

BIU Cujas

JURIS NATURÆ

PARS SEPTIMA.

De Imperio privato, seu officiis ac Jure in societatibus conjugiali, paterna, herili atque domo.

CAPUT I.

De imperio ac societate in genere.

§. 1.

Societas quid sit.

Societas in genere est pactum, vel quasi pactum de fine quodam conjunctis viribus consequendo.

Sunt equidem, qui putant, dari etiam posse societates, quæ nullo pacto nituntur; sunt etiam qui arbitrantur, quasi pactum non esse juris naturæ, sed commentum juris civilis; nulla tamen ratio sufficiens est, quæ societatem per pactum, vel quasi pactum non definire nos cogat. Quæ enim in contrarium afferuntur exempla, aut nonnisi per abusum, seu inconstantiam loquendi societates dicuntur, ut adeo nonnisi de nomine lis sit: aut nituntur quasi pacto, quod juri naturæ jam alias vindicavimus (*not.* §. 511. *part.* 5. *Jur. nat.*). Inprimis hic urgetur societas paterna, quæ inter parentes ac liberos subsistit. Verum ostendemus inferius hanc societatem esse utique quasi pactum naturale. Patebit autem ex subsequentibus, haud parum referre, ut fixam ac determinatam societatis notionem fumamus, ex qua sociorum jura & obligationes deduci possunt principiis juris naturæ convenienter.

§. 2.

An societas negotiatoria sub hoc genere contineatur.

Quoniam societas negotiatoria est pactum de rebus ac operis eo fine conferendis, ut lucrum & damnum commune sit (§. 1318. *part.* 4. *Jur. nat.*), omne autem pactum de fine quodam conjunctis viribus consequendo societas in genere est (§. 1.); *societas negotiatoria est species sub societate in genere contenta.*

Nimirum finis, qui in societate negotiatoria intenditur, est lucrum, quod qui eandem contrahunt conjunctis viribus consequi volunt, etsi præter spem atque intentionem accidere possit, ut damnum detur.

BIU Cujas

§. 3.

De speciebus societatis. Quoniam societas omnis supponit finem quendam conjunctis viribus consequendum (§. 2.); *societates differunt fine, qui intenditur, ac tot dantur societates, quot dantur fines, quos conjunctis viribus consequi datur.*

Atque inde confirmatur, societatem negotiatoriam, quæ in doctrina contractuum societas simpliciter dici solet, cum lucri communis causa contrahatur, esse speciem quandam societatis in genere hic definitæ. Lucrum enim commune est finis quidam peculiaris, in quo differentia specifica hujus societatis a ceteris consistit.

§. 4.

Socii quinam sint. *Socii*, vel *Membra Societatis* dicuntur, qui societatem ineunt, seu intra quos societas subsistit.

Significatus idem hic retinetur, qui vocabulo tribuitur in societate negotiatoria (§. 1319. *part.* 4. *Jur. nat.*), ob eam quam modo indicavimus (§. 2.), rationem.

§. 5.

Societates simplices & compositæ quænam sint. *Societas simplex* vocatur, cujus membra sunt personæ singulares: *Composita* autem, cujus membra sunt societates integræ. Et *compositæ societates minores* sunt, cujus membra sunt societates simplices; *majores* vero, cujus membra sunt societates compositæ. Atque adeo patet, *societatem compositam minorem coalescere ex simplicibus, majorem vero ex aliis compositis.*

Dari societates tam simplices, quam compositas, patebit ex subsequentibus. Ita videbimus, societatem simplicem esse conjugalem, compositam minorem domum, majorem, immo maximam civitatem, seu Rempublicam.

§. 6.

De fine societatum compositarum. Quoniam societates compositæ ex simplicibus coalescunt (§. 5.), quælibet autem societas suum habet finem sibi peculiarem, quem consequi intendit (§. 1. 3.); *in societate composita plures fines diversi conjunctim intenduntur.*

Subsistunt adeo fines societatum simplicium, dum ex iis compositæ coalescunt, sive ex iisdem per se coalescant, sive quatenus insunt societatibus compositis majoribus, nec per hanc societatum coalitionem fines eorundem vertuntur in alios, sed tantummodo a se invicem dependentes quodammodo efficiuntur, quemadmodum suo loco clarius patebit.

§. 7.

De obligatione sociorum. *Quilibet socius obligatur facere, quod ad finem consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat specialiter conventum fuit.* Etenim societates sunt pacta, vel quasi pacta, de fine quodam conjunctis viribus consequendo (§. 1.). Quamobrem cum non minus ex quasi pactis (§. 505. *part.* 5. *Juris naturæ*), quam ex pactis nascatur obligatio præstandi ea, de quibus conventum est, vel conventum esse fingitur (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), socii vero sint, qui societatem contraxerunt (§. 4.); unusquisque sociorum obligatur facere, quod ad finem consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat specialiter conventum fuit.

BIU Cujas

Nimirum si de eo, quod quis finis communis consequendi causa facere debeat, nihil expresse dictum fuerit; id conventum esse intelligitur, ut unusquisque faciat, quod potest, neque enim ultra posse quis obligatur (§. 209. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ast si specialiter conventum fuit, quid unusquisque facere debeat; tum quoque quilibet ceteris promisit, quod hoc facere velit, atque adeo ad idem faciendum sese obligavit (§. 393. *part.* 3. *Jur. natur.*). Cum pacta sint servanda (§. 789. *p.* 3. *Jur. nat.*); standum omnino est eo, quod conventum fuit, aut conventum fuit, aut conventum fuisse in quasi pacto fingitur (§. 504. *p.* 5. *Jur. nat.*).

§. 8.

Obligatio sociorum perfecta est. Etenim cum societates sint pacta, vel quasi pacta (§. 1.); sociorum obligatio ex pacto, vel quasi pacto oritur. Obligatio, quæ ex pacto oritur ex promissione oritur (§. 788. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum promissio producat obligationem perfectam (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*); sociorum obligatio perfecta est, si societas pacto nitatur. Enimvero ex quasi pacto eadem oritur obligatio, ac si revera pactio facta fuisset (§. 505. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum sociorum obligatio perfecta sit, quando societas pacto nititur, *per demonstrata*; perfecta quoque erit eorundem obligatio, si quasi pacto nitatur. Atque adeo patet, in omni societate obligationem sociorum perfectam esse. *Qualis ea sit.*

Loquimur hic non de obligatione interna, quæ in agente terminatur, sed de externa, quæ personam alterius in singulari respicit. Hæc enim est, quæ ex societate oritur. Potest quis obligatus esse ad quid faciendum; sed propterea non obligatus est tibi in singulari, ut faciat. Potest alicui jus esse ad faciendum, sed propterea non obligatur tibi, ut faciat. Nemo autem alteri sese obligare potest nisi promittendo (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Atque ideo societas absque pacto non concipitur (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi enim sumas, Cajum & Sempronium sibi invicem declarare, quod artem quandam pro virili excolere velint, quemlibet tamen libertatem suam naturalem prorsus irrestrictam reservare, ita ut in eo, quod facere velit, vel num velit, totus ab arbitrio suo pendeat; nullus datur inter Cajum atque Sempronium quoad artem illam excolendam nexus, sed perinde est ac si uterque altero inscio agat, quod sibi proposuerit. Ad societatem non sufficit, ut duo simul eundem finem sibi consequendum proponant, vel ad eundem pro virili id conferant, quod a se proficisci potest, sed requiritur, ut vires mutuas conjungant, atque adeo unus alteri sese obliget ad faciendum. Aliud est satisfacere obligationi suæ naturali, vel jure naturali uti; aliud vero est in eo faciendo dependere a voluntate alterius. Unione voluntatum societas demum nascitur, sine ea autem unusquisque sibi vivit, nec ab eo statu, quem natura habet, recessisse ullo modo intelligitur. Ponamus Cajum de re quadam scribere librum. Ponamus te hoc audientem de eadem librum scribere, æmulandi animo. Ecquis propterea te & Cajum dicet socios? Sane nemo dicet, etiamsi tu, si liber in duas a Cajo dividatur partes, & hoc tibi notum sit, partem alteram conficias, dum ipse primæ incumbit, ut quasi conjunctis viribus librum totum ad umbilicum perduxeritis. Sive communicato consilio, sive non aliqui ad eundem finem tendant, nisi vinculo quodam inter se conjungantur, societas cur dicatur ratio nulla est. Entia moralia non fingenda sunt præter ullam rationem.

§. 9.

Quoniam obligatio sociorum perfecta est (§. 8.), obligatio autem perfecta non intelligitur, nisi quando alteri competit jus te cogendi, ut obligationi satisfacias, si satisfacere nolis (§. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *socius competit jus cogendi consocium, ut satisfaciat obligationi suæ, si vel satisfacere nolit, vel in eo negligentem se præbeat*, consequenter *ut faciat, quod ad finem communem consequendum facere potest, aut quod ab ipso ut fiat specialiter conventum fuit* (§. 7.) Unde porro patet, *societatem tribuere jus universis in singulos, si plures fuerint socii, vel uni in alterum, si duo fuerint.* *De jure sociorum.*

Si societas fingitur absque obligatione, cum ex ea originem suam deducant jura (§. 23. *p.* 1. *Jur. nat.*), nullum quoque in eadem datur sociorum jus. Socii sunt personæ morales & relationem quandam ad se invicem habent, adeoque cum homo moralis sit subjectum obligationum & jurium (§. 70. *p.* 4. *Phil. pract. univ.*), non concipiuntur nisi per obligationes & jura, quæ relationem ad consocios habent, ita ut unusquisque obligetur ceteris in singulari & eidem

BIU Cujas

competat aliquod jus in ceteros. Quemadmodum sine nexu partium natura non facit corpus unum, ita sine nexu morali, qui in obligatione facti respondente jure consistit non fit societas.

§. 10.

Unde metiendum jus & obligatio sociorum.

Obligationes ac jura sociorum metienda sunt ex fine societatis atque ex iis, de quibus in pacto specialiter conventum fuit. Quilibet enim socius obligatur facere, quod ad finem consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat, specialiter conventum fuit (§. 7.). Quamobrem cumex fine intelligatur, quid fieri debeat, ut eundem consequi detur, ex conventione autem, si quis sociorum ad quædam horum, quæ ad finem consequendum requiruntur, specialiter sese obligaverit; obligationes sociorum utique metiendæ sunt ex fine societatis atque ex iis, de quibus in pacto specialiter conventum fuit. *Quod erat unum.*

Enimvero jura oriuntur ex obligatione (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum obligationes sociorum ex fine societatis atque ex iis, de quibus in pacto specialiter conventum fuit, æstimandæ sint *per demonstrata*; inde quoque metienda erunt illorum jura. *Quod erat alterum.*

Habemus hic principium heuristicum, quod monstrat viam, qua sit eundum, si in societate quadam data obligationes ac jura sociorum investigare volueris.

§. 11.

Salus societatis quid sit.

Non impeditus progressus ad finem societatis consequendum *Salus societatis* dicitur. Atque adeo patet, *salutem societatis æstimandam esse ex fine, cujus gratia initur* (§. 1.). Ipse autem finis, cujus gratia societas contracta, *commune Bonum* illius societatis appellatur.

Salva atque incolumis est societas, quamdiu socii non impediuntur, quo minus finem communem societati præfixum consequantur. Quodsi vero finem, quem intendunt, consequi non possunt, aut saltem non ex asse, quemadmodum voluerunt, sive hoc fiat culpa sociorum, qui non omnes satisfaciunt officio suo, vel non æque satisfaciunt, sive casu quodam; societas salva non est, non corpori sano, sed ægroto comparanda (§. 345. 346. *part.* 1. *Jur. nat.*). Propter finem agunt socii (§. 932. *Ontol.*), cujus causa societatem contraxerunt (§. 1.), adeoque eum spectant tanquam bonum (§. 982. 893. *Psych. empir.*), & quatenus eundem conjunctis viribus consequi conantur (§. 1.), tanquam bonum commune.

§. 12.

De communi societatis bono promovendo.

Quoniam socius quilibet obligatur facere, quod ad finem societatis consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat specialiter conventum fuit (§. 7.), finis autem, cujus gratia societas contracta, commune bonum societatis est (§. 11.); *Quilibet socius commune bonum societatis pro virili & modo convento, si quid specialiter de eo conventum fuerit, promovere tenetur.*

Socios commune bonum promovere debere, agnoscunt omnes: at vulgo non semper satis distincte ac determinate agnoscitur, in quo bonum commune consistat, & quænam ejus promovendi causa a socio jure exigantur. Nostrum adeo erat, ut notioni communi lucem affunderemus, eamque ab omni obscuritate, quæ in casibus particularibus haud raro sese manifestat, liberaremus atque ad distinctam & determinatam revocaremus. Quæ enim hic de societate in genere traduntur, notiones directrices continere debent, quæ in casu particulari intellectum dirigunt ad id, in quo attentio defigenda, ne extra oleas evagemur. Non plus a socio jure exigitur, quam ad quod sese consociis obligavit (§. 9.). Quodsi ergo simpliciter contractum, ita ut nihil in specie fuerit dictum, qui ab uno vel altero fieri debeat, unusquisque facere debet, quantum potest; si vero in specie conventum fuerit, ut unus vel alter certi quid in specie faciat, hoc utique ut faciat, ab eo jure exigitur (§. 7-9.). Atque adeo hinc in casu particulari haud difficile erit invenire, quid a socio quolibet jure exigatur, seu quodnam ejus sit in bono communi promovendo officium.

§. 13.

BIU Cujas

§. 13.

Obligatio sociorum communis est, qua tenentur omnes ea pro virili facere, quæ ad consequendum finem, seu bonum commune requiruntur. *Propria* vero est *socii obligatio*, si in specie conventum, ut is quædam faciat, quæ ad finem, seu bonum commune consequendum requiruntur. Atque adeo patet, *si nihil in specie fuerit conventum, quod uni vel alteri sociorum fuerit demandatum, in ea societate nullam dari obligationem specialem, sed nonnisi omnium communem; specialem vero tum demum locum habere, si uni vel alteri in specie aliquid fuerit demandatum.* *Obligatio sociorum communis & propria.*

Quando hic de obligatione speciali loquimur, facile patet, nobis sermonem esse nonnisi de ea, quæ ex ipso pacto venit, quo societas contracta, non vero de illa, quæ ex mandato oritur, quando, scilicet occasione data, communi sociorum consensu uni eorum societatis causa quid committitur.

§. 14.

Si in societate in specie fuerit conventum, quid a quolibet sociorum fieri debeat, data tamen occasione aliud præterea facere quis possit, quo bonum commune promovetur; is ad hoc faciendum obligatur. Quando enim societas contrahitur, in hoc consentitur, ut conjunctis viribus finem, cujus gratia contrahitur, universi consequi conentur (§. 1.), consequenter ut singuli faciant, quod ad finem communem consequendum, adeoque commune bonum promovendum facit (§. 11.). Quamvis adeo in specie conveniatur, quid a quolibet sociorum fieri debeat, cum tamen singuli velint, ut commune bonum, quantum datur, promoveatur; non is intelligitur fuisse animus pacisentium, ut præter ea, de quibus in specie certa de causa conventum fuit, nil faciat, quod ad bonum commune promovendum data occasione facere potest. Quamobrem etsi in specie conventum fuerit, quid a quolibet sociorum fieri debeat; hoc non obstante quilibet adhuc facere tenetur, si data occasione aliud præterea facere possit, quo bonum commune promovetur. *An præter ea, de quibus conventum, ad bonum commune promovendum quis teneatur.*

Si de quibusdam in specie convenitur, pactum societati adjicitur. Pacta vero adjecta in contractu, cui adjiciuntur, quædam equidem immutant; non vero vertunt in aliud. Quamvis de eo conveniatur, quid unusquisque finis, cujus gratia societas contrahitur, consequendi causa facere debeat; id tamen adhuc agitur, ut conjunctis viribus finem societatis consequi conentur socii, quippe quod ad societatem requiritur (§. 1.). Quamdiu igitur societas subsistit, unusquisque sociorum nullam prætermittere debet occasionem, qua commune bonum promovere potest, etsi facere debeat, quod ipsi specialiter fuerit demandatum.

§. 15.

Quoniam si in societate in specie fuerit conventum, quid a quolibet sociorum fieri debeat, data tamen occasione aliud præterea facere quis possit, quo bonum commune promovetur, is ad hoc faciendum obligatur (§. 14.), communis vero obligatio est, qua socii omnes pro virili facere tenentur, quod ad commune bonum consequendum requiritur, & propria, qua quis in specie certi quid facere debet (§. 13.); *obligatio propria non penitus tollit communem, sed communis subsistit, quatenus cum propria consistere potest.* *De obligatione communi per propriam non penitus sublata.*

Si plura in societate sunt agenda, ea inter socios distribuuntur non eo animo, ut bonum commune minus promoveatur, quam poterat promoveri, quippe quod promoveri, quantum datur, utique volunt omnes, cum ut promoveatur omnium interfit. Atque adeo absonum foret statuere, quod is sit pacisentium animus, ut obligatio communis penitus tollatur, & ejus loco introducantur propriæ, aut, si uni saltem, vel alteri socio aliquid in specie demandetur, ut is ab omni obligatione communi liberatus esse debeat.

§. 16.

BIU Cujas

§. 16.

De cura salutis societatis. *Unusquisque sociorum curæ salutem societatis habere debet.* Etenim unusquisque sociorum obligatur facere, quod ad finem societatis consequendum facere potest (§. 7.), nec hæc obligatio tollitur, etiamsi in specie ad quid faciendum obligetur (§. 14.). Ea igitur ipsi debet esse cura, ut non modo ipse haud impeditus progrediatur ad finem societatis consequendum, verum etiam ut progrediantur consocii. Quamobrem cum in non impedito progressu ad finem societatis consequendum consistat salus societatis (§. 11.); unusquisque sociorum salutem societatis curæ habere debet.

Nemo inficiabitur, salutem societatis unicuique socio curæ esse debere: quod cum fieri nequeat, nisi obligatio quoque communis teneat socios, etsi singulorum quædam sit propria, quemadmodum ex demonstratione liquet; qui concedit, salutem societatis unicuique sociorum curæ esse debere, is affirmare nequit per obligationem propriam tolli penitus communem.

§. 17.

In quo ea consistat. Quoniam unusquisque sociorum curæ habere debet salutem societatis (§. 16.), salus autem societatis consistit in non impedito progressu ad finem societatis consequendum (§. 11.); *socius quilibet non modo facere debet, quod ipse potest, verum etiam, quantum datur, curare ut faciant alii, quæ ad finem consequendum requiruntur, neque solum a se, verum etiam ab aliis removere impedimenta, quæ obstant, quo minus finem societatis consequi detur*, consequenter *etiam consilio ac ope adjuvare consocios, quando iisdem indigent.*

Ita nimirum saluti societatis demum prospicitur, quæ unicuique sociorum curæ cordique esse debet, ac socii uniuntur, ut corpus quoddam unum constituant, cujus singula membra contendunt ad conservationem totius, quo ipso & singula servantur.

§. 18.

De eo, quod in societate prohibitum. *Nemo sociorum facere debet, quæ fini societatis quomodocunque adversantur, nec quicquam eorum omittere, quod ad finem societatis consequendum conferre potest, vel ad quod faciendum in specie obligatur.* Unusquisque enim obligatur facere, quicquid ad finem consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat specialiter conventum fuit (§. 7.), nec obligatio communis per propriam tollitur (§. 15.). Enimvero qui ad hoc faciendum obligatur, ad contrarium non faciendum etiam obligatur (§. 722. *p. 1. Jur. nat.*). Quamobrem nemo sociorum facere debet, quæ fini societatis quomodocunque adversantur. *Quod erat unum.*

Si quis obligatur ad aliquid faciendum, tum moraliter necesse est ut faciat (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neque adeo in arbitrio ipsius positum, utrum facere velit, an nolit. Quamobrem cum quilibet socius facere obligetur, quod ad finem societatis consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat in specie conventum fuit (§. 7.); nemo quoque sociorum omittere debet quicquam, quod ad finem societatis consequendum conferre potest, vel ad quod faciendum in specie obligatur. *Quod erat alterum.*

Habemus adeo principium generale determinandi facta tam positiva, quam negativa in societate prohibita.

§. 19.

De negligentia sociorum prohibita. Quoniam socius negligens est, qui ea omittit, quæ ad finem societatis consequendum conferre potest, vel ad quæ facienda in specie obligatur (§. 750. *part. 1. Phil. pract.*

BIU Cujas

pract. univ.), nemo autem sociorum quicquam omittere debet, quod ad finem societatis consequendum conferre potest, vel ad quod faciendum in specie obligatur (§. 18.); *nemo sociorum negligens esse debet.*

Negligentia in genere consistit in omissione eorum, quæ certo fine fieri debent (§. 750. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem in societate negligentia sociorum consistit in omissione eorum, quæ ab ipsis ad finem societatis consequendum fieri debent. Atque adeo hinc facile judicare datur, num socius aliquis negligentiæ reus existimandus sit.

§. 20.

Quoniam negligentia consistit in omissione diligentiæ (§. 757. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque diligens est, qui negligens non est, id quod etiam ex collatione definitionum negligentiæ ac diligentiæ statim patescit (§. 750. 751. *part.* 1 *Phil. pract. univ.*), nemo autem sociorum negligens esse debet (§. 19.); *Quilibet omnino socius diligens esse debet.* *De diligentia sociorum naturaliter præcepta.*

Idem etiam ostenditur hoc modo. Unusquisque sociorum facere debet, quicquid ad finem societatis consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat specialiter conventum fuit (§. 7.). Quamobrem cum diligens sit socius, si ea omnia facit, quæ ad finem societatis consequendum facere potest, & ut ab ipso fiant, specialiter conventum fuit (§. 751. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quilibet omnino socius diligens esse debet.

Diligentia adeo virtus est, quæ socium ornat ac commendat. Cumque ea in genere consistat in commissione omnium, quæ certo fine fieri debent (§. 751 *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); diligentia sociorum utique consistit in commissione eorum, quæ ad finem societatis consequendum fieri possunt ac debent. Atque adeo hinc facile judicabitur, utrum socius aliquis sit diligens, nec ne.

§. 21.

Quoniam finis, cujus gratia societas contracta, commune societatis bonum est (§. 11.), consequenter quod fini societatis adversatur, communi bono adversatur, nemo autem sociorum facere debet, quæ fini societatis quomodocunque adversantur (§. 18.); *nemo sociorum facere debet, quæ communi bono adversantur*, consequenter *socius bonum proprium promovere nequit cum neglectu communis, vel in præjudicium communis.* *De non faciendo eo, quod communi bono adversum.*

Socius ad commune bonum promovendum pro virili obligatur (§. 12.). Quamobrem ipsi permissum esse nequit, ut faciat, quæ eidem adversantur (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Et quia negligens esse non debet (§. 19.), nec bonum commune negligere licet, ut consulat privato, multo minus autem suum quærere potest in præjudicium communis, seu cum detrimento sociorum.

§. 22.

Nemo sociorum quicquam facere debet, quod saluti societatis adversatur. Unusquisque enim sociorum salutem societatis curæ habere debet (§. 16.). Quamobrem cum per se pateat, eum salutem societatis curæ non habere, qui facit, quod eidem adversatur, lex autem præceptiva, simul sit prohibitiva contrarii (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*); nemo sociorum quicquam facere debet, quod saluti societatis adversatur. *De vitandis iis, quæ saluti societatis adversantur.*

Salus societatis consistit in non impedito progressu ad finem societatis consequendum (§. 11.). Quod adeo hunc progressum impedit sive facto, sive non facto socii; id eidem adversatur. Perpendenda hic sunt, quæ paulo ante specialius de hac cura salutis societatis commemoravimus.

§. 23.

BIU Cujas

§. 23.

Extraneus quinam dicatur.

Extraneus dicitur respectu nimirum societatis, qui membrum societatis non est. *Omnis* adeo *extraneus est non socius & contra* (§. 4.)

Extraneus vocabulum relativum est, atque adeo extraneus non dicitur nisi in relatione ad societatem, in qua quis comprehensus non est.

§. 24.

De non patiendo, ut extraneus saluti societatis officiat.

Socii pati non debent, ut extraneus saluti societatis officiat. Debent enim curæ habere salutem societatis (§. 16.), adeoque id agere, ne progressus ad finem societatis consequendum ullo modo ab alio quocunque, consequenter ab extraneo impediatur (§. 23.). Quamobrem pati minime debent, ut extraneus saluti societatis officiat.

Multa cautione hic opus est, ne propositio præsens in abusum trahatur. Primo enim commune bonum, qui finis societatis est, non confundendus cum salute societatis, quæ in non impedito progressu ad finem consequendum existit (§. 11.). Quamobrem non statim saluti societatis adversatur, quod bono communi obest. Quamvis adeo extraneus jure suo usus faciat, quod bono communi parum favet, ut, si non faceret, id magis promoveri posset; non tamen ideo dici poterit adversari saluti societatis, quoniam te non impedit, quo minus facias, quæ ad finem societatis consequendum fieri datur. Deinde quoque ipsa impedimenti notio probe expendenda, ne impedire progressum ad finem societatis consequendum putetur, qui non impedit. Qui enim agentem impedit, actione contraria efficere debet, quo minus is agere possit, dum agere vult. Ex. gr. in societate negotiatoria intendi lucrum constat tanquam finem, & id ipsum bonum societatis commune est. Potest aliquis jure suo usus anteverrere lucrum vestrum; non tamen propterea dici potest adversari saluti societatis vestræ. Enimvero si quis institorem vestrum corrumpit, ut vili pretio sibi vendat, quod multo carriori vendere poterat ac debebat; is facit, quod saluti societatis vestræ adversatur, adeoque ferendum non est. Idem eodem modo intelligitur, si dolo det damnum aliud.

§. 25.

De jure non patiendi, ut socius unus faciat, quæ communi bono vel saluti societatis ndversantur.

Consocii pati non tenentur, ut socius faciat, quæ communi bono adversantur, vel saluti societatis repugnant. Nemo enim sociorum facere debet, quæ communi bono adversantur (§. 21.) vel saluti societatis (§. 22.). Quamobrem cum sociis competat jus cogendi consocium, ut satisfaciat obligationi suæ (§. 9.), adeoque etiam jus non patiendi, ut faciat, quod eidem adversatur; consocii pati non tenentur, ut socius unus faciat, quæ communi bono adversantur, vel saluti societatis repugnant.

Nimirum quando socii societatem contrahentes inter se conveniunt, quod operam dare velint, ut conjunctis viribus finem societatis consequantur (§. 1.), adeoque bonum commune promovere, ac salutem societatis curæ habere (§. 11.), singuli quoque se universis obligant, quod nil admittere velint, quod communi bono, vel saluti societatis adversatur, atque adeo promissione mutua, qua sese sibi invicem obligant (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), singuli in universos transferunt jus non patiendi, ut quis eorum faciat, quæ communi bono adversantur, vel saluti societatis repugnant (§. 361. *part. 3. Jur. nat.*). Etenim qui se obligat, quod operam dare velit, ut ad finem societatis consequendum suum pro virili conferat; is ad ea omnia se obligasse intelligitur, quæ ad eum consequendum requiruntur, & ad non faciendum, quæ eidem adversantur, idemque in eos, quibus sese ad hoc obligat, transfert jus ipsum cogendi, ut faciat, & non patiendi, ut non faciat, quod obligationi contractæ convenit, vel faciat, quod eidem adversatur. Nimirum semper perpendendum est, quid contineat promissum, ac inde æstimanda est obligatio ac jus contrahentium, cum nemo sibi alterum obligare possit ultra voluntatem suam, nec plus ab eo juris acquirere, quam is in ipsum transferre voluit (§. 382. *p. 3. Jur. nat.*).

§. 26.

BIU Cujas

§. 26.

Si societas simpliciter contrahatur de fine quodam conjunctis viribus consequendo ; sociorum omnium eadem obligatio est , idem jus. Etenim si simpliciter dicatur , quod vires conjungere velint , qui societatem contrahunt ad finem communem consequendum ; singuli obligantur facere, quod ad finem consequendum facere possunt [§. 7.), consequenter etiam ad non faciendum, quod eidem quomodocunque adversatur , nec ad omittendum , quod facere potest (§. 18.). Omnium igitur sociorum eadem est obligatio (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat unum .* *Quando obligationes ac jura sociorum aequalia.*

Enimvero ex obligatione nascitur jus (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter quorum eadem est mutua obligatio, illis etiam eadem competunt jura. Quamobrem cum eadem sit sociorum omnium obligatio, si societas simpliciter contrahatur de fine quodam conjunctis viribus consequendo, *per demonstrata* , erit tum etiam sociorum omnium idem jus. *Quod erat alterum .*

Ostenditur etiam hoc modo. Quoniam obligationes ac jura sociorum metienda sunt ex fine societatis atque ex iis, de quibus in pacto specialiter conventum fuit (§. 10.), consequenter si nihil specialiter fuerit dictum, ex solo fine societatis ; quando societas de fine quodam conjunctis viribus consequendo simpliciter contrahitur , ex solo fine deduci debet omnis sociorum obligatio ac jus omne . Quamobrem cum ex eodem fine, quatenus conjunctis viribus consequendus, nonnisi eadem deduci possit obligatio , ac ex eadem obligatione nonnisi idem jus oriatur , quoniam nulla adest respectu diversorum sociorum unum idemque promittentium ratio diversitatis, sine qua tamen diversa quædam obligatio, vel jus quoddam diversum oriri nequit (§. 382. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*) quando societas de fine quodam conjunctis viribus consequendo simpliciter contrahitur , sociorum omnium eadem obligatio idemque jus est.

Vidimus jam in anterioribus in contrahenda societate unumquemque socium sese obligare ceteris ad commune bonum societatis promovendum & salutem ejusdem curæ habendam (*not.* §. 8.) , ita ut quoad actiones huc requisitas renunciet libertati suæ naturali , vi cujus ipsi permittendum, ut agat, quod libuerit (§. 156. *p.* 1. *Jur. nat.*) . Quodsi ergo quis sese alteri obligare noluerit , nisi in quantum alter vicissim sibi obligatur ; diversa cur esse debeat utriusque obligatio , ratio omnino nulla est , consequenter ex obligatione mutua nec diversa oriri possunt jura . Nihil ergo in propositione præsente difficultatis superest, modo rem penitius inspicias, quemadmodum fieri debet . Obligatio autem distinguenda est ab actuali præstatione ejus, quod debetur . Quamvis enim omnes socios eadem obligatio teneat, non tamen propterea necesse est, ut præstationes singulæ singulorum eædem sint : id quod non modo implicat in obligatione ad præstationes in genere definitas , veluti quod unusquisque sociorum ad finem societatis consequendum conferre debeat, quantum potest , verum etiam sæpius inutile foret , ut duo vel prorsus idem actu facerent adeoque idem bis fieret , quod semel fieri sufficiebat . Quamobrem etsi eadem sit sociorum obligatio in genere spectata, fieri tamen potest, ut unus ad quid faciendum obligetur , ad quod ceteri non obligantur, & vicissim alii obligentur ad faciendum, ad quod ipse non obligatur . Abunde hoc patebit ex tractatione speciali in subsequentibus . Idem quoque intelligitur de jure , quod ab ejes exercitio distinguendum . Quamvis enim jus prorsus idem sit, non tamen ideo necesse est, ut in ejus exercitio nulla appareat diversitas , cum unicuique jure suo uti liceat , quando occasio utendi sese offert , quæ pro diversitate circumstantiarum respectu sociorum omnium non eadem est . Absit itaque , ut diversitate præstationum ejus , quod debetur , in singulari ad diversitatem obligationis & a diversitate , quæ in exercitio juris actuali deprehenditur, ad diversitatem juris argumentari velis.

§. 27.

Si expresse conveniatur , ut unus sociorum ad aliquid præstandum obligatus sit , ad quod ceteri non sunt , vel uni cuidam competat jus , quod ceteri non habent ; sociorum omnium non eadem est obligatio , nec idem prorsus jus . Patet hoc ex definitione diversitatis in genere . Neque enim obligationes ac jura unius socii substitui possunt in locum *Quando jura & obligationes sociorum sint diversa.*

BIU Cujas

cum obligationum ac jurium alterius, ut salva maneant omnia prædicata vi eorundem utrique tribuenda: id quod diversitatem arguit (§. 183. *Ontol.*).

Propositio præsens per se satis manifesta est, ut sine probatione sumi possit; nisi omnia ad primas notiones reducere volueris; id quod in systemate Philosophiæ universæ, quale nos adornamus, minime reprehendendum.

§. 28.

De societate æquali & inæquali.

Societas æqualis est, in qua sociorum omnium eædem sunt obligationes ac jura eadem. *Grotius* de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 3. vocat *societatem sine inæqualitate*. Ast *inæqualis societas* est, in qua unius socii plures sunt obligationes vel jura plura, quam alterius, seu in qua non omnes socii iisdem obligationibus tenentur, nec eodem utuntur jure.

In societate æqualitas & inæqualitas spectari nequit nisi respectu sociorum, inter quos contrahitur. Socii autem cum considerentur tanquam personæ morales; in iisdem spectanda non veniunt nisi jura ac obligationes (§. 70. *part.* 1. *Jur. nat.*), Immo non sunt socii, nisi quatenus sese mutuo sibi invicem ad certa obligant, ac ideo certo jure utuntur. A sociorum adeo juribus atque obligationibus derivanda est omnis societatum diversitas.

§. 29.

De æqualitate sociorum.

Quoniam in societate æquali sociorum omnium eædem sunt obligationes ac jura eadem (§. 28.), personæ autem morales æquales sunt, quarum eadem sunt jura & obligationes eædem (§. 78. *part.* 1. *Jur. nat.*); *in societate æquali socii omnes æquales sunt.*

Vide, quæ de æqualitate hominum in sensu morali annotavimus (*not.* §. 78. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam vero societas pactum, vel quasi pactum est (§. 1.); æqualitas in societate oritur ex pacto, vel quasi pacto, quo ea nititur. Quamobrem cum natura homines æquales sint (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*); maxime naturale est, ne ab æqualitate in societate recedatur, nisi ratio prægnans urgeat, aut finis societatis istiusmodi sit, ut eandem non ferat.

§. 30.

An prærogativa locum habeat in societate æquali.

Quia in societate æquali sociorum omnium eadem sunt jura (§. 28.), adeoque uni præ ceteris eodem jure utentibus nullum competat jus, quod ceteri non habent, prærogativa autem jus est, quod alicui præ aliis ceteroquin eodem jure utentibus competit (§. 93. *part.* 1. *Jur. nat.*); *in societate æquali socio nulli prærogativa quædam competit.*

Quodsi adeo socius unus in societate æquali prærogativam quandam prætendit; id fine omni jure facit, adeoque a ceteris ferendum non est.

§. 31.

De jure universorum in singulos in societate æquali.

Similiter quia *in societate æquali* sociorum omnium eædem sunt obligationes atque jura eadem (§. 28.); *unus ceteris non magis obligatur, quam ipsi eidem obligantur, nec universis jus majus est in unum, quam in alium, immo uni tantundem juris est in singulos ceteros, quantum cuilibet horum in ipsum.*

Nimirum jus universorum in singulos oritur ex jure singulorum in se invicem, quatenus jura singularia in unum coalescunt, quod una exerceri debeant.

§. 32.

BIU Cujas

§. 32.

Cum in societate æquali socii omnes æquales sint (§. 29.), quod vero uni æqualium licitum, id etiam licitum alteri, & quod uni non licet, idem nec liceat alteri (§. 96. *part.* 1. *Jur nat.*); *quod in societate æquali socio uni licitum, id etiam licitum alteri, & quod uni non licet, idem nec licet alteri.* *De eo, quod in societate æquali singulis licitum.*

Jus vero non vertendum est in licentiam, quasi sine ulla restrictione facere possis, quod libet, si unus sibi hanc licentiam sumat (§. 150. *part.* 1. *Jur. nat.*). Id enim repugnat iis, quæ antea demonstrata sunt (§. 18. *& seqq.*). Quid liceat, ex jure æstimandum (§. 170. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*), non ex eo, quod socio cuidam, qui parum curat, quid sit officii sui, vel jure suo abutitur, lubet. Hoc enim cum ferendum non sit in socio (§. 9. 25.), nec tu facere potes, quia ille facit. Ita male argumentaris: socius unus negligens est. Ergo etiam mihi licet esse negligentem. Nimirum antequam ita argumenteris, inquirendum est, num quod faciat socius sit licitum. Quodsi deprehendas, id esse illicitum; inferendum erit, hoc tibi quoque non licere, nec te defendet factum consocii. Tenendum quoque est, sermonem hic non esse nisi de eo, quod in societate licitum, vel illicitum; socius enim in iis, quæ facit, hic spectatur tanquam socius, reliquæ ipsius actiones, quæ ad societatem nullum respectum habent, ad te non pertinent. Fruitur in iisdem libertate sua naturali, vi cujus ipsi permittendum quidem, quod facit (§. 156. *p.* 1. *Jur. nat.*), unde tamen tibi non nascitur jus idem faciendi. Quamvis vero hoc satis tritum ac vulgare videatur; indies tamen experimur plurimos in eo peccare, quod jus sociorum ob paritatem ad talia extendatur, quæ in eo minime comprehenduntur. Nascitur hinc præposterum studium imitandi socios, de quo plura nobis dicenda erunt, quando de Rep. acturi sumus.

§. 33.

Denique quoniam in societate æquali socii omnes æquales sunt (§. 19.), inter æquales vero nulla est præcedentia (§. 105. *part.* 1. *Jur nat.*); *in societate æquali nulli socio præcedentia competit*, consequenter cum præcedentia sit jus prioritatis in ordine a pluribus simul observando (§. 104.) *nulli socio jus prioritatis competit, si certa serie quædam fieri necesse fuerit*, adeoque *quilibet eum in serie locum occupare potest, quem casus commodum obtulerit, vel quem voluerit, nec datur in societate æquali certus quidam ordo necessario observandus.* *An præcedentia locum habeat in societate æquali.*

Nulla datur in societate æquali ratio sufficiens, cur unus præcedere debeat alterum, vel certum quendam locum occupare, si certa serie quædam fieri necesse fuerit. Ex. gr. ponamus socios æquales convenire de negotio aliquo deliberaturos; quando mensæ assidere debent, nullus observandus necessario ordo est, sed unusquisque quemlibet locum occupare potest, prout casus tulerit. Jus commune est singulis ad locum quemcunque in communione primæva ad res quascunque. Sicuti in hac quilibet rem, qua indiget, apprehendere potest pro lubitu suo; ita quoque in societate æquali naturaliter quilibet eum locum occupare potest, quem voluerit, aut sibi commodum judicaverit. Sicuti vero in communione primæva rem, quam quis apprehendit, invito eripere nequit; ita etiam in societate æquali socius alius locum socio relinquere tenetur, quem occupavit, nisi volens eundem cedat. Quodsi adeo ad ea animum advertas, quæ de communione primæva demonstrata sunt in parte secunda, quid hic juris sit, facile perspicies, nec verendum esse patebit, ut sublata præcedentia turbis aperiantur fores.

§. 34.

Cum in societate inæquali non omnium sociorum eadem sit obligatio, nec omnes eodem jure utantur (§. 28.), in sensu autem morali homines inæquales sint, quorum non eadem ac totidem sunt jura, nec eædem, neque totidem obligationes (§. 79. *part.* 1. *Jur. nat.*); *in societate inæquali socii inæquales sunt, saltem non omnes æquales sunt.* *De inæqualitate sociorum in societate inæquali.*

Nimirum non obstat, quo minus in societate inæquali quidam sint, qui eadem obligatione tenentur & eodem jure utuntur: quodsi enim æqualis esse debeat societas, necesse est ut singu-

BIU Cujas

los eadem teneat obligatio, ac singulis idem jus competat (§. 28.). Nulla autem utilitate societas, in qua socii quidam æquales, alii inæquales sunt, distingueretur a societate tam æquali, quam inæquali, tanquam ex utraque mixta, aut inæqualis subdivideretur in perfecte talem, in qua scilicet socii singuli inæquales sunt, ac imperfecte talem, in qua alii sunt æquales, alii inæquales: sed entia multiplicarentur præter necessitatem. Sane si hoc modo procedere velles, distinguenda etiam foret societas, in qua socii inæquales ceteris inter se æquales sunt, ab ea, in qua non sunt. Quodsi enim unicuique tribuas jus, quod socium inæqualem facit, & iis, qui æquales sunt, jus idem, atque hoc quoque observaveris de singulorum obligationibus; facile perspicies, subtilitates istas in distinguendo inutiles esse ac superfluas.

§. 35.

De prærogativa in societate inæquali.

Quoniam in societate inæquali socius unus vel plures jus quoddam habent, quod ceteris eodem licet ceteroquin jure utentibus non competit (§. 28.), jus autem istiusmodi prærogativa est (§. 93. *part.* 1. *Jur. nat.*); *in societate inæquali socio uni, vel pluribus prærogativa competit, immo etiam inter eos, qui præceteris prærogativam quandam habent, uni eorum prærogativa quædam competere potest.*

In casu particulari facile judicabitur, in quonam prærogativa ista consistat, nimirum in jure, quo consocios vincit. Ita ex. gr. in societate negotiatoria prærogativa socii est, si quis particeps fuerit tantummodo lucri, non vero damni, cum inter socios æquales damnum atque lucrum commune sit.

§. 36.

De præcedentia in societate inæquali.

Quoniam præcedentia prærogativa quædam est (§. 108. *part.* 1. *Jur. nat.*), in societate autem inæquali socio uni præ altero prærogativa quædam competere potest (§. 35.); *in societate inæquali præcedentia locum habet;* consequenter cum præcedentia sit jus prioritatis in ordine a pluribus simul observando (§. 104. *p.* 1. *Jur. nat.*), si idem a sociis fieri debeat eodem loco, vel tempore eodem, certus observandus est ordo.

Ita in conventibus alius prior est loco, alius posterior; &, quando in vota coeundum, alius prior fert votum, alius posterior, jure nimirum quilibet suo.

§. 37.

Intrinseca sociorum æqualitas & extrinseca inæqualitas.

Socii intrinsece æquales sunt, quorum omnia jura eadem sunt & qui iisdem prorsus obligationibus tenentur. *Extrinsece* autem *inæquales*, qui ceteroquin æquales sola præcedentia differunt.

Præcedentia nimirum per se nihil facit ad finem societatis consequendum, quod facile patet per definitionem (§. 104. *part.* 1. *Jur. natur.*). Quamobrem cum jura & obligationes sociorum, unde resultat eorum æqualitas, vel inæqualitas (§. 78. 70. *part.* 1. *Jur. nat.*), ex fine societatis metienda sint (§. 10.); inter socios æquales præcedentia ratione intrinseca destituitur, atque aliunde, quam ex natura societatis desumenda ratio ejus est, consequenter ea extrinseca ratione nititur. Atque ideo extrinsece inæquales apte dicuntur. Nimirum jura & obligationes sociorum qua talium ex natura societatis fluunt, sive immediate, quando ex fine societatis deducuntur, sive mediate, quando ex iis, quæ inde fluunt, ulterius derivantur: quæ vero præterea per conventionem accedunt, non tam ad esse, quam ad bene esse spectantia, propter rationes aliunde desumtas, adeoque extrinsecas, superadduntur.

§. 38.

De præcedentia in societate inæquali introducenda.

Qui societatem æqualem simul contrahunt, de præcedentia pro lubitu convenire possunt: qui vero postea accedunt, eum servare debent ordinem, prout in societatem veniunt. In societate enim æquali nulli socio præcedentia competit (§. 33.). Quamobrem si qui simul societatem æqualem contrahunt, ab ipsorum arbitrio unice dependet, utrum præ-

BIU Cujas

præcedentiam admittere velint, nec ne, consequenter pro lubitu de eadem convenire possunt (§. 698. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Enimvero si quis postea accedit, cum præcedentia jus sit (§. 104. *part.* 1. *Jur. nat.*), jus autem quæsitum nemini invito auferri possit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), is proximum ab eo tenere debet locum, qui in societate ultimus erat. Patet adeo qui societati jam constitutæ nomen suum dant, eum servare debere ordinem, prout in societatem veniunt. *Quod erat alterum.*

Equidem non negamus, quando plures simul in societatem coeunt æqualem, & de præcedentia convenire velint, eos non sine ratione eandem definire debere, cum nihil faciendum sit temere (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*), & ubi nulla datur ratio necessitatis, detur tamen adhuc ratio convenientiæ: quoniam tamen unicuique liberum est, in quod consentire velit, in jure autem externo non spectandum veniat, quid sit melius, aut convenientius, sed ad quid sese alter alteri obligare voluerit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*), ideo pro lubitu de præcedentia convenire possunt. Ac parum refert, quænam sint rationes, cur hoc potius, quam alio modo de præcedentia statuere velint; cum in iis, qui postea societati jam constitutæ nomen suum dant, eædem attendi nequeant, *per partem alteram præsentis.*

§. 39.

De præcedentia extraordinaria in societate casu quo aliquali concedenda.

Si quis in societatem sola præcedentia inæqualem, vel ubi is observatur ordo, prout quis in societatem venit, recipitur, consensu sociorum ei locus quicunque extra ordinem concedi potest, immo unus ei locum suum cedere potest sine præjudicio consocii alterius. Cum præcedentia jus sit (§. 104. *part.* 1. *Jur. nat.*), quilibet autem jus suum alteri cedere possit, quamdiu nihil fit contra jus tertii (§. 117 *part.* 3. *Jur. nat.*); præcedentiam quoque qui jam sunt in societate ei, qui postea in eandem venit, cedere possunt, quando nulli eorum invito præcedentia auferetur (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo quis in societatem, ubi is observatur ordo, prout quis in societatem venit, recipitur, ei consensu sociorum locus quicunque extra ordinem concedi potest. *Quod erat unum.*

Similiter quia unusquisque jus suum alteri cedere potest, quando nihil fit contra jus tertii (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), in societate, ubi is ordo observatur, prout quis in societatem venit, unus quoque sociorum ei locum suum cedere potest, quando alteri non invito auferetur præcedentia, consequenter si id fiat sine præjudicio consocii alterius. *Quod erat alterum.*

Cum cessio pendeat a voluntate cedentis, nisi quatenus prohibetur quicquam committere, quod est contra jus tertii cujusdam (§. 117. *p.* 3. *Jur. nat.*); facile patet, eorum sufficere consensum, qui jure suo quæsito privantur. Quodsi ergo ultimus ei, qui recipitur, locum suum cedat, nullius præterea socii consensu opus est. Quodsi vero non fuerit ultimus, locum suum eidem cedere nequit sine consensu eorum, qui ipsum ordine sequuntur. Hæc nimirum intelligenda sunt in statu naturali, ubi societas nullius juri subjecta est, qui de iis, quæ ad eam pertinent, pro lubitu suo disponere potest. Neque enim hic societates consideramus, nisi quales obtinent in statu naturali, ubi libertate naturali fruuntur singuli, qui in societatem coeunt, & tota societas eadem libertate gaudet respectu extraneorum. Cavendum itaque, quemadmodum in aliis, ne ad societates in statu civili contractas promiscue applicentur, quæ hic demonstrantur. Ceterum ubi nullus observatur ordo, adeoque præcedentia omnis exulat, quilibet locum, quem occupavit, alteri cedere potest, sine ullius consocii consensu, cum hac cessione nemini auferatur jus suum quæsitum, nemini jure competente nisi ad eum locum, quem ipse prior occupavit, quemadmodum jam ante monuimus (*not.* §. 33.).

§. 40.

De præcedentia in societate inæquali.

In societate inæquali ei, qui plus juris habet, vel etiam ceteris paribus ad finem societatis consequendum, seu ad commune bonum promovendum plus conferre obligatur, naturaliter præcedentia competit; nisi aliter conveniatur. Qui enim in societate inæquali plus juris habet, quam socii reliqui, is utique ceteris præfertur, & quidem vi pacti,

BIU Cujas

cti, quo ſocietas contracta (§. 10.). Quamobrem cum nulla ratio intrinſeca adſit, cur inter ſocios æquales, qui eadem habent jura, cumque iisdem obligationibus teneantur (§. 28.), idem etiam ad finem ſocietatis conſequendum, conſequenter ad commune bonum promovendum conferre tenentur (§. 11.), detur præcedentia (§. 33.); multo minus in ſocietate inæquali deprehenditur ratio, cur ſocius, qui tantundem juris habet, vel etiam minus ad bonum commune conferre obligatur, quam alter, huic præferatur, atque præcedat. Decet igitur & aptum eſt ſocio, qui plus juris habet, vel etiam plus ad commune bonum conferre obligatur, ut præcedat (§. 194. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum quod decet juri naturæ conveniat (§. 204. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eidem quoque convenit, ut in ſocietate inæquali præcedat ſocius, cui plus juris eſt vel qui ad commune bonum plus conferre obligatur. Naturaliter itaque præcedentia eidem competit.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Si per naturam ſocietatis ſocio præcedentia competere debeat, neceſſe eſt ut ratio aliqua ab ipſo ſocio qua tali, ſeu ab eo, quo a conſociis differt, deſumi poſſit, cur is præcedere debeat. Enimvero ſocii in ſocietate inæquali non differunt niſi per jura, quæ habent, atque per obligationes, quibus tenentur (§. 28.). Ratio igitur præcedentiæ petenda eſt a jure, quo ſocius unus differt ab altero, vel ab obligatione, qua bonum commune promovere tenetur (§. 12.). Quamobrem ſi de ſocio æſtimandum, utrum ſcilicet ei præcedentia debeatur, nec ne; æſtimatio fieri debet ex jure, quo ceteris ſociis præſtat, vel ex eo, quod plus ceteris ad commune bonum conferre obligatur. Naturaliter igitur præcedentia competere debet ei, qui plus juris habet, vel plus ad bonum commune conferre tenetur ſociis ceteris. *Quod erat unum.*

Enimvero quamvis in ſocietate inæquali ei, qui plus juris habet, vel qui plus ad commune bonum conferre obligatur quam ſocii ceteri, naturaliter competat præcedentia, *per demonſtrata*; cum tamen quilibet jus ſuum remittere poſſit (§. 117. *part.* 1. *Jur. nat.*), qui ſocietatem ineunt pro lubitu de præcedentia convenire poſſunt. Quod ergo de eadem fuerit conventum, id obtinebit (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Quando de præcedentia quæſtio eſt, quid deceat & aptum ſit ſociis quæritur. Atque adeo de decoro quæſtio eſt (§. 194. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & ratio convenientiæ ſufficit. Lex autem naturæ de decoro etiam diſponit (§. 204. *part.* 1. *Jur. nat.*), & quomodo diſponat, ratio convenientiæ manifeſtat. Quando itaque in ſocietate inæquali de præcedentia non convenitur, ſequendum omnino id, quod decet, & in hoc tacite conſentire intelliguntur qui ſocietatem ineunt, quando de præcedentia nihil expreſſe dicitur. Subinde adeo in omnium oculos incurrit quod decet, ut abſurdum habeatur contrarium.

§. 41.

Quomodo de præcedentia in ſocietate inæquali conveniri poſſit.

Quoniam *in ſocietate inæquali* de præcedentia pro lubitu convenire poſſunt ſocii (§. 40.); *ſi ita viſum fuerit*, in eadem *etiam nulli ſocio competere poteſt præcedentia, ſed quilibet eum occupare poteſt locum, quem caſus commodum oblulerit, vel quem voluerit*, quemadmodum in ſocietate æquali (§. 33.), *præcedentia* propter rationes extrinſecas *concedi poteſt ei, qui jure inferior eſt, vel minus quam ſocii ceteri ad bonum commune confert, vel mutuo conſenſu ſociorum certa præcedentiæ lex ſanciri poteſt.*

Stat nimirum de præcedentia conventa pro ratione ſociorum voluntas, ex qua hoc jus metiendum. Ceterum exiſtimandum non eſt, quaſi, ſublata præcedentia, nullus ſit ordo, ſed mera confuſio. Quoniam enim occupatio tribuit jus ad eum locum, quem quis prior occupavit; ordo hic oritur quaſi momentaneus, qui in caſu præſenti obtinet & in quolibet alio variabilis, cum, qui naturaliter obtinet, vel ex conventione (§. 40.), conſtans ſit, in quolibet nimirum caſu ſemper idem.

§. 42.

BIU Cujas

§. 42.

In societate quacunque quoad præcedentiam quam quis extra societatem habet, non attenduntur alia, quæ ad personam socii, sed non qua talis pertinent. Quoniam socium, tanquam personam moralem, jura & obligationes faciunt, quæ a societate veniunt (§. 70. *part.* 1. *Jur nat. & §.* 4. *h.*), in societate autem socius non consideratur nisi qua socius; in ea quoque non spectantur nisi jura & obligationes, quæ eidem tanquam socio competunt. Quando igitur de præcedentia in societate adeoque jure quodam, quod socio competere debet (§. 104. *part.* 1. *Jur. nat.*). quæstio est; naturaliter quoad eam non attenditur præcedentia, quam quis extra societatem habet, nec attenduntur alia, quæ ad personam socii, sed non qua talis pertinent. *Quænam in præcedentia socii determinanda non attendenda.*

Naturaliter adeo non repugnat, ut ultimus sit seu infimus in societate, qui extra eandem socios omnes præcedit, nec merita, quæ quis extra societatem habet, aptum efficiunt, ut in societate præcedentia eidem conferatur. Alia est existimationis, alia præcedentiæ ratio, ut nec existimatio socii, qua talis, eidem naturaliter tribuat præcedentiam, & majoris existimationis esse possit qui non præcedit, quam qui præcedit.

§. 43.

Si quis in societatem recipitur successor ejus, qui plus juris habuit, vel etiam ceteris paribus ad commune bonum plus conferre obligatus fuerat; ei naturaliter competit præcedentia, nisi aliter fuerit conventum. Etenim si quis succedit ei, qui plus juris habuit, vel etiam ceteris paribus ad commune bonum plus conferre obligatus fuerat; is in societate plus juris habet, vel etiam ceteris paribus ad commune bonum plus conferre obligatur, quod per se patet. Enimvero si quis in societate plus juris habet, vel etiam ceteris paribus ad commune bonum plus conferre obligatur, ei naturaliter præcedentia competit, nisi aliter conventum fuerit (§. 40.). Quamobrem quoque naturaliter præcedentia competit ei, qui in societatem recipitur successor ejus, qui plus juris habuit, vel etiam ceteris paribus ad commune bonum plus conferre obligatus fuerat, nisi aliter conventum fuerit. *De præcedentia successori competente.*

Socius qua socius individuum morale est, quod in diversis subjectis physicis idem subsistit. Etsi adeo individuum physicum mutetur, non tamen mutatur morale, quando circa jura & obligationes nulla mutatio accidit, cum individuum morale faciant jura & obligationes (§. 70. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quodsi ergo præcedentia adhæreat hisce juribus, vel obligationibus, si eadem cadunt in successorem, huic etiam præcedentia competit. Hæc quidem ita se habent, quamdiu aliud non placuerit. Alias enim standum est eo, quod conventum (§. 41.).

§. 44.

Quid in societate finis consequendi gratia fieri debeat, communi sociorum consensu determinandum. Socii enim ad finem societatis conjunctis viribus consequendum sese invicem sibi obligant (§. 1.), adeoque omnium est statuere, quid fieri debeat, nec cuilibet permissum est pro suo arbitratu facere, quod libuerit. Quamobrem quid fieri debeat, communi ipsorum consensu determinandum (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quinam in societate determinare debeat, quid faciendum sit.*

Finis causa societas contrahitur (§. 1.), atque adeo omnium interest, ut eundem consequantur. Finem consequi non datur sine mediis (§. 937. *Ontol.*). De mediis adeo deliberandum, & quibusnam utendum sit, statuendum. Dum adeo finis consequendi gratia vires conjungunt, omnes quoque animæ facultates uniunt, ut intellectus singulorum sit communis universorum, atque ideo de mediis deliberandum est universis & communi consensu determinandum, quibusnam uti mediis velint. Immo si permissum esset unicuique facere, quod ipsi soli visum, contrariæ voluntates haud raro in contrarium tenderent, atque adeo unus alterum impediret, quo minus

ad

ad commune bonum conferret, quod conferre poterat, aut faceret, quæ eidem adversantur: id quod utique saluti societatis foret adversum (§. 11.).

§. 45.

De actionibus sociorum certo modo determinandis.

Quoniam in societate communi sociorum consensu detetminandum, quid fieri debeat finis consequendi causa (§. 44.); *quando societas contrahitur, omnium sociorum consensu statuendum est de iis, quæ constanter ac semper eodem modo fieri debent.* Et quoniam unusquisque facere obligatur, quod ab ipso ut fiat conventum fuit (§. 7.), *quando societate contracta communi sociorum consensu statutum fuit, quænam ab iis constanter ac semper fieri debeant, juxta hasce regulas actiones suas determinare obligantur socii.*

Necesse est, ut socii in eo consentiant, quomodo bonum commune promovere velint (*not.* §. 44.), ne quid omittatur, quod finis consequendi gratia fieri debet, nec committatur, quod fieri non debet. Immo constare debet, ad quid singuli singulis, singuli universis & universi singulis obligentur, & quænam universis ac singulis competere debeant jura. Quodsi ergo in societate omnia ordine fieri debeant, quemadmodum fieri necesse est, si salus societatis omnibus ac singulis curæ cordique esse debeat (§. 12. 16.); de istis omnibus unanimi consensu statuendum est, quod commodum visum fuerit, nemini amplius liberum est facere, vel non facere, quod sibi visum fuerit, sed firmiter tenenda est regula, quæ ab universis singulis præscripta. Atque hac ratione obtinetur, ut una sit omnium voluntas, quæ est anima sociorum, quatenus unum corpus constituunt. Perinde nimirum est, ac si socii omnes simul nonnisi unica essent persona, in qua facultas cognoscitiva, appetitiva, aversativa & locomotiva nonnisi unica resideret, & socii singuli essent totidem membra ejusdem corporis, consequenter ac si actiones omnes sociorum ab eadem persona proficiscerentur, atque ad communem finem tanquam ultimum sapienter dirigerentur. Membra corporis nostri conjunctis viribus agunt, ut finem communem consequi detur. Quemadmodum itaque eadem per essentiam atque naturam suam ad id determinata sunt: ita etiam socii tanquam membra unius corporis voluntate sua facti eadem voluntate determinari debent, ut conjunctis viribus finem societatis consequantur: id quod fit eo, quem diximus, modo.

§. 46.

De legum necessitate & jure eas ferendi.

Quælibet societas suas habere debet leges & eidem competit jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant. Quando enim societas contrahitur, socii omnes consentire debent in ea, quæ constanter ac semper eodem modo fieri debent, & juxta eas regulas, in quas consenserunt, actiones suas determinare obligantur (§. 45.). Quamobrem cum regula, juxta quam actiones nostras determinare obligamur, lex sit (§. 131. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); quælibet societas suas habere debet leges. *Quod erat unum.*

Quoniam societas suas habere debet leges, *per demonstrata*, natura autem homines omnes liberi sunt (§. 146. *p.* 1. *Jur. nat.*), nec per hoc omnes simul juri alterius subjiciuntur conjunctim, quod conjunctis viribus finem quendam consequi studeant; ideo nemo alius leges ipsis præscribere potest, quomodo ad eundem contendere debeant, sed vi libertatis naturalis ipsis permittendum, ut suo stent judicio (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Societati igitur competit jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant (§. 156. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Posterius etiam ostenditur hoc modo. Quando societas contrahitur, socii omnes communi consensu statuere debent, quænam finis consequendi causa constanter ac semper fieri debeant (§. 45.). Quamobrem cum condere teneantur leges de iis, quæ ad societatem spectant (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), lex autem naturæ tribuat jus ad eos actus, ad quos nos obligat (§. 158. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eadem quoque societati tribuit jus ferendi leges de iis, quæ ad societatem spectant.

Immo idem quoque ostenditur ita. Quilibet socius obligatur facere, quod ad finem consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat specialiter conventum fuit (§. 7.). Quamobrem cum suas habere debeat leges *per demonstrata*, juxta quas determinandæ

sunt

BIU Cujas

sunt actiones ad societatem spectantes (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); lex autem naturæ tribuat jus ad ea, sine quibus obligationi satisfacere non possumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); societati quoque tribuit jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant.

Tanta est legum in qualibet societate necessitas, ut recte dixerit *Aristoteles*, nec sceleratissimam latronum societatem sine lege subsistere posse. Perinde vero est, sive leges consensu expresso condantur, sive tacito recipiantur, sequendo id, quod in istiusmodi societate moris est. Qui enim per se non sapiunt, alios imitantur. Absit itaque, ut tibi persuadeas, tum societatem esse sine lege. Sane ad mores tanquam legem provocare solent socii, si quis eorum facit, quod iisdem adversatur, atque ex iis judicium ferunt de obligationibus ac juribus socialibus. Valent autem mores instar legis, non quatenus in aliis societatibus obtinent, sed quatenus ab ea, quæ alias imitatur, approbantur, ut adeo absonum foret statuere, quasi societas una alteri præscriberet leges, quas observare deberet. Quando enim societas aliqua mores alterius sequitur, cum hoc libere faciat, perinde omnino est ac si ipsamet sibi ferret has leges, quatenus socii tacite consentiunt in hanc legem quod mores alterius societatis colere velint. Quæ enim moribus istis conformia sunt, habenda sunt pro legibus particularibus præceptivis ex generali ista fluentibus, quemadmodum illis contraria pro legibus prohibitivis & per eosdem licita pro permissivis. Ceterum facile patet, societatem in propositione præsente non præcise sumi in eo significatu, quem vocabulo vi definitionis tribuimus (§. 1.); sed eum tantisper immutari, homonymia facile permittenda. Ne tamen circa eam scrupulosioribus dubium quoddam supersit; sequentem addere lubet definitionem, quæ significatum vocabulo in propositione præsente convenientem continet.

§. 47.

Societas quoque dici solet ipsa multitudo hominum finis cujusdam consequendi causa consociatorum, seu sibi mutuo promittentium, quod conjunctis viribus finem quendam ut consequantur studere velint. Quodsi pactum, quo sese sibi invicem ad hoc obligant, *Consociationem* ad vitandam homonymiam dicere malis, per nos hoc licet. *Homonymia vocabuli societatis explicata.*

Quamvis methodus accurata requirat, ut ejusdem vocabuli idem constanter sit significatus (§. 143. *Disc. prælim.*), adeoque omnis vitetur homonymia (§. 326. *Log.*); lex tamen hæc facile admittit exceptionem, quando verendum non est, ut homonymia pariat confusionem, quia ex prædicato, quod subjecto tribuitur, statim appareret, quinam sit vocabuli significatus a definitione recedens. Ita in propositione præcedente quilibet non monitus intelligit, societatem non sumi pro pacto, quo homines consociantur, quemadmodum habet definitio (§. 1.), sed pro ipsa multitudine hominum consociatorum. Utrumque significatum probat usus loquendi, etsi prior convenientior sit ad demonstrandum ea, quæ tenenda sunt de istiusmodi consociationibus; posterior vero aptior videatur ad nonnulla enuncianda. Uterque autem cum facile discernatur ex iis, quæ dicuntur, ut nulla metuenda sit confusio, multo minus verendum, ne quæ dicuntur, perperam intelligantur; significatus posterior absque ulla scrupulositate admitti poterat, & tanto magis permittendum, ut eidem juxta priorem fiat locus, postquam perinde ac prior distincte explicatus fuit.

§. 48.

Societati integrum est leges, quando visum fuerit, tollere & immutare ac novas condere. Leges enim conduntur communi sociorum consensu (§. 45.), jure ipsis competente (§. 46.), consequenter leges sunt, quia volunt, ut sint. Quamobrem cum leges condantur de iis, quæ ad societatem spectant (§. 44.), adeoque extraneorum non interest, quibus inter se legibus utantur socii, homini autem non modo naturaliter competat jus voluntatem suam mutandi, quando mutata fertur in melius (§. 374. *part.* 3. *Jur. nat.*), verum etiam ipsi permittendum sit, ut eam actu mutet, quamdiu nil agit contra jus alterius (§. 377. *part.* 3. *Jur. nat.*); tam jure interno leges tollere, immutare ac novas condere licet, quoties bonum commune ac salus societatis hoc exigit (§. 12. 16.); quam externo, quotiescunque visum fuerit. Integrum adeo est societati leges, quandocunque visum fuerit, tollere, mutare ac novas condere. *De legum mutatione.*

BIU Cujas

Si leges tollantur, vel immutentur, in quibus nihil desiderari poterat, vel novæ condantur, quæ fini societatis parum conveniunt; non recte facit societas, atque eo nomine reprehendenda venit, immo quatenus ad recte agendum naturaliter obligamur (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univers.*), peccat (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), jure tamen externo hoc ipso permissum. Vi enim libertatis permittendum, ut suo stet judicio (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Hic potissimum respicitur jus externum, cujus fundamentum est libertas naturalis (§. 398. *p.* 3. *Jur. nat.*), societati perinde competens quoad ea, quæ ad societatem spectant, quemadmodum hominibus singulis quoad actiones suas (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quemadmodum itaque homo quilibet in agendo prorsus independens est a voluntate alterius, nec in eo dependet nisi a seipso (§. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*); ita quoque societas independens a voluntate extranei cujuscunque, nec in iis, quæ ad eandem spectant, dependet nisi a seipsa, seu consentiente sociorum voluntate, quæ societatis voluntas habetur. Leges adeo de iis, quæ ad societatem spectant, ferre ac latas iterum tollere & immutare, iisdemque alias addere potest, prout eidem visum fuerit. Ne tamen faciat, quod minus rectum est, quid expediat ex fine societatis dijudicandum (§. 7.). Sicuti vero communis sociorum consensus requiritur, quando leges primum conduntur (§. 45.); ita quoque tolli nequeunt nisi communi eorundem consensu, neque aliter etiam quicquam in iis immutari potest.

§. 49.

Quid proprie leges sint.

Leges præscribunt media, quibus finis societatis obtinetur. Societas enim contrahitur finis consequendi causa (§. 1.) Enimvero qui vult finem, media etiam velit necesse est (§. 941. *Ontol.*). Quamobrem cum communi sociorum consensu determinandum sit, quid finis consequendi gratia in societate fieri debeat (§. 44.); de mediis quoque inter se convenire iidem debent, quibus finem obtinere datur (§. 698. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam igitur quæ finis consequendi gratia decernunt, ut fiant, sunt regulæ, juxta quas actiones suas determinare obligantur socii (§. 45.), hæ autem sunt leges, quas condunt (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec nisi per eas socius unus universis obligari potest (§. 10.); ideo patet, leges præscribere media, quibus finis societatis obtinetur.

Ostenditur etiam hoc modo. Leges sunt regulæ, juxta quas socii qua socii actiones suas determinare obligantur (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter cum socii obligentur ea facere, quæ ad finem societatis consequendum faciunt (§. 7.), eædem præscribunt, quid fieri debeat, ut societas finem, cujus gratia inita (§. 1.), consequatur. Quamobrem cum ea, per quæ finem consequi datur, sint media (§. 937. *Ontol.*); leges præscribunt media, quibus finis societatis obtinetur.

Cum societas finis consequendi causa contrahatur (§. 1.); sociis quoque qua sociis non aliæ competunt actiones, nisi quæ ad finem consequendum faciunt. Hæ actiones sunt media, quibus finem consequi datur. Leges easdem determinant, atque adeo media finem consequendi præscribunt. Quoniam in societate omnia referuntur ad finem, cujus gratia inita (§. 1.); de nullis quoque actionibus sociorum disponi potest a societate, nisi quæ respectum quendam ad finem ejusdem habent. Qualescunque igitur fuerint actiones, de quibus leges disponunt, eædem semper ad finem referuntur. Quamvis vero rationes legum non semper desumantur immediate a fine; in eum tamen tandem resolvuntur, aut certe resolvi debent. Quodsi contingere supponas, ut feratur lex, cujus ratio a fine non derivatur, ea perperam pro lege societatis habetur. Et si vel maxime ad eam sancte colendam sese sibi invicem obligent socii; non tamen obligatio hæc venit ex societate, sed ex promissione societati extrinseca, quæ etiam fine ea locum habere poterat. Ex. grat. Ponamus socios inter se convenire, quod decimam lucri partem pauperibus dare velint. Hac lege quidem tenentur singuli; non tamen qua socii, sed quatenus pacto, quod adjicitur societati, obligantur. Nimirum hoc in casu perinde est, ac si quis de suo certam partem pauperibus dare sese ceteris obligasset.

§. 50.

De necessitate custodiæ legum ad salutem societatis.

Quoniam leges præscribunt media, quibus finis societatis obtinetur (§. 49.), fine mediis autem is obtineri nequit (§. 937. *Ontol.*); ad finem societatis consequendum progredi non datur sine legum custodia (§. 138. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter

ter cum salus societatis in non impedito progressu ad finem societatis consequendum consistat (§. 11.); *sine legum custodia salus societatis subsistere nequit.*

Quando leges servantur, socii singuli faciunt, quod iisdem præscribitur (§. 138. *part. 3. Phil. pract. univ.*). Atque ita progrediuntur, quantum in ipsis est, ad finem societatis consequendum. Salus adeo societatis tanta est, quanta per socios esse potest (§. 11.). Quodsi enim extrinsecus adveniant impedimenta inevitabilia atque insuperabilia; id referendum inter adversa, quæ toleranda, mutari autem non possunt. Salutem societatis unusquisque sociorum curæ habere debet (§. 16.), sed quantum in potestate est, cum ad impossibilia nemo sese alteri obligare possit (§. 209. *p. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 51.

Quoniam sine legum custodia salus societatis subsistere nequit (§. 50.), unusquisque vero sociorum salutem societatis curæ habere debet (§. 16.); *in societate ferendum non est, ut a lege recedatur, aut ab uno vel altero socio fiat, quod eidem adversatur*, consequenter *transgressio legum minime ferenda* (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *De transgressione legum non ferenda.*

Nosse media, quibus finis obtinetur, non sufficit, ut eum consequaris, sed si consequi velis, iisdem utendum. Quamobrem si finis societatis obtineri, nec ea gratis contracta esse debeat (§. 1.), non sufficit condere leges salutares, sed curandum inprimis ut serventur. Legum adeo transgressio minime ferenda (§. 138. 139. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi leges non serventur perinde est, ac si nullæ essent. Nil prosunt leges quam maxime salutares, nisi serventur. Haud postrema igitur cura societatis est, omni modo præcavere, ne contra leges quid committatur, utendo suo jure, quod universis in singulos competit (§. 9.).

§. 52.

Societati jus est sanciendi pœna legum observantiam, tum etiam præmia proponendi, qui observaverit. Etenim societati competit jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant (§. 46.), & transgressio legum minime ferenda (§. 51.). Singuli adeo socii obligandi sunt ad legum observantiam (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ad servandam legem positivam, quales sunt leges societatis (§. 44. *h.* & §. 149. *part. 1. Phil. pract. univ.*), homo aliter obligari nequeat, quam pœnis atque præmiis (§. 300. *part. 1. Phil. pract. univ.*); societati jus est sanciendi pœna legum observantiam, tum etiam præmia proponendi, qui observaverit. *De jure pœnarum & præmiorum.*

Quoniam societas pactum, vel quasi pactum est (§. 1.); socii sibi invicem promittunt, aut promittere saltem præsumuntur, quod stare velint iis, de quibus fuerit conventum (§. 788. *part. 3. Jur. natur.* & §. 45. *h.*), consequenter quod leges observare velint (§. 131. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 45. *h.*). Atque adeo ex promissione ista nascitur obligatio observantiæ legum (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*), quam obligatio naturalis firmat, quatenus lex naturæ pactorum observantiam injungit (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*). Hactenus itaque socii naturaliter obligantur observare leges. Idem etiam patet hoc modo. Unusquisque sociorum salutem societatis curæ habere debet (§. 16.). Quamobrem cum sine legum custodia, vel observantia salus societatis consistere nequeat (§. 50.); unusquisque sociorum naturaliter obligatur servare leges. Enimvero naturalis ista obligatio non semper efficax est, quia indies experimur, homines non semper sua veluti sponte facere, quod est officii sui, ac suo loco rationes reddemus evidentes, cur in eo vel negligentes, vel refractarios sese præbeant. Contingit itaque etiam in societate, ut legem, quam observare debebant, transgrediantur socii. Ubi ergo obligatio naturalis non sufficit, ut caveatur, ne quid contra leges, salutis societatis fulcrum (§. 50.), committatur; obligatio positiva requiritur, tanquam medium unicum cohibendi transgressionem legum. Enimvero obligatio positiva sine sanctione pœnali, qua pœna adjicitur legi positivæ (§. 289. *p. 1. Phil. pract. un. v.*) & præmiorum promissione introduci nequit (§. 301. *part. 1. Phil. pract. univ.*); legum adeo observantia in societate pœna sancienda, vel præmiorum etiam promissione procuranda. Ipsa igitur lex naturæ societati tribuit jus sanciendi pœna legum observantiam, tum etiam præmia proponendi, qui observaverint (§. 159. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Nimirum omnis obligatio positiva vim suam accipit a naturali, & jus positivum defendit ipsa lex naturæ; alias

BIU Cujas

enim illa coactio physica illicita, & hoc impunitas agendi inter homines erit. Non igitur inconsultum duximus originem juris pœnarum in societate altius repetere. Ceterum facile patet, pœnarum metu caveri, ne socii contra legem quid committant, præmiis autem obtineri, ut in legibus observandis magis circumspectos ac diligentes sese præbeant. Quando vero præmiis, quando pœnis sancienda sit observantia legum, & quibusnam præmiis ac pœnis locus sit, in casibus particularibus rectius ostendetur.

§. 53.

Quomodo pœna & præmia decerni debeant.

Quoniam societatis jus est sanciendi pœna legum observantiam, tum etiam præmia proponendi, qui observaverint (§. 52.), quicquid vero in societate finis consequendi gratia fieri debet, communi sociorum consensu determinandum (§. 44.); *pœnæ ac præmia legibus addenda decerni debent communi sociorum consensu.*

Pœnæ adeo ac præmia, quibus introducitur in societate obligatio positiva a naturali distincta & ad eam accedens eandemque firmans (*not.* §. 52.), efficiuntur voluntate sociorum, ac ideo humana sunt, non naturalia; quicquid enim voluntate hominum constituitur, humanum est, naturale autem, quod ipsa natura constituit.

§. 54.

Quales ac quantæ pœnæ, qualia ac quanta præmia esse debeant.

Quia pœnæ ac præmia decernenda sunt communi sociorum consensu (§. 53.), *pœnarum ac præmiorum qualitas & quantitas a voluntate sociorum dependet*: quoniam tamen per pœnas ac præmia intenditur observantia legum (§. 52.), tanquam finis (§. 617. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque eadem media sunt, quibus id obtineri debet, ut socii singuli leges observent, nil vero contra eas committant (§. 937. *Ontol.*); *tales ac tantæ legibus addendæ sunt pœnæ, quæ ad cohibendam legum transgressionem, quantum datur, sufficiunt, talia ac tanta proponenda sunt præmia, quæ observantiam totam appetitui commendant, seu ad hoc sufficiunt, ut appetitus rationi obediat.*

Pœnæ equidem & præmia arbitraria sunt, quatenus ab arbitrio sociorum dependet, num & qualia ac quanta præmia legum observantiæ addere velint: arbitrium tamen ratio regit, ne jus pœnas ac præmia legibus addendi vertatur in licentiam, ac a vitiis labem contrahat exercitium juris. Lex naturæ dat societati jus ad pœnas & præmia decernendum (§. 52.), ast non in specie determinat illorum qualitatem ac quantitatem: quatenus tamen obligat ad recte (§. 189. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), sapienter atque prudenter agendum (§. 254. 258. *part.* 1. *Jur. nat.*), pœnæ quoque ac præmia, sive qualitatem, sive quantitatem spectes, ita determinanda sunt, sicuti ratio, sapientia ac prudentia jubet. Oppido adeo falluntur, qui arbitrium sociorum adeo liberum censent, ut eorum voluntas sit loco rationis, quasi illud nulla prorsus lege regatur. Nimirum quando pœnæ ac præmia constituta sunt, sociis singulis rationis loco est voluntas universorum; ast quando constitui debent, aliæ omnino rationes attendendæ sunt, ne quid constituatur, quod minus rectum sit, aut sapientiæ ac prudentiæ adversum. Idem intelligitur de legibus humanis & de iis, quæ arbitrii humani esse dicuntur, in genere. Quodsi homines lubenter facerent, quod est officii sui, consequenter socii, ad quod faciendum obligantur; nullis opus esset pœnis, nec locus esset præmiis. Enimvero quia non omnes rationi obediunt, sed appetitu in transversum aguntur; ideo pœnis a deviis retrahendi & præmiis in viam rectam alliciendi.

§. 55.

De obligatione sociorum ad pœnam subeundam & præmia præstanda.

Socii singuli obligantur universis ad pœnam subeundam, si contra legem, cujus observantia pœna sancita, quid commiserint, & universi se obligant singulis, quod præmia observantiæ legum adscripta præstare velint. Quoniam enim pœnæ communi sociorum consensu legibus adduntur (§. 53.), singuli declarant, quod pœnam subire velint, si contra legem quid commiserint, seu eam non observaverint, atque in universos transferunt jus eam a se exigendi, cum alias frustra decernerentur, consequenter singuli promittunt universis, quod pœnam subire velint, si quid contra legem commiserint, cujus observantia pœna sancita (§. 361. *part.* 1. *Jur. nat.*). Enimvero homo ho-

BIU Cujas

homini promittendo perfecte sese obligat (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem singuli socii sese obligant universis ad pœnam subeundam, si contra legem, cujus observantia pœna sancita, quid commiserint. *Quod erat unum.*

Non absimili modo ostenditur, universos sese obligare singulis, quod præmia observantiæ legum adscripta præstare velint, quatenus nimirum communi consensu facta præmiorum utpote ab universis præstandorum adscriptio continet horum promissionem, quæ fit singulis. *Quod erat alterum.*

Temere pœnæ ac præmia legibus adderentur, nisi qui legem violant obligarentur ad pœnam subeundam ac qui legem observant jus haberent præmium exigendi. Quoniam itaque dum de pœnis ac præmiis conveniunt socii, iidem non intelliguntur nihil agere velle; necesse omnino est, ut singuli sese obligent universis ad pœnam subeundam & universi singulis ad præmium præstandum.

§. 56.

De merito pœnæ ac præmii.

Quoniam socii singuli se obligant universis ad pœnam subeundam, si contra legem, cujus observantia pœna sancita, quid commiserint, universi se obligant singulis, quod præmia observantiæ legum adscripta præstare velint (§. 55.), mereri autem dicimur id, ad quod patiendum ab aliis ob actiones malas obligamur, tum etiam illud, ad quod ob actiones bonas alii nobis obligantur (§. 785. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *qui contra legem, cujus observantia pœna sancita est, quid committit, pœnam meretur, præmium vero, qui legem observavit, cui præmium adscriptum.* Unde porro patet, *meritum pœnæ consistere in obligatione pœnam subeundi, meritum autem præmii in jure præmium exigendi* (§. *cit.*).

Quod pœnæ meritum dicimus, a scholasticis demeritum appellatur, qui meritum in bono, demeritum in malo sensu accipiunt. In sensu ecclesiastico *Reatus* dicitur, qui significatus etiam apud Jurisperitos invaluit, miro, ut ait *Stephanus* in Thesauro L. L. errore. Quemadmodum vero significatus vocabulorum vulgo admodum vagus est, ita etiam tam demeritum, quam reatus pro crimine seu actione pœna digna accipitur. Sed consultius nobis fuit retinere vocabulum meriti in eo significatu, quem eidem tribuimus (§. 785. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & ab usu veterum non abhorrere putamus, cum usu autem loquendi vernaculo consentire palam est.

§. 57.

De jure puniendi socium.

Quoniam socii singuli se obligant universis ad pœnam subeundam, si contra legem, cujus observantia pœna sancita, quid commiserint (§. 55.), ex obligatione autem passiva nascitur jus alteri, cui obligati sumus (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), *universis competit jus puniendi socium, si contra legem cujus observantia pœna sancita est, quid commiserit*, immo cum sanctione pœnali introducatur obligatio positiva (§. 291. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque sociis singulis imponatur necessitas observandi legem (§. 118. 138. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *si quis socius contra legem, cujus observantia pœna sancita est, quid commisit, ab universis puniri actu debet, seu pœna ab eo exigenda.*

Finis pœnarum est observantia legum, quippe quæ per eam intenditur. Qui vult finem consequi, is etiam medio uti debet (§. 941. *Ontol.*). Nisi pœna exigeretur, metus pœnæ cessaret, quo a delinquendo abstrahendus, qui cupidine contra legem quid committendi corripitur. A jure adeo legis observantiam pœna sanciendi jus puniendi separari nequit & finis pœnæ efficit exactionem necessariam, ut omitti non possit sine detrimento societatis. Quamvis autem metus medeatur appetitui sensitivo ad actionem legi contrariam proclivi tanquam affectus, qui in eodem residet (§. 603. *Psych. empir.*); non tamen propterea desinit esse pœna motivum voluntatis, quatenus intellectus judicio melius censetur omittere actionem lege prohibitam, vel committere præceptam, quam illam committendo, hanc omittendo incurrere malum physicum, in quo pœna consistit (§. 285. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): mali enim repræsentatio utique motivum voluntatis (§. 890. *Psych. empir.*), & repræsentatio boni, qualis est evitatio mali (§. 756. *part.* 1. *Jur. nat.*), motivum voluntatis est (§. 890. *Psych. empir.*). Qui adeo pœnam legi addit non aliud agit, quam ut motivum actionis omittendæ, vel committendæ cum eadem conjungat. Atque adeo obligatio

activa

BIU Cujas

activa hic quoque est connexio motivi cum actione, quemadmodum eandem in genere definivimus (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamvis enim metu pœnæ producatur obligatio passiva, qui tamen alterum obligare eodem vult ad actionem omittendam, vel committendam, non cum illius commissione, hujus omissione connectit metum, sed malum physicum, cujus repræsentatione oritur metus.

§. 58.

De promissione ejus, qui in societatem recipitur.

Qui in societatem recipitur, promittere tenetur legum societatis observantiam, &, nisi expresse promittat, tacite tamen eandem promittere intelligitur. Etenim in societate ferendum non est, ut a lege recedatur, vel a socio quodam fiat, quod eidem adversatur (§. 51.). Nemo igitur in eandem recipi potest nisi sub hac conditione, quod leges societatis servare velit. Quamobrem aut expresse promittere tenetur legum observantiam (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*), aut, ubi hoc non fit, tacite tamen eandem promittere intelligitur.

Quando quis in societatem se recipi patitur, eo ipso declarat, quod iisdem obligationibus teneri velit, qua tenentur reliqui, nec alia affectet jura, quam quæ ceteris competunt, cum illæ obligationes ac jura ista efficiant socium (§. 70. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec peculiare quid sibi stipuletur. Ipsa igitur declaratio, quod quis socius esse velit, etiam continet promissionem observantiæ legum, sine qua salus societatis consistere nequit (§. 50.). Expressa igitur promissio, qua opus non erat, ex abundanti accedit, quatenus superflua non nocent.

§. 59.

De promissione ejus, qui quasi pactum recipitur.

Quoniam qui in societatem recipitur, tacite observantiam legum societatis promittere intelligitur, nisi expresse promittat (§. 58.); *qui ex quasi pacto in societatem recipitur*, cum expresse nil promittat, *legum societatis observantiam promittere præsumitur* (§. 504. *part.* 5. *Jur. nat.*).

Nimirum qui in societatem expresse consentit, is tacite consentit in ea omnia, ad quæ tanquam socius obligatur, consequenter etiam in leges, quæ media præscribunt ad finem consequendum necessaria (§. 491.), cumque expresse promittat, se socium esse velle (§. 1. *h.* & §. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), tacite quoque legum observantiam, sine qua salus societatis consistere nequit (§. 50.), promittit. Quamobrem qui in societatem consentire præsumitur, is etiam præsumitur consentire in leges ac promittere legum observantiam. Ipsa lex naturæ præsumit consensum in eo, quem ad consentiendum obligat, quando per datas circumstantias consentire nequit. Clarius hoc elucescet in casu particulari, ubi societas quasi pacto contrahitur.

§. 60.

De obligatione eorum, qui in societatem recipiuntur.

Cum qui in societatem recipitur promittere teneatur legum societatis observantiam & nisi expresse promittat tacite tamen eandem promittere intelligatur (§. 58.), quando autem per quasi pactum recipitur, eandem promittere præsumatur (§. 59.), ex promissione autem oriatur obligatio perfecta ad promissum adimplendum (§. 363. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*); *quamprimum quis in societatem recipitur, ad legum societatis observantiam obligatur.*

Quando quis in societatem recipitur, membrum illius seu socius fit (§. 4.), adeoque statim in eum cadit omnis obligatio, quæ tenet socium. Cum ipsa igitur receptione oritur obligatio ad observantiam legum, a quibus ut recedat socius in societate ferendum non est (§. 51.). Concipere socium absque obligatione ista perinde est, ac triangulum concipere velle sine æqualitate angulorum cum duobus rectis, quia jura ac obligationes ad societatem spectantia efficiunt socium (§. 70. *part.* 1. *Jur. nat.*), perinde ac tres anguli ex concursu trium rectarum resultantes a triangulo separari nequeunt, unde porro necessario consequitur eorundem cum duobus rectis æqualitas, quemadmodum in Elementis demonstratur.

§. 61.

BIU Cujas

§. 61.

De declaratione voluntatis suæ in consultationibus.

Singulis sociis jus est declarandi voluntatem suam de eo, quod fieri debet in casu emergente, qui ad societatem spectat. Cum enim societati proposítum sit conjunctis viribus finem quendam consequi (§. 1.); si casus quidam emergit, qui ad societatem spectat, de eo deliberandum, quid finis consequendi causa fieri debeat. Quoniam itaque communi sociorum consensu determinandum, quid finis consequendi gratia fieri debeat (§. 44.); necesse omnino est, ut unusquisque declaret voluntatem suam de eo, quod fieri debet (§. 638. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Patet itaque singulis sociis jus esse declarandi voluntatem suam de eo, quod fieri debet in casu emergente, qui ad societatem spectat (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Consultatio, qua disquiritur, quid sit agendum, vel non agendum (§. 498. *part.* 1. *Theol. nat.*), præcedit decretum (§. 499. *part.* 1. *Theol. nat.*), quo determinatur voluntas ad agendum, vel non agendum (§. 497. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quoniam communi sociorum consensu determinandum, quid finis consequendi causa in societate fieri debeat (§. 44.), si casus quidam emergit, in quo tale quid determinandum, socii omnino consultare debent de eo, quod fieri debet, atque voluntatem suam de eodem declarare. Jus adeo eandem declarandi nascitur ex ipsa obligatione conjunctis viribus bonum commune pro virili promovendi (§. 12.), cum finis societatis obtineatur, quando id promovetur (§. 11.).

§. 62.

Suffragium vel votum quid sit.

Declaratio voluntatis suæ de eo, quod plurium consensu determinandum, dicitur *suffragium*, minus quidem Latine, attamen usitatius *Votum*.

E. gr. Si certo collegio competit jus eligendi ministrum ecclesiæ, singulorum membrorum consensu determinanda est persona, cui hoc munus conferendum. Quando igitur unusquisque declarat, cuinam personæ hoc munus conferri debeat; declaratio ista dicitur votum. Et qui voluntatem suam declarat, *votare* dicitur, Latinius *ferre suffragium*. Votare nimirum, quod vocabulum posterioris Latinitatis est, proprie idem significat, quod vovere. Enimvero cum rerum cognitioni jam studeamus: consultius est retinere vocabula usitata, ut quæ dicuntur & facilius intelligantur, & suo loco applicentur, quamvis apud probatos autores in eo significatu ea non occurrant.

§. 63.

De jure votandi.

Quoniam singulis sociis jus est declarandi voluntatem suam de eo, quod fieri debet in casu emergente, qui ad societatem spectat (§. 61.), consequenter quando consultatur (§. 498. *part.* 1. *Theol. nat.*), hæc autem declaratio votum est (§. 62.); *sociis singulis jus votandi competit*, seu *singuli votum habent*. Quoniam tamen non modo quilibet juri suo, quod naturaliter ipsi competit, renunciare potest (§. 18. *part.* 3. *Jur. nat.*), verum etiam de iis, quæ ad societatem spectant, leges condere possunt socii (§. 46.); ideo *non repugnat, ut socii quidam non habeant votum, & quod de jure votandi sancitum, id valet*, consequenter *nemo sibi votum arrogare potest, qui per leges habere nequit*.

Naturale omnino est, ut socii singuli habeant votum, quia voto declaratur, quid finis consequendi causa fieri, vel non fieri debeat (§. 62.), hoc vero communi sociorum consensu determinandum (§. 44.). Quoniam tamen jura sociorum etiam metienda sunt ex eo, de quo in pacto, quo societas inita, specialiter fuit conventum (§. 10.), & quando societate contracta communi consensu quid statutum fuit, id singulis observandum (§. 45.); de jure votandi socii sancire possunt, quod placuerit, atque adeo tenendum erit, quod statutum fuerit. Quodsi vero de eo nihil fuerit definitum, in id consensisse videntur socii, dum societatem contraxerunt, quod naturale est: hoc enim immutatum tacite non intelligitur. Quando paciscuntur homines,

BIU Cujas

mines, illud naturale est, quod fluit ex eo, in quod in genere consenserunt, quia de hoc nihil convenientes in id tacite consensisse censendi, quod naturale est. Quoniam tamen nemo sibi alterum obligare potest ultra voluntatem suam, nec plus juris ab eo acquirere, quam is in ipsum transferre voluit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); ideo, quod naturale, non ejus necessitatis est, ut immutari non possit.

§. 64.

Voti affirmativi & negativi definitio.

Votum affirmativum dicitur, quo quis declarat, se velle, ut quid fiat, vel suam de eo, quod fieri debet, voluntatem: ast *negativum* vocatur, quo quis declarat, se nolle, ut quid fiat, seu suam de eo, de quo consultatur, noluntatem.

Quando enim consultatur, de eo quæritur, quid fieri debeat, vel non fieri debeat. Quodsi quidam affirmant, fieri debere, alii negant; illorum vota affirmativa, horum negativa sunt; si negent omnes erunt vota omnium negativa. Sunt vero adhuc vota affirmativa, si quidam volunt hoc fieri debere, alii vero aliud. Vota igitur non modo affirmativa & negativa, verum etiam affirmativa inter se contendere possunt.

§. 65.

Vota quantio consentientia, quando dissentientia.

Vota consentientia dicuntur eorum, quibus idem placuerit, seu qui ejusdem sunt sententiæ: *dissentientia* vero illorum, quibus diversa placent, aut quorum sententiæ in diversum abeunt. Per se patet, *vota tam affirmativa & negativa dissentientia esse, quam etiam affirmativa dissentientia esse posse* (§. 64.).

Denominatio votorum consentientium & dissentientium derivatur a notione consensus ac dissensus (§. 658. 659. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sunt vero vota consentientia eadem (§. 181. *Ontol.*); dissentientia diversa (§. 183. *Ontol.*).

§. 66.

Vota unanimia majora & minora quænam sint.

Vota unanimia dicuntur, quando vota omnium consentientia sunt. *Vota majora* sunt vota consentientia majoris partis; *minora* vero consentientia partis minoris eorum, qui suffragia ferunt. Votum majorum conjunctio *Pluralitas votorum* appellari solet.

Quando vota unanimia sunt, omnium votantium eadem est sententia, idemque animus, ut adeo ab uno intellectu & una eademque voluntate profecta videantur; id quod etiam de consentientibus intelligitur. Qui enim idem volunt, eorum de eadem re idem intelligitur judicium.

§. 67.

Paria quando sint vota.

Vota paria dicuntur, quando consentientium ac dissentientium idem est numerus, seu quando pro utraque contradictionis parte, vel duabus sententiis totidem sunt vota.

E. gr. Si duodecim fuerint, qui suffragium ferunt, & sex affirment aliquid fieri debere. Qui affirmant utique inter se consentiunt, seu ejusdem sunt sententiæ; qui vero negant id fieri debere, illis diversa placent, adeoque vota eorum ab illorum votis dissentiunt. Erunt igitur vota paria. Paritati votorum obstat, si qui dissentiunt inter se non consentiant: non sufficit nimirum, ut dimidia pars eorum, qui suffragium ferunt, inter se consentiant. Si enim in exemplo, quod dedimus, sex fuerint, qui inter se consentiunt; quibus non idem placet, hi omnes quidem ab iisdem dissentiunt, quamvis eorum quoque sententiæ non sint concordes, ut adeo sex consentire, sex ab illis dissentire recte dicantur, nondum tamen inde sequitur votorum paritas.

§. 68.

BIU Cujas

§. 68.

Negotium dicitur complexus omnium actionum ad aliquid obtinendum, vel efficiendum requisitarum. *Negotium* adeo *cognoscit, qui actiones omnes ad id obtinendum vel efficiendum requisitas perspectas habet, cujus obtinendi, vel efficiendi causa agitur.* *Negotium quid sit & in quo consistat ejus cognitio.*

Negotium hic definimus in genere tribuendo vocabulo omnem significatus latitudinem, quam habere potest. Ita negotium est contrahere matrimonium, ad id enim contrahendum plures requiruntur actiones, & qui eas omnes cognoscit, negotii hujus notitiam habet. Similiter librum conscribere negotium est, & qui novit, quænam sibi agenda sint, ut is conscribatur, negotium hoc cognoscit. Liberos educare negotium est, & is, qui omnes actiones ad educationem liberorum requisitarum perspectas habet, negotium hoc agnoscit. Statuam facere negotium est, & qui novit, quænam facienda sint, ut statua efficiatur, negotium hoc cognitum habet. Cultus divinus negotium est, & qui novit quænam actiones ad eundem requirantur, negotium istud cognoscit. Exempla, quæ hic damus, abunde loquuntur, quam late pateat negotium, & quam multa negotiorum sint genera, horumque species. Non itaque mirum videbitur, quod in eo definiendo terminis admodum generalibus utendum fuit. Nostrum autem in præsenti non est, omnia negotia humana reducere ad sua genera & iis subordinare suas species. Definitione enim generali, quæ scopo præsenti satisfacit, contenti esse possumus ac debemus.

§. 69.

Negotium exitum habere dicitur, quando id obtentum, vel effectum fuit, cujus obtinendi, vel efficiendi causa agebamus. *Quando negotium habeat exitum.*

Ita negotium in iis, quæ modo dedimus exemplis (*not.* §. 68.), perfectum est, si matrimonium consummatum, si liber fuerit conscriptus, si liberi fuerint educati, si statua perfecta, si cultus divinus peractus. Notandum vero est, haud raro negotium aliquod tanquam totum continere plura negotia particularia tanquam partes. Quemadmodum enim actiones humanæ plerumque compositæ sunt, ita ut ex pluribus simplicibus internis atque externis tanquam totum aliquod ex suis partibus constet, & ex compositis simplicioribus denuo oriantur nova conjunctione aliæ magis compositæ; ita quoque negotia simpliciora ingrediuntur alia composita, & ex compositis simplicioribus nascuntur magis composita. Hinc distinctæ notiones actionum atque negotiorum formantur resolvendo composita in simpliciora, & notiones adæquatæ evadunt, si continua resolutione tandem deveniatur ad actiones irresolubiles (§. 682. 683. *Log.*). Philosophia practica tota occupetur in actionum humanarum & negotiorum analysi, quæ cum hactenus non satis fuerit expensa, ea quoque multiplici adhuc laborat defectu, nec nova indies capere potest incrementa, quemadmodum Matheſis.

§. 70.

Quoniam negotium exitum habet, quando id obtentum, vel effectum fuit, cujus obtinendi vel efficiendi causa agebatur (§. 69.); *si negotium non habeat exitum, frustra, adeoque revera nihil agitur.* Quamobrem cum negotium tractans aliquid agere velit (§. 68.); *negotia exitum habere debent*, consequenter *curandum est, ut exitum habere possint.* *Quod habere debeat.*

Principium hoc fœcundissimum est in omni philosophia practica cum ad demonstrandum, tum ad operandum.

§. 71.

Quando vota inter se contendunt, *meliora* dicuntur eorum *vota*, quorum de eo, quod fieri debet, judicium verius est. *Vota meliora quanam sint.*

Qui enim de negotio aliquo consultant, judicare debent, quid fieri debeat, aut non fieri. Quamobrem cum in omni negotio aliquid intendatur tanquam finis (§. 68. *h.* & §. 932. *Ontol.*),

BIU Cujas

de eo quæritur, quomodo finis iſte obtineatur. Qui ergo votum fert, is pronunciat, quomodo finem propoſitum obtineri poſſe ſibi videatur. Nemo igitur negaverit judicium eſſe debere verum, ſcilicet quod hoc modo finem intentum conſequi detur (§. 505. *Log.*). Enimvero fieri poteſt, ut, quando eundem non uno modo conſequi poſſumus, modus unus præſtet altero, adeoque verius erit ejus judicium, quod finem certius, breviori via, facilius & ſi non ex aſſe, ſaltem majore ex parte conſequi inſinuat. Immo contingit etiam, ut judicium aliquod veritatem quidem attingat in genere, quatenus ſcilicet conſentaneum eſt principiis generalibus, attamen ab eadem recedit quoad circumſtantias ſpeciales, quæ attendendæ erant in caſu præſenti, atque adeo veritatis quidem aliquid continet, ſed non omnem, conſequenter aliud verius eſſe poteſt. In caſu particulari facilius diſcernere, quid veri ſubſit judicio, modo ſufficiens adſit acumen. Ceterum hinc patet, cur in definitione præſente non dicamus, votum melius requirere judicii veritatem, ſed ſaltem, quod verius eſſe debeat. Accedit, quod in rebus humanis utplurimum acquieſcendum ſit in probabilitate, atque adeo judicium ſit verius, quod probabilius. Unde etiam votum habetur melius, ſi judicium, quod fertur, fuerit probabilius.

§. 72.

De votorum ponderatione.

Vota ponderari dicuntur, quando inquiritur, quænam ſint meliora. Quamobrem cum vota meliora ſint, quando judicium de re propoſita verius (§. 71.), conſequenter etiam quando idem probabilius (§. 579. *Log.*), de probabilitate autem & veritate difficulter judicari, nemo non abſque probatione admittat; *vota difficulter ponderantur.*

Ponderatio votorum ſupponit theoriam negotii, de quo conſultatur, ne deſint principia, ex quibus judicandum, quid ſit verum, vel probabile. Supponit quoque dexteritatem regulas Logicæ applicandi, aut, ſi mavis, habitum demonſtrandi. Immo quando de probabilitate quæſtio eſt, ſupponit modum probabilitatem æſtimandi, qui ad Logicam probabilium pertinet. Quodſi præſentem diſciplinarum ſtatum perpendamus, & quænam ſit Logica docens genuina (§. 26. & *ſeqq. Log.*), quantum ad hoc requiratur, ut logicam artificialem utentem poſſideamus (§. 12. *Log.*), præterea non ignoremus, Logicam probabilium adhuc in deſideratis eſſe; de difficultate ponderandi vota non amplius dubitabimus.

§. 73.

De diſſenſu in ponderandis votis.

Quia *vota* difficulter ponderantur (§. 72.), *mirum non eſt, ſi ponderari debeant, unumquemque in iiſdem ponderandis ſuo abundare ſenſu*, conſequenter *non ſperandum eſſe conſenſum patet.*

Quodſi ad animum revocaveris ea, quæ votorum ponderationem difficilem reddunt (*not.* §. 72.), & præterea conſideraveris homines quoque in hoc negotio plus ſperare de facultatibus ſuis, quam in iis eſt, quia ponderandi impotentiam non agnoſcunt; facile perſpicies, cur in votis ponderandis quilibet ſuo abundet ſenſu.

§. 74.

Concluſum quid ſit.

Conſultantes *concludere* dicuntur, quando votis inter ſe collatis determinatur, quid fieri, aut non fieri debeat. Unde *Concluſum* dicitur, quod fieri aut non fieri debere per vota determinatum, vel determinatio ejus, quod fieri, aut non fieri debet per vota, ſeu ſententia conſultantium de eo, quod fieri vel non fieri debet, ex votis illata.

Nimirum qui conſultant, ſtatuere debent, quid in caſu dato ſit faciendum, aut non faciendum. Quando ſuffragia feruntur, unuſquiſque ſententiam ſuam declarat. Ex votis itaque quando colligitur, quænam ſententia valere debeat, tum concluditur, & ea ſententia, in quam deliberantes conſentiunt, concluſum appellatur. Dicendum erat rectius decretum (§. 497. *part.* 1. *Theol. nat.*); ſed terminus receptus eſt concluſum, etſi minus Latine dicatur. Retinendus vero eſt terminus inter nos uſu receptus (*not.* §. 62.). E. gr. Si judices deliberant, utrum reus ſit condemnandus, an abſolvendus, & poſtquam ſinguli dixere ſententiam ſuam, in eam conſentitur, quod ſit abſolvendus, ſententia hæc dicitur concluſum & judices concludere dicuntur, quod ſit abſolvendus.

§. 75.

BIU Cujas

§. 75.

Vota unanimia concludunt. Vota enim unanimia quando sunt, omnium vota sunt consentientia (§. 66.), adeoque omnibus votantibus idem placet (§. 65.). Quamobrem cum per vota determinandum sit, quid fieri, aut non fieri debeat, quando de negotio aliquo consultatur (§. 62.); hoc omnino fieri debet, quod volunt vota unanimia. Quoniam itaque concluditur, quando quid fieri debeat per vota determinatur (§. 74.); vota unanimia utique concludunt. *De effectu votorum unanimium.*

Ita si omnium hæc fuerit sententia, reum esse absolvendum: alia ex votis sententia inferri nequit, quam reum absolvendum esse. Id nimirum valet, quod omnibus ac singulis visum fuerit.

§. 76.

Quando vota inter se contendunt, meliora concludere nequeunt. Quando enim vota inter se contendunt, seu in diversa abeunt, nec unus alteri cedere vult, sed in sua sententia acquiescit; dissentientium pars quælibet affirmabit votum suum esse melius: quodsi enim concederet, votum partis adversæ melius esse, idem approbaret, adeoque in sententiam ejus abiret, quod est contra hypothesin. Quamobrem per vota meliora determinari nequit, quid fieri, aut non fieri debeat. Quoniam itaque concluditur, quid fieri, aut non fieri debeat, quando alterutrum per vota determinatum (§. 74.); quando vota inter se contendunt, meliora concludere nequeunt. *De votis melioribus*

Quando vota inter se contendunt, si consultatio exitum habere debeat, necesse est, ut definiatur, quænam vota prævalere debeant. Quamvis adeo lex naturæ nos obliget ad id, quod altero melius, eidem præferendum (§. 192. *p.* 1. *Philos. pract. univ.*), adeoque legi naturæ convenire videatur, ut vota meliora præferantur, quando concludendum; cum tamen per id, quod melius est, partes dissidentes non discerni possint, impossibile est, ut pro lege sit, id concludendum esse, quod volunt vota meliora. Lex naturæ in conscientia singulos votantes obligat, ut quis mutato voto iis accedat, quorum votum est melius, jure autem externo cogi nequit, ut aceedat, id si suo melius agnoscere nolit. Cum enim prætendat, votum suum melius esse, eodem jure, quo tu hoc urges, ipse a te exigeret, ut voto suo accedas. Quodsi ergo vota meliora præferenda esse statuas, litibus nunquam terminandis latæ pandentur fores, adeoque magno conatu nihil agetur. Vota unanimia concludere, meliora concludere non posse adeo clarum est, ut utrumque sine probatione instar postulati sumi possit. Nemo enim est, qui utrumque non ultro concedat, modo intelligat, quid sit votum, quænam vota unanimia dicantur, quænam meliora.

§. 77.

Quoniam vota meliora concludere nequeunt (§. 76.), vota autem ponderantur, quando inquiritur, quænam sint meliora (§. 72.); *quando concludendum, vota ponderari nequeunt.* *Cur in concludendo vota non ponderentur.*

Non est quod dicas, jus ponderandi vota uni conferri posse, ut consultatio habeat exitum, adeoque quid concludatur, concludum enim consultationis exitus est (§. 69. 74.), Etenim hoc perinde esset, ac omne jus decernendi, quid fieri debeat, vel non debeat, transferre in unum & aliorum saltem rogare consilium (§. 983. *part.* 1. *Theol. nat.*), ita ut sequendum sit, quod uni placuerit: id quod notioni voti repugnat (§. 62.).

§. 78.

Quia vota ponderari nequeunt (§. 77.); *unius votum tantundem valere debet, quantum valet alterius*, seu *singulorum vota ejusdem sunt valoris.* *De valore votorum.*

BIU Cujas

Valor votorum consistit in efficacia ad concludendum, quia per vota determinandum est, quid fieri debeat (§. 62.), adeoque vota concludere debent (§. 74.). Nimirum quando, quid fieri debeat, omnium consensu determinandum est, quemadmodum obtinet, ubi vota concludere debent (§. 62. 64.); non rationes attenduntur, sed voluntati eorum, qui suffragia ferunt, standum est, etsi unicuique sint suæ rationes, cur hoc velit. Et si quis vel maxime rationem voti sui reddat, id saltem facit ad informandum ceteros, non vero voto valorem conciliat. Valor adeo voto per se inest, quatenus votum est qualescunque tandem tibi sint vel a te afferantur rationes, cur hoc velis, aut nolis. Sufficit te hoc velle, quando consensus tuus ad decernendum requiritur (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Votum valorem suum habet a jure votandi, non a veritate, aut probabilitate ejus, quod tibi videtur. Hæc curæ cordique tibi esse debet, quando voluntatem tuam determinare debes ad id, quod fieri debet: at ubi a consultatoribus determinandum, quid fieri debeat, id ratum esse debet, quod volunt vota.

§. 79.

De effectu pluralitatis votorum.

Si vota inter se contendunt, seu unanimia haberi nequeunt; vota majora concludunt. Vota feruntur de eo, quod plurium consensu determinandum (§. 62.). Quando vota unanimia non sunt, non omnes consentiunt in idem (§. 66.), consequenter si non nisi unanimibus standum, quid fieri debeat, determinari nequit, atque adeo consultando nihil agetur, nec negotium exitum habere potest (§. 69. 73.). Quoniam tamen curandum, ut exitum habeat (§. 70.), quando autem vota inter se contendunt, meliora concludere nequeunt (§. 76.), sed unius votum tantundem valet, quantum alterius (§. 78.); ideo necesse est, ut id habeatur ratum, quod volunt plurimi, seu in quod pars major consentit. Quamobrem si vota unanimia haberi nequeunt, vota majora concludunt (§. 66. 74.).

Nimirum si facta consultatione quid concludendum, quod utique intendi debet, unanimia autem haberi nequeunt, aut standum erit votis plurimorum, aut pauciorum. Quoniam omnia vota ejusdem valoris (§. 78.), nulla sane ratio est, cur pauciora præferantur majoribus, sed votorum simul sumtorum valor pendet a numero eorundem; ita ut prævalere dicendum sit, quod volunt plurima. Atque ideo vota dicuntur numerari: votorum enim numerus certus est, ut a nemine in dubium vocari possit, atque adeo præbet principium indubitatum definiendi, quidnam fieri debeat, vel non fieri.

§. 80.

De obligatione sociorum quoad societate decernenda.

Quoniam in societate per vota determinandum, quid fieri, vel non fieri debeat, quando de negotio ad eam spectante consultatur (§. 44.), quando autem vota unanimia haberi nequeunt, majora concludunt (§. 78.); *qui societatem contrahunt aut pacta, quæ in ea in eandem recipiuntur, convenire debent, aut, si expresse non convenerint, convenisse præsumuntur, quod, si vota unanimia non sint, majora concludere debeant*, consequenter *quod illud ratum esse debeat, quod plurimis placuerit* (§. 66.), atque adeo, *quod majori parti visum fuerit, id habeatur pro communi omnium sententia.*

Quod adeo plurimis placet, id ceteris sociis placere debet. Etsi enim absolute impossibile non sit, ut ad concludendum non admittantur, nisi vota unanimia; recte tamen pro moraliter absurdo hoc habendum, quia utique moraliter absurdum est, ut negotium non habeat exitum. Societas contrahitur finis cujusdam consequendi causa. Ea, de quibus consultatur, ad eum consequendum faciunt, cum in consultationem non veniant, nisi quæ aut in numero mediorum, quibus finis obtinendus, aut remediorum sunt, quibus impedimenta declinanda, & quæ ad alterutrum suo modo referri possunt. Sociorum adeo animus cum esse debeat conjunctis viribus bonum societatis commune, quod in fine obtento consistit (§. 11.), promovendi (§. 12.), & salutem illius, quæ in non impedito progressu ad finem societatis consequendum consistit (§. 11.), pro suprema lege habendi (§. 16.); societati quoque nihil magis naturale est, quam ut consultationes habeant exitum: quod cum aliter fieri non possit, nisi id, quod maxima pars voluerit, habeatur pro voluntate communi omnium sociorum; vota majora habentur pro unanimibus, quando unanimia haberi nequeunt. In hanc adeo legem cum consentire debeant socii, quando societas contrahitur; si expresse non consenserint, tacite consensisse recte præsumuntur, nisi manifesta absurditate decreverint, nunquam standum esse nisi votis unanimibus.

§. 81.

BIU Cujas

§. 81.

De votorum paritate.

Vota paria nihil concludunt. Quando vota paria sunt, pro utraque contradictionis parte numero totidem sunt (§. 67.), affirmantium & negantium vel in diversum abeuntium idem numerus (§. 64.). Quamobrem cum vota singulorum sint ejusdem valoris (§. 78.), adeoque affirmativa tantundem valent, quantum negativa vel in diversum abeuntia; quando vota paria sunt, per ea nihil determinari potest. Vota igitur paria non concludunt (§. 73.).

E. gr. Ponamus sex votis reum condemnari, sex absolvi: is nec condemnari, nec absolvi poterit. Similiter ponamus totidem vota esse pro bello suscipiendo, totidem pro pace conservanda; vel etiam totidem de bello finiendo, totidem de eodem continuando; neutrum horum concludi poterit.

§. 82.

Idem porro expenditur.

Quoniam vota paria nihil concludunt (§. 81.); *res manet in eo, quo est, statu*, consequenter *nihil immutatur, votis existentibus paribus.*

Ita si pro bello suscipiendo, vel intermittendo paria fuerint vota, nihil immutatur, adeoque bellum intermittendum est. Si pro bello continuando & finiendo paria extiterint vota, cum nihil immutetur, bellum continuandum est. Si paria vota reum condemnent, paria non condemnent, sed absolvant; cum nec condemnari, nec absolvi possit, impunitus dimittendus: id quod quoad reum quidem perinde est, ac si absolveretur, non tamen quoad judices, quippe qui non declarant, eum pœnam non mereri, seu innocentem esse, cum hoc quasi in dubio relinquatur. Quodsi vota paria fuerint pro pecunia in emtionem prædii impendenda & fœnori danda, neutrum horum fieri poterit.

§. 83.

Quando pro possessore pronunciandum.

Quoniam, si vota paria fuerint, res manet in eo, quo est, statu, nihil vero immutatur (§. 82.); *si vota paria fuerint, pro possessore pronunciandum.*

E. gr. Si litigetur de prædio, & quando sententia ferenda, cujusnam esse debeat, paria sint vota, ejus erit prædium, qui possidet: ita enim nihil immutatur, sed res manet in eo, quo est, statu.

§. 84.

Calculus Minervæ quid sit.

Calculus Minervæ dicitur decisio negotii controversi per paritatem votorum.

Nomen hoc apud Græcos venit ex fabula de *Oreste*, de qua vide *Æschylum* in Furiis & *Euripidem* in *Oreste* & *Electra* tragœdiis. Nimirum *Agamemnon* ab uxore *Chytemnestra* ope *Ægysthi* adulteri interemtus fuerat; *Orestes* filius iisdem insidiis expositus ut mortem patris vindicaret, matrem & *Ægysthum* occidit. Accusatur a Furiis parricidii in areopago. Cum condemnantes una sententia vincerent, Minerva calculum suum adjicit absolventibus, salutarem sententiam ita enuncians: Evasit hic vir ultionem sanguinis, nam calculorum numerus æquus exiit. Atque ita impunitus dimittitur *Orestes*. Ad hunc casum vulgo cum *Grotio* solum restringunt calculum Minervæ, quo scilicet ob votorum condemnantium & absolventium paritatem reus impunitus dimittitur: quoniam vero hoc fit, quia, si vota fuerint paria, nihil agitur, quemadmodum ipse *Grotius* de J. B. & P. lib. 2. c. 5. §. 18. agnoscit, si vel maxime concedamus, ab initio calculum Minervæ appellatum fuisse jus per æqualitatem votorum condemnantium & absolventium absolvendi reum, per interpretationem tamen extensivam recte transfertur ad omnem casum, in quo per paritatem votorum negotium controversum deciditur (§. 516. *part.* 6. *Jur. nat.*). Obiter notamus olim judices calculis nigris damnasse, albis vero absolvisse. Minerva igitur fingitur calculum album apposuisse, ut condemnantium & absolventium

BIU Cujas

tium vota efficerentur paria. Quamvis vero nomen a fabula originem traxit, non tamen res, quæ eodem denotatur, inde derivanda, cum ipsa votorum paritas in causa sit, cur negotium hoc modo decidendum.

§. 85.

Quando calculo Minervæ locus sit.

Quoniam calculo Minervæ negotium controversum deciditur per paritatem votorum (§. 84.), quando vero vota paria sunt, nihil concluditur a consultantibus (§. 81.); *calculo Minervæ locus est, quoties nihil concludendo negotium controversum deciditur*, consequenter *exitum habet* (§. 69.), *non vero eidem locus est, quoties nihil concludendo negotium exitum habere nequit*, consequenter *quando res in eo, quo est, statu manere nequit.*

Dari istiusmodi negotia, quæ nihil concludendo, adeoque votis paribus existentibus, ad exitum perduci nequeunt, experientia probat. Ponamus ex. gr. pastorem esse eligendum. Ponamus votis paribus duos nominari. Quoniam vota paria non concludunt (§. 81.); neutri eorum munus sacrum conferri potest. Electio igitur non habet exitum (§. 69.): neque enim Ecclesia sine pastore esse potest, sed necessario aliquis eligendus. Calculo adeo Minervæ in eo casu locus non est.

§. 86.

Quando salva votorum paritate negotium exitum habeat, quando non.

Si res manere potest in eo, quo est, statu, vel ex eo, quod nihil concludi possit, sequatur, quid fieri debeat; stante votorum paritate negotium exitum habet: in casu opposito habere nequit. Quando enim res manere potest in eo, quo est, statu; de eo consultatur, utrum in eodem statu manere debeat, nec ne. Quodsi ergo res quæ in deliberationem venit, per vota in eodem statu manere debet, per ea negotium, de quo consultabatur, exitum habet (§. 69.). Enimvero votis paribus existentibus res manere debet in eo, quo est, statu (§. 82.). Stante adeo votorum paritate negotium exitum habet, si res manere potest in eo, quo est, statu. *Quod erat primum.*

Similiter si ex eo, quod nihil concludi possit, sequatur, quid fieri debeat; etiamsi nihil concludatur, negotium tamen exitum habet (§. 69.), consultatione nimirum non alio fine instituta, quam ut determinetur, quid fieri debeat. Quoniam itaque votis paribus existentibus nihil concluditur (§. 81.); si ex eo, quod nihil concludi possit, sequatur, quid fieri debeat, stante votorum paritate negotium exitum habet. *Quod erat secundum.*

Enimvero si res manere nequit eo, quo est, loco, nec ex eo, quod nihil concludatur, sequitur, quid fieri debeat, necessario determinandum est, quid fieri debeat, adeoque negotium, de quo consultatur, non ante exitum habere potest, quam postquam per vota quid fuerit conclusum (§. 69. 74.). Quoniam itaque vota paria nihil concludunt (§. 81.); si res manere nequit eo, quo est, loco, nec ex eo, quod nihil concludatur, sequitur quid fieri debeat, stante votorum paritate negotium exitum habere nequit. *Quod erat tertium.*

Atque nunc clarius patet, quando calculo Minervæ locus sit, quando non. Etenim quando quid per vota determinandum; ratio cur hoc fieri, vel non fieri debeat, unice petenda est a votis, seu suffragia ferentium voluntate, nec recurrendum est ad alias aliunde petendas, tanquam extrinsecas: quod enim per alias rationes definitur, id non definitur per vota, quod est contra hypothesin. Quando itaque ex paritate votorum non sequitur, quid fieri debeat, nec negotium, de quo consultabatur, decisum dici potest calculo Minervæ, quippe qui præter votorum paritatem ad decidendum negotium rationem aliam non requirit. Ipsa sane Minerva in fabula de *Oreste* rationem aliam non reddit, cur *Orestes* sit absolutus, quam votorum paritatem. Evasit enim, ait, vir ultionem sanguinis, nam calculorum numerus æquus exiit (*not.* §. 84.). Nihil ergo agunt, qui calculi Minervæ rationes aliunde conquirunt, quam ex eo, quod vi votorum valere debeat. Exempla, quæ dedimus (*not.* §. 84. 85.) propositionem præsentem illustrant. Ita si vota paria reum damnant & absolvunt, cum nec damnari, nec absolvi possit, consequenter nec tanquam nocens in carcere detinendus sit, ut supplicio afficiatur,

ex

BIU Cujas

ex eo sequitur, ut impunitus sit dimittendus. Si vero paria sint pro bello inferendo & pace conservanda vota, cum res manere possit in eo, quo est statu, quemadmodum vi paritatis votorum debet (§. 82.): pax conservabitur. Atque ita in utroque casu negotium, de quo consultabatur, per votorum paritatem decidi-tur, adeoque exitum habet. Enimvero stante votorum paritate exitum minime habet in casu electionis pastoris ecclesiæ, in quo votis paribus nominantur duæ personæ diversæ, quia munus, de quo agitur, per vota neutra neutri conferri potest, necessario tamen uni cuidam conferendum, nec semper vacare potest.

§. 87.

De eo, quod uni necessario dandum, vel jure quod in unum necessario conferendum, si vota fuerint paria.

Si quid uni necessario dandum, vel jus quoddam in unum conferendum, votis autem paribus duæ nominentur personæ, quibus illud dari vel in quas jus istud conferri debeat; per vota negotium hoc exitum habere nequit. Quoniam enim per vota paria duæ nominantur personæ, quibus aliquid dandum, vel in quas jus aliquod conferendum quod nonnisi uni dari, vel in unam conferri potest, per vota paria res manere debet in eo statu, quo est (§. 82.), ut scilicet nulli detur. Enimvero quoniam uni necessario dandum, vel jus in unum necessario conferendum, *per hypothesin*; res in eo, quo nunc est, statu manere nequit, neque etiam ex eo, quod per vota paria concludi nequeat, cuinam, quod dandum est, dari, vel in quemnam jus, quod in unum quendam conferendum, conferri debeat, sequitur, quinam rem habere, vel retinere debeat. Quamobrem cum negotium non habeat exitum, si res manere nequit in eo, quo est, statu, vel ex eo, quod nihil concludi possit per vota non sequitur, quid fieri debet (§. 86.); si quid uni necessario dandum, vel jus quoddam in unum conferendum, votis autem paribus duæ nominentur personæ, quibus illud dari, vel in qua jus istud transferri debeat, per vota negotium hoc exitum habere nequit.

Pertinet huc exemplum de electione pastoris ecclesiæ, quando paribus votis duæ nominantur personæ (*not.* §. 85.). Sed demus adhuc exemplum aliud. Ponamus aliquibus dari centum aureos, in quorum arbitrium confertur, ut eos dent personæ, quæ Geometriæ sublimiori operam navare velit, ac in ea progressus eximios facere possit. Quodsi paribus votis nominentur duæ personæ, negotium non habet exitum, cum nonnisi uni dari debeat, per vota autem decidi nequeat, quænam ex duabus istis alteri sit præferenda. Patet itaque impossibile esse, ut in hypothesi propositionis præsentis negotium terminetur. Cum enim paria sint votantium jura, nec pars una cogi possit, ut in gratiam alterius a sententia sua discedat, quia nemini invito jus suum auferri potest (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*); neutri centum isti aurei dari possunt, quamdiu jure votorum statur.

§. 88.

Quænam vota in numerando conjungi possint.

Si vota numerantur, conjungi nequeunt, nisi quæ prorsus eadem sunt. Etenim vota sunt unitates (§. 332. *Ontol.*), quarum conjunctione oritur numerus (§. 339. 340. *Ontol.*). Quamobrem cum numerus sit unitatum earundem multitudo (§. 340. *Ontol.*); vota non faciunt numerum, nisi quæ prorsus eadem sunt. Quando itaque vota numerantur, conjungi nequeunt, nisi quæ prorsus eadem sunt.

Quando numerandæ sunt vaccæ, non licet iisdem jungere vitulos & boves, cum boves ac vituli vaccæ non sint, licet in quibusdam inter se conveniant. Similiter itaque quando vota numeranda sunt, conjungi nequeunt, nisi quæ prorsus idem volunt, v. gr. quæ singula reum condemnant in eandem mulctam, aut in idem supplicium, vel quæ præmium inter duos dividendum in easdem partes dividunt, & easdem partes iisdem personis assignant. Qui notionem numeri perspectam habet, facile agnoscet, vota, quæ numerum facere debent, nil prorsus continere debere, quo a se invicem differunt, sed quod uni inest, id etiam inesse debere alteri.

§. 89.

Quænam vota conjungi nequeant.

Quoniam vota prorsus eadem esse debent, quæ numerando conjunguntur (§. 88.), adeoque uni inesse nequit, quod alteri non inest (§. 181. *Ontol.*), consequenter nihil con-

continere debent, quo a se invicem differunt; *vota conjungi nequeunt, quæ genere vel specie eadem sunt, & vel in specie, vel in singulari differunt, hoc est, in quibus aliquid diversimode determinatur.*

Ita vota reum condemnantia conjungi nequeunt, si condemnent in diversam pœnam: nec conjungi possunt, quæ condemnant in pœnam specie eandem, veluti in mulctam, si in pœnam quantitate diversam condemnant, veluti alia in decem, alia in viginti: condemnare enim in decem, & condemnare in viginti unum idemque non est, cum nimirum mulcta major magis gravet, quam minor, nocentem, una alteri salvo omni prædicato eidem tribuendo substitui non potest, adeoque pœnæ eædem non sunt (§. 181. *Ontol.*). Qui adeo dicunt, qui damnat in viginti, eum etiam damnare in decem, adeoque vota eorum conjungi posse, ut prodeat numerus in decem damnantium; dicunt utique, quod primis notionibus adversatur, adeoque absurdum est & juri votantium æquali adversum, vi cujus vota singula sunt ejusdem valoris (§. 78.). Non sine injuria eorum, qui in majorem quantitatem damnant, conjunguntur cum votis in minorem condemnantium, ut fiat numerus condemnantium in minorem, quia jus in majorem quantitatem condemnantium violatur, quos invitos in sententiam eorum, qui in minorem quantitatem damnant, trahere non licet (§. 336. *p.* 2. & §. 859. *p.* 1. *Jur. nat.*). In votis nihil prorsus immutandum, ut conjungi possint ad faciendum numerum. Quando enim in gratiam conjunctionis aliquid in voto immutas, ipso facto confiteris, id cum ceteris conjungi non posse. Cave tibi, ne nimias subtilitates accusés, quod ad notiones ontologicas recurramus, propterea quod veteres istiusmodi conjunctionem admisere ac recentiores, quos inter ipse *Grotius* lib. 2. c. 5. §. 19. eandem calculo suo approbarunt; ex notionibus enim ontologicis demonstranda sunt ea, quorum veritas inde pendet. Agnoscas igitur potius, quam necessarium sit, ut notiones distinctas eorum, quæ in Ontologia traduntur, habeamus, nisi in multis cœcutire velimus, nec alia de causa veteres ac qui ipsos secuti sunt viros in ceteris licet satis acutos veritatem perspicere non potuisse, quia distinctis notionibus ontologicis fuerunt destituti. Aliud exemplum esto, si de dando honorario, vel præmio suffragia feruntur, & de quantitate non eadem est omnium sententia, non licet conjungere vota eorum, qui majorem quantitatem definiunt, cum votis illorum, qui in minorem consentiunt, quasi illi in hanc consentiant. Similiter non licet conjungere vota condemnantium adversus absolventes, quando non in eandem prorsus pœnam consentiunt. Quamvis enim in eo conveniant, quod reus sit condemnandus, adeoque genere eadem; quoniam tamen non idem condemnant, specie diversa sunt (§. 233. & seqq. *Ontol.*). Aliud est, si vota condemnantia & absolventia numerare velis, tum enim vota condemnantium non spectantur nisi in genere, non attenta eorundem differentia, quatenus ad diversas species referenda.

§. 90.

Si vota paria sint pro diversis specie vel quantitate.

Si uni aliquid dandum & votis paribus determinantur vel quantitate, vel specie diversa; negotium per vota exitum habere nequit. Quamdiu enim vota paria existunt, res manet, in eo statu, quo est (§. 82.). Quoniam vero uni aliquid dandum, in eodem statu res manere nequit, in quo est, scilicet ut nihil detur, quod per se patet, & quoniam votis paribus determinantur specie vel quantitate diversa, duorum unum saltem dari potest. Vota vero conjungi nequeunt, ut pro alterutro prodeant unanimia (§. 89.), quæ concludunt (§. 75.); vota paria tamdiu manent, quamdiu nemo votantium mutata sententia sua in sententiam partis adversæ abit, seu calculum suum huic adjicit, quod hic non fieri supponitur. Negotium itaque per vota exitum habere nequit, si uni aliquid dandum & votis paribus determinantur quantitate, vel specie diversa.

Ex. gr. Ponamus de dando honorario deliberari & vel per se necessarium esse honorarium vel omnes in hoc consentire quod dandum sit, paribus autem votis decerni honorarium centum aureorum ab una parte, nonnisi quinquaginta a parte altera. Dici nequit, qui in centum consentiunt, eos quoque consentire in quinquaginta, quia centum quinquaginta continent, ut adeo cogantur qui in honorarium majus consentiunt a sententia sua discedere & sententiæ partis adversæ accedere: id quod juri votantium adversatur (§. 78.). Per vota igitur exitum habere nequit negotium (§. 69.). Idem intelligitur, si qui volunt, dari horologium aureum, alii vero numero totidem vas quoddam argenteum. Similis casus est, si prædium alienandum, vel in ejus alienationem consentiant omnes, alii vero volunt idem cum alio commutandum, alii vero totidem numero idem pro certo pretio vendendum, eo nimirum, in quem alienari debet, tam permutationem, quam pretium offerente. In utroque casu vota in genere spectata unanimia sunt, quatenus nimirum in casu primo votantes omnes in eo consentiunt, quod honorarium sit dan-

BIU Cujas

dandum in casu altero quod prædium sit alienandum & hactenus vota conjunguntur. Enimvero in casu priori negotium exitum non ante habet, nisi quatenus determinetur per vota, quidnam præcise dari debeat, in posteriori quatenus determinetur, species alienationis. Quæ igitur utrobique determinanda adhuc sunt, antequam negotium exitum habere potest, de iis vota dissentientia sunt, quæ nullo modo conjungi possunt. Manet igitur negotium indecisum, quamdiu iure votorum statur, adeoque deliberatio in cassum cadit.

§. 91.

De votis paribus pro diversis pœnis, vel onere diverso.

Si quis sit puniendus, & paribus votis decernantur pœnæ diversi generis aut speciei, vel mulctæ diversæ quantitatis; negotium per vota exitum habere nequit. Idem intelligitur de onere quocunque imponendo. Etenim etsi vota in genere sint eadem, quatenus iisdem omnibus reus condemnatur, & hactenus conjungi possint, ut sint unanimia pro reo condemnando (§. 66.), atque adeo reus puniri debeat, neque adeo impunitus dimitti possit (§. 75.); quoniam tamen diversitas pœnæ, sive genus aut speciem ejus spectes, sive quantitatem, obstat, quo minus vota conjungantur (§. 89.), consequenter determinetur, quodnam pœnæ genus, vel quænam pœnæ species, aut quænam mulctæ quantitas præferri debeat, quomodo reus condemnatus puniri debeat, per vota decidi nequit, consequenter negotium exitum habere nequit. *Quod erat unum.*

Si onus quoddam sit alteri imponendum, & hoc substituatur in locum pœnæ irrogandæ, eodem prorsus modo, quo ante colligitur, si vota paria fuerint pro ejusdem oneris diversa quantitate, vel pro oneribus diversi generis, aut speciei, negotium exitum habere non posse. *Quod erat alterum.*

Ex. gr. Si tres reum morte puniunt, totidem relegant, quia unanimia sunt vota pro reo puniendo, impunitus dimitti nequit (§. 75.). Quoniam vero paribus votis morte puniendus, paribus relegandus, cum hæc vota nullo modo conjungi possint, ut ad unanimia reducantur (§. 89.), nec morte puniri, nec relegari potest reus. Per vota igitur negotium exitum habere nequit. Similiter ponamus omnes consentire in tributum extraordinarium; votis adeo unanimibus concluditur, tributum extraordinarium esse imponendum (§. 75.). Enimvero ponamus porro paribus votis duo decerni tributorum genera, parte votantium una volente, ut tributum imponatur agris, altera vero, ut capitibus imponatur. Neutrum horum cum fieri possit (§. 81.); negotium per sola vota exitum habere nequit. Porro ponamus per vota determinari debere quantitatem canonis annui pro concessione juris cujusdam solvendi; si pro diversis quantitatibus paria fuerint vota, quantitatem canonis per ea determinare non licet.

§. 92.

De paritate votorum in rei divisione.

Si per vota aliquid fuerit dividendum, & paria fuerint vota pro diversis partium quantitatibus, vel partes unanimiter divisæ paribus votis non assignentur iisdem personis; per vota negotium exitum habere nequit. Quoniam enim votis paribus existentibus res manere debet in eo, quo est, statu (§. 82.), in casu priori dividi nequit, in casu posteriori partes unanimiter divisæ personis, quæ eas habere debent, assignari nequeunt. In utroque igitur casu negotium per vota exitum habere non potest (§. 69.).

Prior casus obtinet in divisione hæreditatis inter duos hæredes, posterior in assignandis partibus divisis, sive herædes ipsi hæreditatem inter se dividere debeant, sive ejus divisionem in arbitrium quorundam aliorum conferant. Abunde ostendimus plures dari casus, ubi negotium controversum per votorum paritatem decidi nequit, consequenter calculo Minervæ locus non est (§. 84.). Quodsi alii adhuc casus occurrant, in quibus negotium, de quo agitur, per vota exitum habere nequit; idem eadem facilitate ostendetur, qua in iis casibus, de quibus diximus, id ostendimus.

BIU Cujas

§. 93.

An votorum conjunctione majora vel paria effici possint.

Si tria vel plura diversa fuerint vota, salvo jure votandi conjunctione quorundam nunquam majora, vel paria effici possunt. Etenim si tria vel plura fuerint vota diversa, cum impossibile sit, ut quædam diversorum sint eadem (§. 181. 183.), vota autem quando numeranda conjungi nequeant, nisi quæ prorsus eadem sunt (§. 88.); si tria vel plura fuerint vota diversa, salvo jure votandi (§. 78.), impossibile est, ut votorum conjunctione efficiantur majora vel paria.

Tres reum capite puniunt, duo damnant in viginti, quatuor relegant. Quamvis enim qui damnant in mulctam, & qui relegant, eum a supplicio ultimo absolvant, atque hactenus eadem videntur in oppositione ad eos, qui pœnam capitalem decernunt; non tamen prorsus eadem sunt, cum mulcta relegationi substitui nequeat & contra. Quamobrem nec votorum istorum conjunctione majora effici possunt. Similiter si qui damnant in viginti, alii in decem, alii relegant; nec damnantium in viginti ac decem vota conjungi possunt adversus sententiam relegantium, ut prodeant majora. Etsi enim damnantes in viginti ac decem consentiant in mulctam, non tamen consentiunt in mulctam eandem, nec ex jure votorum deduci potest, si ista conjungere velis, utrum ex conjunctione majora effici debeant pro decem, an pro viginti, quamdiu neutra pars alteri cedere velit, quoniam nemini ob æqualem votorum valorem (§. 78.). competit jus sententiam alterius ita immutandi, ut suæ fiat concors. Ratio, quæ a *Grotio* affertur lib. 2. c. 5. §. 19. scilicet, quod decem contineantur in viginti, consequenter qui in viginti damnat, eundem quoque damnare in decem, nulla est, neque enim qui in viginti damnat vult, ut tantummodo solvantur decem, sed, si decem solvantur, vult, ut adhuc solvantur decem alii, v. grat. thaleri, aut nummi aurei, adeoque dici nequit, quod consentiat cum iis, qui decem saltem solvi volunt (§. 658. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Qui diversa volunt, idem velle, consequenter consentire dici non possunt. Quamvis enim diversitas tantummodo sit in quantitate, non tamen hoc obstat, quo minus pœnæ dicantur diversæ. Sane si emtor offert decem, venditor exigit quindecim, pretium quod offert emtor, quis quæso dicet idem esse cum pretio, quod exigit venditor. Et quis non existimaturus est absurdum, si emtor ac venditor consentire dicerentur in idem pretium, quando emtor offert decem, venditor autem exigit quindecim, neuter vero a sententia sua discedere velit, hoc est, nec emtor pretio, quod offert, quid addere, nec venditor de eo, quod exigit, quid detrahere. Qui notionem identitatis ac diversitatis, itemque numeri distinctam habent, iis nihil difficultatis superierit, sed statim perspicient, votorum conjunctionem iisdem repugnare, consequenter quoque votandi juri, quod votis singulis eundem tribuit valorem (§. 78.). Quando per vota negotium controversum exitum habere nequit, non licet contra jus quorundam eorum votum immutare, ut exitum habere possit (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*). Qui hoc facit, utique injuriam facit alteri, quem invitum in sententiam trahit.

§. 94.

Cur votorum conjunctione negotium decidi nequeat.

Quoniam si tria vel plura diversa fuerint vota, salvo jure votandi conjunctione quorundam nunquam majora, vel paria effici possunt (§. 93.); si vero vota unanimia obtineri nequeunt, nonnisi majora concludunt (§. 79.), nec per paria negotium controversum deciditur nisi casu calculi Minervæ (§. 84. 85.); *si tria vel plura fuerint vota diversa salvo jure votandi votorum conjunctione nihil concludi, nec negotium controversum decidi potest.*

Non negamus conjunctione votorum negotium ad exitum deduci posse; sed negamus id fieri salvo jure votorum, quia, quemadmodum per ea, quæ diximus, satis patet, hac ipsa conjunctione revera non aliud agitur, quam ut quidam cogantur a sententia sua discedere in aliam sibi propiorem: quod quamdiu jus votandi æquale ac liberum est, absurdum utique habendum, nec sine injuria eorum, qui ita discedere coguntur, fieri potest. Non tamen propterea sequitur, salvo jure votorum negotium decidi non posse, cum tamen curandum sit, ut exitum habeat. Etsi enim conjunctione votorum violetur jus votantium, si per vota decidere velis; non tamen deest modus alius negotium decidendi per vota absque quorundam conjunctione; ita ut singulorum votorum idem maneat valor (§. 78.), nec rationes, cur ita decidendum sit, aliunde petantur, quam ex ipso æquali votorum valore, ut præpondium non nascatur, nisi ex pluralitate. De eo igitur nunc nobis erit agendum.

§. 95.

BIU Cujas

§. 95.

Si vota majora haberi nequeunt, sequendum erit id, quod paucioribus displicet, seu cui paucissima vota adversantur. Si enim vota majora haberi nequeunt ob diversarum sententiarum pluralitatem, & sequi velimus id, quod majori parti placet, negotium per vota exitum habere nequit, quod per se patet. Quoniam tamen curandum est, ut exitum habeat (§. 70.), & vota singula ejusdem sunt valoris (§. 78.); plus utique valere debent illa vota, quibus pauciora adversantur, quam quibus plura, adeoque sequendum id, quod paucioribus displicet. *Quanam vota prævaleant, si majora haberi non possint.*

Nimirum quoniam stante æquali votorum valore nemo cogi potest, ut invitus in sententiam alterius abeat, fieri non potest, ut per vota quid concludatur, si unanimia non fuerint, quam si sequamur id, quod plurimis placet, vel paucissimis displicet, ita ut quod plurimi volunt, vel paucissimi nolunt, habeatur pro omnium voluntate. Quando nonnisi duæ vel etiam plures sunt sententiæ, & majora præferuntur; sequimur tum id, quod plurimis placet, tum quod paucissimis displicet. Enimvero si tres vel plures fuerint diversæ sententiæ, quarum unam non amplectitur pars major, fieri non potest, ut sequi velimus id, quod plurimis placet, cum votorum pluralitas locum non habeat, nisi quando pars major votantium in idem consentit, ceteri autem ab eadem dissentiunt, sive idem inter se consentiant, sive a se invicem quoque dissentiant. Sequendum igitur erit id, quod paucissimis displicet. Eadem sane ratio est, cur sequendum sit id, quod paucioribus displicet, & cur sequendum illud, quod plurimis placet, quemadmodum ex collatione demonstrationis propositionis præsentis cum demonstratione superioris de pluralitate votorum concludente (§. 79.) statim patescit. Subsistit utrobique votorum æqualitas, cum vis victrix in utroque casu non derivetur nisi a numero votorum: vincunt utrobique vota, quæ paucissima sibi adversa experiuntur. Ex. gr. Tres reum damnant in viginti florenos, quatuor in decem, duo absolvunt. Sententia prima sex experitur vota sibi adversa, secunda quinque, tertia septem. Prævalere igitur debet secunda. Similiter si pastor Ecclesiæ eligendus, duo eligunt Titium, tres Mævium, duo Cajum. Sententia prima & tertia vota quinque, media nonnisi quatuor sibi adversa experitur. Vincit adeo sententia media, ut Mævius electus censeatur. Quodsi unus condemnet in quindecim, unus in decem, unus in quinque. Quælibet sententia duo vota sibi adversa experitur, adeoque nulla ratio est, ut una alteri præferatur, consequenter per vota negotium exitum habere nequit, cum res in eo, in quo est, statu manere non possit, cum per vota reus condemnandus sit in mulctam. Quodsi ergo quæ hactenus fusius demonstrata sunt ad animum revocare volueris, facile patebit, per vota negotium ut habeat exitum, ea aut esse debere unanimia, aut majora, aut paucissima habere sibi adversa, aut in casu paritatis vincere calculo Minervæ. Quid vero in aliis casibus fieri debeat, ubi negotium exitum habere debet, quamdiu vero votorum æqualitate statur, habere nequit, ulterius discutiendum.

§. 96.

Quoniam in societate per vota determinandum, quid fieri vel non fieri debeat, quando de negotio ad eam spectante consultatur (§. 44.), quando autem vota majora, adeoque multo minus unanimia (§. 66.), haberi nequeunt, id sequendum, quod paucioribus displicet (§. 95.); *qui societatem contrahunt convenire debent, aut, si expresse non convenerint, convenisse præsumuntur, quod, si vota majora haberi nequeant, illud ratum esse debeat, quod paucissimis displicuerit*, atque adeo, *ut, quod paucissimis displicuerit, id habeatur pro communi omnium sententia.* *De obligatione sociorum quoad ea, quæ in societate decernenda.*

Quod adeo plurimis non displicet, id nec displicere debet ceteris sociis. Quæ enim supra annotavimus de eo, quod plurimis placet (*not.* §. 80.); ea etiam trahenda sunt ad id, quod plurimis non displicet, seu quod paucissimis displicet. Ut negotium habeat exitum, standum est eo, quod plurimis videtur, si non omnes ejusdem sint sententiæ, consequenter quod vel plurimi volunt, vel paucissimi saltem nolunt. Ita nimirum ratio decidendi derivatur a voluntate & noluntate, quemadmodum fieri debet, si per vota determinandum, quid fieri debeat (§. 62. 78.).

BIU Cujas

§. 97.

De consultatione repetenda.

Si negotium exitum habere debet, per vota autem habere nequit, & deciſio fieri morarum; conſultatio repetenda, donec perveniatur ad vota, quæ concludunt. Etenim ſi negotium exitum habere debet, votis inter ſe collatis determinandum eſt, quid fieri debeat, aut non debeat, conſequenter vota concludant, neceſſe eſt (§. 74.). Quodſi ergo facta conſultatione non perveniatur ad vota, quæ concludunt, nec in mora fuerit periculum; conſultatio omnino repetenda, donec perveniatur ad vota, quæ concludunt.

Ex. gr. Si paſtor Eccleſiæ eligendus, negotium per vota exitum habere debet. Quodſi paribus votis eligantur duo, cum munus ſacrum neutri conferri poſſit (§. 87.), negotium exitum per vota habere nequit. Quoniam tamen hic periculum non in mora eſt, ſed nova conſultatio fieri commode poteſt; alio die eadem repetenda, donec perveniatur ad vota, quæ concludunt. Voluntas nimirum hominum mutabilis eſt, ut, quod quis hodie vult, cras facile nolit, etſi hodie ad mutandam voluntatem nulla ratione adduci poſſit. Nova igitur conſultatione facta fieri poteſt, ut unus vel alter a ſententia ſua diſcedat, & ſententiæ aliorum accedat, ſicque vota paria abeant in majora & minora, ut per majora unus eligatur, aut omnes mutent ſententiam, ut tertius eligatur. Quodſi ea obſervaverimus, quæ de votis concludentibus demonſtrata ſunt, rariſſimus erit caſus, in quo negotium per vota exitum habere nequit. Neque enim is obtinet, niſi quando votis paribus exiſtentibus calculo Minervæ locus non eſt, quemadmodum in electione paſtoris, quando paribus votis duo eliguntur, niſi de votis concludentibus poſitivæ dentur leges, a quibus recedere non licet. Sed de his dicemus pſulo poſt.

§. 98.

Votorum valor quando ſorte determinandus.

Si votis paribus exiſtentibus calculo Minervæ locus non eſt, utra ſententia vincere debeat, ſorte dirimere licet. Quoniam enim vota paria non concludunt (§. 81.), quando vero calculo Minervæ locus non eſt, per vota negotium decidi nequit (§. 85.) certo conſilio nihil concludi poteſt (§. 74.), conſequenter determinari nequit, quænam ſententia alteri ſit præferenda. Enimvero quæ certo conſilio fieri nequeunt, ea ſorte dirimere licet (§. 296. *p.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi votis paribus exiſtentibus calculo Minervæ locus non eſt, ſorte dirimere licet, utra ſententia alteri ſit præferenda, ſeu vincere debeat.

Sortis uſus non ante admittendus, niſi quando ex dubitationum fluctibus emergere non poſſumus (§. 296. *part.* 1. *Jur. nat.*), ratione nimirum intrinſeca deficiente, cur hoc potius ſtatuendum ſit, quam alterum, vel quia nulla datur, vel quia nullam perſpicere poſſumus. Quando per vota aliquid concludendum, ratio deſumenda eſt ex æquali illorum valore (§. 78.) utpote quæ ponderari nequeunt (§. 77.). Quodſi ergo vota paria fuerint, per ea nihil concluditur (§. 81.), & quando calculo Minervæ locus non eſt, nihil concludendo negotium controverſum exitum habere nequit per vota (§. 85.). Deficit adeo ratio intrinſeca, cur una ſententia alteri ſit præferenda. Quamobrem caſus exiſtit, quo ſorte dirimere licet, quænam ſententia prævalere debeat, ut ex dubitationum fluctibus emergamus. Ideo ſi paſtor eccleſiæ eligendus, & paria ſint vota pro duabus perſonis, quin ſorte determinare liceat, quænam alteri ſit præferenda dubitandum non eſt; ſimiliter ſi hæreditatis diviſio in arbitrium quorundam fuit collatum, nec per vota eorum decidi poteſt, quænam pars uni, quænam alteri ſit aſſignanda; quid fieri debeat, ſorte definire licet. Probat igitur ſortis uſum in præſenti caſu ipſum jus naturæ, ut ad eandem jure ſuo confugiant, qui votis diſſident & ſententiis ſuis tenaciter inhærent. Sortitio adeo naturaliter licita eſt (§. 170. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 99.

De ſortitione repetenda.

Si votis paribus exiſtentibus ſorte dirimendum, quænam ſententia alteri ſit præferenda, ſortitione autem utraque confirmatur, ea repetenda, donec ſententia alterutra ſorte legatur. Sorti enim committitur, quænam ſententia alteri ſit præferenda, quando conſultan-

BIU Cujas

sultantes de eo convenire nequeunt (§. 98.), consequenter sortitio succedit in locum consultationis. Enimvero si negotium per vota exitum habere nequit, consultatio repetenda, donec perveniatur ad vota, quæ concludunt, quando decisio moram fert (§. 97.). Quamobrem cum in continenti nova sortitio fieri possit, adeoque nulla hic mora attendenda veniat; si votis paribus existentibus sorte dirimendum, quænam sententia alteri sit præferenda, sortitione autem utraque confirmetur; ea repetenda, donec sententia alterutra sorte legatur.

Ostendi etiam potest hoc modo. Quoniam sorte dirimendum, quænam sententia alteri sit præferenda, *per hypothesin*, sortes autem non semper eodem modo cadunt, quod a posteriori constat; licet sortitio utramque sententiam confirmet, non tamen existimandum est, idem fore, si illa repetatur. Repetenda igitur utique est, donec sententia alterutra sorte legatur.

Fieri posse, ut sortitione utraque sententia confirmetur, vix est qui dubitet. Ponamus enim jactu tesserarum sortitionem fieri. Quodsi tesseras jaciens pro utraque sententia jaciat sex, cum numeri tesseris inscripti respondeant votis, paria erunt vota pro electione utriusque sententiæ, adeoque nulla eligi poterit. Quamobrem utique necesse est, ut sortitio repetatur. Quando-enim pro una sententia jaciuntur quinque, pro altera quatuor; illa pluralitate vincit. Hinc simul patet, quod non inepte sortitio comparetur cum consultatione & numeri tesseris inscripti cum votis consultantium, consequenter in demonstratione priori a consultatione recte argumentum ducatur ad sortitionem.

§. 100.

Si votis paribus existentibus calculo Minervæ locus non est, nec sorti locus conceditur; secundum leges probabilitatis receptas facienda electio. Etenim si votis paribus calculo Minervæ locus non est, impossibile est, ut negotium exitum habeat per vota, cum nulla inde ratio dari possit, cur sententia una alteri sit præferenda, res tamen in eo, quo est, statu manere nequeat (§. 81. 85.). Quodsi ergo nec sorti concedatur locus, vel quia ad eam confugere nolumus, etsi liceat (§. 99.), vel quia ob circumstantias casus dati sors non videtur aptus modus electionem faciendi, quam tamen fieri necesse est *per hypoth.* necesse est ut electio fiat per eas rationes, quæ in dubio attendi solent, quando scilicet assensus in alteram contradictionis partem determinandus, non tamen novimus, in quam eundem determinare debeamus (§. 417. *part.* 2. *Theol. nat.*). Quoniam igitur in casu dubio electio fieri suevit juxta certas probabilitatis leges, quemadmodum obvia experientia constat; ideo secundum easdem quoque eligenda sententia, si votis paribus existentibus calculo Minervæ locus non est, nec sorti locus conceditur. *Quando ad rationes extrinsecas devenien-dum.*

Ad rationes extrinsecas non deveniendum, nisi deficientibus intrinsecis, quæ scilicet ex ipsis rerum notionibus desumuntur. Quando per vota concludendum, ratio, cur sententia una alteri vel ceteris præferatur, desumenda est ex jure votantium æquali, seu eodem votorum singulorum valore (§. 78.). Jure igitur isto salvo, seu stante hoc valore, si non appareat, quænam sententia sit eligenda, deveniendum utique est ad extrinsecas rationes, al unde nimirum, quam a jure votantium desumendas. Facile autem patet, rationes tales esse debere, quales in dubio quivis admittere solet, cum non unius judicio standum sit, sed omnium communi. Quando enim necesse est electionem per rationes extrinsecas determinari, in dubio habendum est consensu omnium comprobatum, quod determinatur per rationes, quas in dubio omnes attendere solent, ac tanquam genuinas admittere tenentur. Immo si accurate fieri debeat electio, nec ante ad sortem confugiendum foret, nisi rationibus istiusmodi communibus deficientibus, aut de iis non convenientibus illis, qui jure suffragiorum gaudent (§. 296. *part.* 5. *Jur. nat.*).

§. 101.

Quoniam *si votis paribus existentibus calculo Minervæ locus non est, nec sorti locus conceditur*, secundum leges probabilitatis receptas facienda electio (§. 100.), in dubio autem eligi solet, quod tutius est, sive secundum contemplationem physicam, ut damnum *Quando sententia tutior præferenda.*

BIU Cujas

mnum evitetur, aut malum minus majori præferatur, sive secundum moralem, ne peccetur, nec injuria cuidam fiat; ideo in casu præsenti *ea eligenda est sententia, quæ tutior, sive secundum contemplationem physicam, sive moralem.*

Ex. gr. Si paribus votis reus condemnetur in decem & viginti; præferenda est sententia in decem condemnantium. Etenim cum ex votis dijudicandum sit, quænam sententia alteri præferenda sit; per votorum paritatem in dubitationem adductum intelligitur, utrum reus plus gravetur, quam debebat, si in viginti condemnetur, nec ne. Moraliter igitur tutius est, ut in decem condemnetur, quia hac mulcta non nimium gravari omnes confiteri tenentur. Reus adeo condemnandus erit in decem. Idem obtinebit, si paribus votis determinetur honorarium centum & honorarium quinquaginta aureorum. Per vota enim dubium redditur, utrum honorarium centum aureorum nimium sit, nec ne, consequenter utrum dantes nimium graventur, nec ne. Physice igitur tutius est, ut detur honorarium quinquaginta aureorum, quia omnes confiteri tenentur hoc nimium non esse, nec præter necessitatem nimium gravari dantes. Dandum adeo erit honorarium quinquaginta aureorum. Quamvis vero in eandem partem cadat electio, si more veterum cum *Grotio* vota conjungas, quæ nonnisi quoad quantitatem differunt, ut prodeant unanimia, quæ concludunt (§. 75.); ratio tamen decidendi eadem non est. Qui enim contendunt, vota conjungi debere, hac ratione nituntur, quod majus contineat minus, tanquam totum partem suam (§. 352. *Ontol.*), atque hinc inferunt, qui in majus consentiunt, eos etiam consentire in minus: quod verum non esse, supra jam vidimus (*not.* §. 89.). Nostra vero ratio est, quod in casu dubio tutius sit præferendum, & necessitas jubeat, ut in hoc consentiant omnes, cum negotium exitum habere debeat, quod, quamdiu in solo suffragia ferentium jure subsistis, exitum habere nequit, omnes vero tutius existimare tenentur, in casu dubio minorem pœnam infligi reo, quam majorem, aut dantes non nimium onerandos, & in casu priori in eo utique convenire, quod non nimium gravetur reus, si pœna minor irrogetur, in posteriori autem, quod non præter necessitatem nimium onerentur dantes. Enimvero non perinde est, quanam ratione decidendi utaris: etiamsi enim in casu præsenti per utramque idem decidatur, non tamen id obtinet in quovis alio casu. Sane si rationem *Grotii* admittas, votorum conjunctione majora quoque efficiuntur vota, si v. gr. duo relegant, duo damnant in viginti, unus in decem: id quod per nostra principia non admittendum. Etenim tum ad paritatem redeunt vota relegantium & in viginti damnantium (§. 95.), cumque per præsentem propositionem eligenda sit sententia tutior, condemnandus erit reus in viginti: juxta Grotium vero idem condemnandus foret nonnisi in decem. Per nostra principia nihil committitur, quod juri votantium adversatur, quemadmodum votorum conjunctione duo coguntur discedere a sententia sua in gratiam unius, ut unus vincat ceteros omnes. Nostrum vero jam non est in ea accuratius inquirere, quæ in dubio sint eligenda in genere. De his enim rectius alibi agetur, cum a jure votandi minime pendeant, nec hoc ullo modo respiciant, sed locum habeant, ubi quis libere statuere potest, quod visum fuerit, obligatio tamen ad recte faciendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & prudentia, cui non minus parendum (§. 258. *part.* 1. *Jur. nat.*), non permittunt, ut libertate abutamur.

§. 102.

Votum decisivum quid sit.

Votum decisivum dicitur, quo paria vertuntur in majora. *Accedit adeo parti uni, si vota fuerint paria*, consequenter *voto decisivo negotium ad exitum perducitur, quando votis existentibus paribus calculo Minervæ locus non est* (§. 85.).

Votum decisivum ideo inventum est, ut, quando ob paritatem votorum negotium exitum habere nequit, quod tamen habere debet, votum unum accedat sententiæ alterutri, atque ita pro eadem dentur vota majora, quæ concludunt (§. 79.).

§. 103.

Effectus voti decisivi.

Quoniam votum decisivum paria vertit in majora (§. 102.), majora vero deinde concludunt (§. 79.); *voto decisivo declaratur, quænam sententia alteri sit præferenda, si pro utraque paria fuerint vota*, consequenter *fungitur vice sortis, aut*, si mavis, *quando sorte dirimitur, quænam sententia alteri sit præferenda, votum decisivum competit sorti.*

Ex. grat. Ponamus tres reum condemnare in duodecim, tres in octo. Si jam uni eorum, vel tertio cuidam competat votum decisivum, & is calculum suum adjiciat condemnantibus in octo;

cum

BIU Cujas

cum jam sint quatuor vota pro sententia in octo condemnantium, ea prævalet. Voto igitur decisivo declaratur, quod sententia in octo condemnantium præferenda sit alteri in duodecim condemnantium. Quod vero qui votum decisivum habet, idem faciat, quod sors, clarissime perspicitur, si id competit tertio cuidam, qui suffragium non tulerat. Nemo autem non videt, perinde esse, sive votum decisivum habeat, qui jure suffragium ferendi gaudet, sive tertius quidam, qui præter votum decisivum non habet aliud. Ceterum votum decisivum adstrictum per se non est legibus probabilitatis, juxta quas facienda est electio sententiæ alterutrius, quando votis paribus existentibus calculo Minervæ locus non est (§. 100.), veluti ut sententia tutior præferatur (§. 101.); quodsi enim juxta istas leges fieri debeat sententiæ alterutrius electio, voto decisivo opus non est. Quamobrem ex eo solo, quod quis habeat votum decisivum, in exemplo, quod dedimus, non sequitur quod qui id habet præferre debeat sententiam condemnantium in octo sententiæ condemnantium in duodecim, sed si ipsi ita visum fuerit, præferre etiam potest sententiam condemnantium in duodecim. Quodsi votum decisivum restringatur ad id, quod tutius; si qui habet votum decisivum fuerit in numero condemnantium in duodecim, calculum suum adjicere tenetur condemnantibus in octo: quod sane perinde est, ac si a sententia sua discedere & in oppositam abire cogeretur.

§. 104.

Quoniam voto decisivo negotium ad exitum perducitur, quod calculo Minervæ, seu per vota cetera ad exitum deduci nequit (§. 102.), curandum vero est, ut negotium exitum habeat (§. 70.); *naturaliter licitum est, ut consultantium uni vel tertio cuidam votum decisivum deferatur* (§. 159. 170. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). *De jure voti decisivi.*

Ipsa adeo lex naturæ votum decisivum commendat tanquam medium negotium dubium, seu controversum ad finem perducendi, quod per vota in dubitationem adductum & interminabile effectum fuerat. Quamvis vero electio sententiæ alterutrius tum fieri possit secundum leges probabilitatis (§. 100.); attamen juri suffragiorum magis convenit, ut votum decisivum consultationem terminet: ita enim per vota negotium ad exitum perducitur, quod per ea ad exitum deduci debebat, ut adeo non opus sit confugere ad rationes extrinsecas, quibus sola necessitas locum facit, intrinseca deficiente. Immo modus terminandi consultationem voto decisivo certior est, quam si ad leges probabilitatis confugias, ut præferatur quod tutius, quia contingere potest ut de eo, quod est tutius, consultantibus omnibus non idem videatur.

§. 105.

Quoniam naturaliter licitum est, ut consultantium uni, vel tertio cuidam votum decisivum deferatur (§. 104.), in societate autem socii consultant de negotiis ad societatem spectantibus (§. 61. *h.* & §. 498. *part.* 1. *Theol. nat.*), & de jure votorum id valet, quod sancitum fuit (§. 63.); *in societate conveniri potest, ut socius unus habeat votum decisivum, vel in perpetuum, vel ad certum tempus, ita ut jus ferendi votum decisivum sit ambulatorium, seu certo ordine de socio in socium transeat.* *De voto decisivo in societate.*

Quoniam jus ferendi votum decisivum prærogativa quædam est (§. 93. *part.* 1. *Jur. nat.*); si idem uni conferatur in perpetuum, inæqualitatem quandam in societatem invehit (§. 28.): ast si fuerit ambulatorium, æqualitas illibata manet (§. *cit.*).

§. 106.

Denique quia voto decisivo negotium, de quo consultatur ad finem perducitur, eodemque declaratur, quænam sententia alteri sit præferenda, quando pro duabus sententiis adversis vota paria existunt (§. 102.); *si negotium, de quo consultatur, propter votorum paritatem exitum habere nequit, standum est voto decisivo, adeoque sententia valet, quæ visa fuerit votum decisivum habenti.* *Contra votum decisivum num valeat exceptio.*

Adversus votum decisivum nulla valet exceptio, adeoque sententiæ electionem eodem factam consultantes irritam reddere nequeunt. Qui enim in voti decisivi jus consentiunt, eo ipso sese obligant, quod eodem stare velint, quemadmodum in sortis judicio acquiescendum iis, qui in sor-

BIU Cujas

sortitionem consentiunt, alias enim ad votum decisivum ac sortem temere confugerent consultantes. Naturaliter non implicat, ut, quando paritas votorum negotium interminabile efficit, in consultatione præsenti conveniatur, utrum sortitione, an voto decisivo negotium ad finem perducere velint, & quinam votum decisivum habere debeat. Quoniam tamen ad hoc nova consultatione opus est, nonnisi per vota terminanda; nemo non videt, melius esse, ut in societate lex feratur, quo medio terminandi consultationem uti velint, si quando contingat eam per votorum paritatem in casum cadere. Et quia lex naturæ perfectiva nos obligat ad id, quod melius est, alteri præferendum (§. 193. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): ut de voto decisivo lex quædam feratur, juri naturæ magis convenit.

§. 107.

De votis unanimibus vel certa parte majoribus ad concludendum requisitis.

Si ita conveniatur, ut nonnisi unanimia concludant, vel certus votorum numerus vincat, saltem in quibusdam negotiis; in casu priori nihil concludi potest, nisi unanimia adsint, in posteriori nil concluditur, quamdiu pro una sententia vel unum votum deficit. Quoniam societati competit jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant (§. 46.), consequenter etiam de consultationibus, adeoque & jure votandi (§. 74.); a voluntate sociorum pendet, quid convenire velint de eo, ut vota concludant, consequenter etiam convenire possunt, ut ne concludant, nisi vota unanimia (§. 75.), nec majora concludant, nisi quæ certo numero sunt (§. 79.). Quamobrem cum in societate valere debeat, quod de jure votandi sancitum (§. 63.); si ita conveniatur, ut nonnisi unanimia concludant, vel certus votorum numerus vincat saltem in quibusdam negotiis, in priori non concludunt nisi unanimia, nec in posteriori concludi quicquam potest, quamdiu pro una sententia vel unum votum deficit.

Facile patet, conveniri non posse, ut vota non concludant nisi unanimia, nisi quando res manere potest in eo, quo est, statu. Ita in Belgio fœderato bellum, pax, fœdera, res monetaria ac alia magni momenti non deciduntur ex pluralitate votorum, sed ad concludendum unanimia requiruntur. At ubi res in eo, quo est, statu manere nequit, conveniri potest, ut pars major, quæ vincere debet, habeat ad minorem quam vincit, datam rationem, vel ut certus votorum pro sententia victrice sit numerus, consultatione adeo tamdiu repetenda, donec numerus definitus prodeat. Obtinet hoc in electione Papæ, quæ non valet, nisi facta per duas partes ex tribus concordes. Nimirum cum rationi magis conveniat, ut vota saniora vincant, quod tamen fieri nequit (§. 77. 72.), juri autem votantium conformius sit, ut majora concludant (§. 79.); qui majoritatem votorum restringunt ad certam rationem, quam ad omnia habere debent, veluti in electione Papæ ad duas partes ex tribus, medium eligere volunt tanquam tutius, quia vota duarum partium, quæ majora sunt, præsumuntur quoque saniora, sive meliora. Hinc facile intelligitur, conveniens esse ut vota majora ad certum quendam numerum restringantur, si negotium, quod exitum habere debet, fuerit arduum, qualis est electio Papæ, tanquam capitis Ecclesiæ, cujus maxime interest, ut dignus eligatur. Quando negotium per vota exitum habere debet, jus internum colliditur cum externo, quorum illud vult, ut præferatur quod est melius (§. 192. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*), hoc vero, ut præferatur quod plurimis placet (§. 79. 66.). Statuendum est jure externo, ne negotium, quod exitum habere debet, per vota efficiatur interminabile (§. 81.), quod hypothesi repugnat. Quoniam tamen, ut recte observat *Seneca*, non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant, verendum omnino est, ut sequendo jus externum ab interno recedas, non sine magno discrimine eorum, quorum intererat negotium, de quo consultabatur, recte decidi. Periculum igitur hoc ut caveatur, quantum datur, pars major votantium ad certam quantitatem restringitur, definita ratione, quam ad integrum votantium numerum tanquam ad totum habere debet.

§. 108.

De absentibus vel aliter votare impeditis.

Qui absens est, nec ad consultationem vocatus votum suum alteri præsenti committit, aut præsens suffragium ferre non vult, aut alio quocunque modo ferre impeditur; ejus in votis numerandis nulla habenda ratio est. Etenim qui absens est, nec ad consultationem vocatus votum suum alteri præsenti committit, is tacite juri suo renunciat (§. 103. *part.* 3. *Jur. nat.*), & si præsens suffragium ferre nolit, expresse renunciat (§. *cit.*),

BIU Cujas

(§. *cit.*), consequenter se obligat ad non contradicendum ei, quod ceteri concludent (§. 104. *part.* 3. *Jur. nat. & §.* 74. *h.*). Quoniam itaque unusquisque juri suo renunciare potest, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 118. *part.* 3. *Jur. nat.*); in votis numerandis illius nulla habenda est ratio. *Quod erat unum.*

Enimvero si quis aliter impeditur, sive absens, sive præsens fuerit, quo minus suffragium ferre possit; is in deliberatione de negotio præsenti jus votandi nullum habet. Quamobrem per se patet, quod in numerandis votis nulla habenda sit ejus ratio. *Quod erat alterum.*

Dicitur vulgo vota absentium accrescere præsentibus. *Grotius* l. 2. c. 5. §. 20. ait, jus absentium accrescere præsentibus. Id enim ita intelligi debet, ut, cum alias jus votandi pertineat ad omnes, nec cuiquam invito jus suffragium ferendi de negotio, de quo consultatur, auferri possit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), si qui sint absentes, aut jure suo uti aliter impediantur, jus suffragii pertineat ad solos præsentes, & in casu altero ad eos solos, qui jure suo uti, cum sint præsentes, non impediuntur. Dari autem istiusmodi casus, in quibus qui jus votandi habet eodem uti impeditur, experientia satis constat. Casus est, si deliberandum de negotio, quod ad socium quendam spectat, veluti num puniendus, aut de negotio alio, in quo votum ipsius suspectum est, veluti si deliberatur de pœna filio irroganda, vel utrum filius sit eligendus, an alius, quando vacanti muneri aliquis præficiendus.

§. 109.

Si ita fuerit conventum, vel statutum, ut de aliquo negotio concludi nil possit, nisi præsentium certus fuerit numerus, vel omnes fuerint præsentes; quod pauciores præsentes concludunt, non valet. Ostenditur eodem modo, quo paulo ante ostendimus, non valere pluralitatem votorum quamcunque, si ea ad certum numerum fuerint restricta, vel unanimia requirantur (§. 107.). *De certo numero præsentium, ut concludere iidem possint.*

Ita ex. grat. constitui potest, ut vel omnes, vel duæ ad minimum partes adesse debeant, ut concludi possit. Quæ paulo ante de votis unanimibus, vel certo eorundem numero ad concludendum requisitis annotavimus (*not.* §. 107.), ad præsentem quoque casum accommodari possunt.

§. 110.

Quoniam non valet, quod pauciores concludunt, quando conventum, vel constitutum fuit, ut de aliquo negotio nil concludi possit, nisi præsentium certus fuerit numerus, vel omnes fuerint præsentes (§. 109.); *si numerus ad deliberandum requisitus deficiat, vel non omnes fuerint præsentes, aut deliberatio, si fieri possit, suspendenda, aut vota etiam absentium requirenda votis præsentium communicatis, ut firmiter quid concludi possit.* *Quid faciendum, si is deficiat.*

Non est, quod excipias, si tot non fuerint præsentes, quot requiruntur, ut concludi possit, sufficere, ut tot absentibus communicentur vota præsentium, quot adhuc absunt: cum enim æquale sit omnium jus, a præsentium voluntate minime pendet, quosnam ex absentibus ad complendum numerum eligere velint. Quamobrem ne quis justam habeat contradicendi causam, nec, si vota præsentium unanimia non fuerint, de electione inter se contendant: necesse utique est, ut vota præsentium absentibus singulis communicentur. Sane si nova deliberatio instituenda, omnes ad eandem vocari debent. Quoniam vero perinde esse debet, sive nova deliberatio instituatur, sive vota præsentium absentibus communicentur, ut & ipsi suffragium ferant; singulis quoque absentibus vota communicanda veniunt.

§. 111.

Qui jam suffragium tulit, mutata sententia calculum suum adjicere potest votis sequentibus, quamdiu nihil fuerit conclusum. Etenim si qui suffragium jam tulit mutata sententia calculum suum adjicit votis sequentibus, is voluntatem suam mutat (§. 62.) *Quando quis a voto suo discedere possit.*

BIU Cujas

(§. 62.), & quamdiu nihil concluſum, nihil quoque committi poteſt, quod ſit contra jus tertii ex concluſo ipſi quæſitum (§. 74.). Quoniam itaque unicuique permittendum, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil agit, quod eſt contra jus alterius (§. 377. *part. 3. Jur. nat.*); qui ſuffragium jam tulit, mutata ſententia calculum ſuum adjicere poteſt votis ſequentibus, quamdiu nihil concluſum.

Ex concluſo jus acquiritur iis, quorum vota concludunt, ut fiat, quod ipſis viſum fuit: acquiri vero etiam poteſt tertio cuidam jus, cujus res agitur, quando deliberatur. Quamdiu adeo nihil fuit concluſum, nullum quoque jus ex votis alicui quæſitum eſt, conſequenter nil obſtat, quo minus quis voluntatem ſuam mutare & votis partis adverſæ accedere poſſit, ſiquidem ſententia adverſa ipſi videatur melior.

§. 112.

An ratio voti reddenda.

Qui ſuffragium jam tulit, mutata ſententia calculum ſuum adjicere poteſt votis ſequentibus, quamdiu nihil concluſum (§. 111.), voluntatem vero mutamus, quando aliud putatur melius, quam quod ante videbatur (§. 898. *Pſych. empir.*); ideo *conſultum eſt, ut votantes rationem voti ſui reddant*, ut ſcilicet alii perſpicere poſſint, num votum ipſorum ſit melius (§. 56. *Ontol.*).

Valor voti non dependet a ratione, cur hoc potius alicui videatur, quam aliud; cum vota non ponderentur (§. 77.), ſed numerentur (§. 79.), conſequenter ratio voti nil facit ad concludendum (§. 74.). Quando igitur aſſertur, non aliud intenditur, quam ut ceteri judicare poſſint, num ſententia votantis ſit verior, conſequenter votum melius. Facit adeo ad informandum ceteros, & prodeſſe poteſt, ut vel ſequentes voto huic ſeſe conforment, vel præcedentes a ſententia ſua diſcedant & eidem accedant.

§. 113.

De mutatione concluſi.

Concluſum mutari nequit niſi unanimi ſuffragantium conſenſu, & ubi per hoc jam tertio cuidam jus quæſitum fuerit, nec conſenſu iſto mutari poteſt. Quando enim concluditur, per vota determinatur, quid fieri, aut non fieri debeat (§. 74.), conſequenter cum ſingulorum votantium æquale jus ſit (§. 78.), nemo eorum pati tenetur, ut ſe invito ab eo recedatur, quod ſemel concluſum fuit, ſed unicuique competit jus exigendi, ut concluſum executioni detur. Quamobrem ſine omnium ſuffragantium conſenſu concluſum mutari nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi ex concluſo tertio cuidam jus quoddam fuerit quæſitum; hoc invito eidem rurſus auferri nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem nec omnium conſenſu concluſum mutari amplius poteſt. *Quod erat alterum.*

Non eſt, quod hæreas, num concluſum omnium conſenſu mutari poſſit, quando jus nullum ex eo quæſitum tertio fuit. Etenim quod concluſum fuit, id aut voluerunt omnes, ſi vota unanimia fuerint (§. 66.), aut pro communi omnium ſententia habetur, quod per majora concluſum fuit (§. 80.), aut alio etiam modo, in quem omnes conſenſerunt, vel conſentire debuerunt, ut adeo, quod concluſum, ab eadem voluntate profectum intelligatur. Quamobrem cum unicuique permittendum ſit, ut voluntatem ſuam mutet, quamdiu nil agit, quod eſt contra jus alterius (§. 377. *part. 3. Jur. nat.*); quin etiam idem permiſſum ſit omnibus ſuffragantibus dubitari haud quaquam poteſt.

§. 114.

Quando quod parti minori placuit præferri poſſit ei, quod per

Quoniam concluſum mutari nequit niſi unanimi ſuffragantium conſenſu (§. 113.); *ſi per majora quid concluſum, quod placuit parti minori, eidem præferri nequit, niſi omnes, qui ſtant a parte majore, in ſententiam partis minoris abeant.*

Quando nimirum omnes, quorum vota concludebant, votis partis minoris accedunt, tum hæc in ſententia ſua perſiſtat, perinde omnino eſt, ac ſi unanimi conſenſu concluſum mutetur; quod

BIU Cujas

quod cum fieri possit, quamdiu scilicet nullum jus tertio cuidam ex concluso jam fuerit quæsitum, quod hic supponitur (*not.* §. 113.); nullum quoque dubium est, quin minoris partis sententia ex post facto prævaleat, si a concluso recedant omnes, quorum vota concludebant, & votis partis minoris sese conforment. Nimirum quando unanimi consensu concluſum mutatur, perinde est, sive neutra anteriorum sententia probetur, sive ea probetur, quæ erat partis minoris. *majora conclusum.*

§. 115.

Quando suffragia feruntur, unicuique permittendum est, ut libere dicat, quid fieri velit. Quando enim suffragia feruntur, unusquisque votantium declarare debet voluntatem suam de eo, quod communi ipsorum consensu determinandum (§. 62.), consequenter non obligatur sequi voluntatem alterius. Quoniam igitur in votando non dependet ab ullo alio, nisi a seipso, liber autem est, qui in agendo non dependet ab ullo alio homine nisi a seipso (§. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*); quilibet in votando liber est. Enimvero vi libertatis unicuique permittendum, ut in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum per se pateat, suffragium ferentem nil committere, quod sit contra jus ceterorum, quando libere dicit, quid fieri velit; quando suffragia feruntur, unicuique permittendum est, ut libere dicat, quid fieri velit. *De libertate votandi.*

Nemo adeo prætendere potest, ut ceteri votum suum approbent, nec ægre ferre, si alius sibi contradicat. Juri votandi competit libertas, repugnat vero necessitas sequendi judicium alterius. Quodsi enim voluntas tua dependere debet a judicio alieno, perinde omnino est, ac si jus votandi non haberes, ac votum tuum, quod ferre prohiberis, revera nullum censebitur.

§. 116.

Qui alteri votanti permittere non vult, ut libere dicat, quid fieri velit; injuriam eidem facit. Quando enim suffragia feruntur, unicuique permittendum est, ut libere dicat, quid fieri velit (§. 115.), consequenter si permittere nolit, jus votandi violat (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum injuriam alteri faciat, qui quid committit, quod contra jus ipsius est (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque jus ejusdem violat; qui alteri votanti permittere non vult, ut libere dicat, quid fieri velit, injuriam eidem facit. *An violatio juris votandi sit injuria.*

Voluntatem non permittendi, ut quis libere dicat, quid fieri velit, non uno actu externo prodimus, veluti si suffragium ferenti contradicimus, quia a nobis dissentit, si votum ejus perstringimus, si eidem indignamur & ita porro. Cum vota non ponderanda sint (§. 77.), sed numeranda (*not.* §. 79.), nemini quoque competit jus votum alterius examinandi, vel censendi (§. 72.). Nil tamen committitur quod libertati votandi adversatur, si quis modeste proferat rationes, quibus sententiam aliis commendet ac persuadeat (§. 112.), vel etiam roget, ut ad rationes istas animum attendant.

§. 117.

In ferendis votis is observandus est ordo, qui in conventibus observari solet. Per se patet, omnes simul loqui, adeoque votum suum ferre non posse, consequenter certo ordine vota ferri debere, ut unus primus, alter secundus ferat votum ac ita porro. Quamobrem cum in conventibus certus ordo observandus sit etiam in aliis; is in ferendis votis observandus ordo, qui in conventibus observari solet, *De ordine in votis ferendis observando.*

Quid in societatibus naturaliter de ordine tenendum sit, supra ostendimus (§. 33, *& seqq.*). Et sane inter ea, quæ ordinem exigunt, locum quoque habet suffragatio. Non igitur opus est, ut de ordine in ferendis suffragiis observando in specie quid dicatur. In statu civili lege positiva determinatur ordo: id quod non est hujus loci.

BIU Cujas

§. 118.

An si majora adsint, reliquorum vota adhuc sint expetenda.

Majora non ante concludunt, quam ubi singuli votum suum tulerunt. Etenim singulis competit jus votandi, quod nemini invito auferri potest (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Et quamvis majora jam adsint, cum tamen fieri possit, ut, qui suffragium jam tulit, sententia calculum suum adjiciat votis sequentibus, atque hoc liceat, quamdiu concluſum nihil fuit (§. 111.); vota majora non ante adesse intelliguntur, quam postquam singuli votum suum tulerunt. Majora igitur nec ante concludunt, quam vota singulorum fuerint lata.

Accedit etiam, quod majoribus accedere possint sequentes, ut adsint unanimia, vel minimum numerus majorum augeatur. Quoniam itaque majora non concludunt, nisi ubi unanimia obtineri nequeunt (§. 79.), & quo major fuerit consentientium numerus, eo major quoque sit præsumtio, quod vota ipsorum sint meliora (*not.* §. 107.); consentaneum quoque est, ut singulorum vota audiantur.

§. 119.

Quibus nam concluſum imputari nequeat.

Dissentientibus imputari nequit, quod vota majora concludunt. Qui enim dissentiunt, iidem fieri nolunt, quod fieri volunt ceteri consentientes (§. 659. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), sed tantummodo pati tenentur, ut fiat, quod hi volunt (§. 80.). Quamobrem dici nequeunt causa libera ejus, quod concluditur, consequenter cum actio non imputetur, nisi quatenus aliquis declaratur causa libera ejus, quod ex actione ipsius consequitur, boni malique vel sibi, vel aliis (§. 527. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quod vota majora concludunt, dissentientibus imputari nequit.

Ponamus in societate negotiatoria a plurimis concludi, ut pecuniæ certa summa impendatur in negotium admodum periculosum; qui dissentiunt, illis jactura pecuniæ imputari nequit, consequenter, damnum ferendum solis consentientibus, etsi alias damnum commune sit. Præstat igitur, si more Belgarum in istiusmodi casibus requirantur vota unanimia (*not.* §. 107.).

§. 120.

Quando socio uni plura competant vota.

Si quis ad finem societatis consequendum plus confert aliis sociis, valor voti æstimandus in ratione collati sui ad collatum minimum. Etenim qui duplum confert ejus, quod in collatis minimum est, is duplicem repræsentat socium; qui triplum confert, triplicem & ita porro. Quamobrem cum singuli socii votum habeant (§. 63.); qui vicem duorum, vel trium sociorum subit, vota quoque duo, vel tria habere debet. Sunt vero singula vota ejusdem valoris (§. 78.), adeoque qui vota duo habet, ejus votum æquipollet duobus, qui habet tria, ejus votum tribus æquipollet. Valor igitur voti æstimandus est in ratione collatorum ad finem societatis consequendum, si socius unus ad eundem plus confert ceteris.

Vota nimirum in casu propositionis præsentis æstimantur ratione geometrica, & sic æstimata demum numerantur. Ex. grat. Ponamus socium unum habere vota duo, tres vero singula. Si unus ex tribus consentit cum eo, qui duo vota habet, vota non erunt paria, etsi duo sint tantummodo qui consentiunt, duo autem qui dissentiunt. Votorum enim numerus est 5, quamvis ea ferentes tantummodo sint numero quatuor, & sic in casu præsente tria vincunt duo. Exempla occurrunt apud *Strabonem* lib. 13. & 14. Cum enim Libyca & tres vicinæ urbes in unum quasi corpus coiviſſent, convenerunt, ut Libycæ, quia in commune multo plus ceteris conferebat, bina essent vota, ceterarum vero singula. Similiter in Lyria viginti & tres fuerunt urbes, quarum aliæ ternæ, aliæ binæ, aliæ singula ferebant vota, quod ad eundem modum onera tolerarent. Quamvis autem juri naturæ maxime conveniat votorum æstimatio in ratione ejus, quod quis confert ad finem societatis consequendum; mos tamen populorum eidem sæpe intercedit. Ita in Belgio fœderato quamvis Hollandia & in ea Amstelodamum præcipua onera ferat; non ta-

BIU Cujas

tamen plus suffragiorum habet, quam vel modicæ civitates, & nobiles Hollandiæ nonnisi votum unum habent, quemadmodum minima urbs Provinciæ.

§. 121.

Si rem, in qua fundamentum habet societas, non æqualiter omnes participant, vota æstimanda sunt ex modo participationis, seu in ratione ejus, quod unusquisque participat. Quodsi enim rem, in qua fundamentum habet societas, non æqualiter participent omnes, perinde omnino est ac si ad finem societatis consequendum unus plus conferret aliis. Enimvero si unus socius ad finem societatis consequendum plus confert aliis, valor votum æstimandus est in ratione collatorum (§. 120.). Quamobrem si rem, in qua fundamentum habet societas, non æqualiter omnes participant, vota æstimanda sunt in ratione ejus, quod unusquisque participat. *Idem porrò expenditur.*

Exemplum tale est, si in hæreditate vel fundo alius partem dimidiam, alius sextam, alius tertiam habeat. Tum enim votum primi erit ut 3, secundi ut 1, tertii ut 2: id quod patet reductione fractionum $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{6}$, $\frac{1}{3}$ ad eandem denominationem facta. Perinde igitur est, ac si primus haberet votatria, secundus unum, tertius duo. Et secundum hunc modum vota numeranda sunt. *Grotius* lib. 2. c. 5. §. 22. propositionem præcedentem sub præsente comprehendit; sed rectius præsens reducitur ad præcedentem, quemadmodum ex demonstratione apparet. Sane si in exemplo, quod dedimus, fundus dividendus, divisio fieri debet in partes sex, & harum tres erunt primi, una secundi, duæ tertii, adeoque perinde est, ac si sex essent socii, quorum unusquisque contulisset partem unam in commune, consequenter primus repræsentat socios tres, secundus unum, tertius duos. Ceterum ex iis, quæ de diverso votorum valore demonstravimus, patet, eundem minime obstare æquali juri sociorum in votando, nec votorum numerationi, æquitati autem naturali maxime convenire, quamvis mos eidem contrarius non iniquus dici possit, propterea quod societatem contrahentes in eum consenserunt, quilibet autem vi libertatis naturalis de jure naturaliter sibi competente pro arbitrio suo statuere potest, nec id semper facit temerarie, cum ut faciat prudentia suadeat. Sed de eo jam disertius dicere ab instituto nostro alienum.

§. 122.

Qui in locum socii succedit, in omne jus ac omnem obligationem ejus succedit. Socius enim persona moralis est, quæ adeo efficitur per jura & obligationes, quæ eidem competunt (§. 70. *part.* 1. *Jur. nat.*). Qui adeo in locum socii succedit, ei idem jus competere debet, quod ipsi competebat, & eadem ipsum obligatio tenere debet, quæ illum tenebat. Patet itaque, eum, qui in locum socii succedit, in omne jus ac omnem obligationem ejus succedere. *De eo, qui in locum alicujus socii succedit.*

Si quis in locum socii succedit, tum perinde esse debet, ac si qui antea erat socius adhuc adesset. Atque ideo in persona socii nulla mutatio accidere potest: secus enim non censebitur idem socius, qui antè fuerat (§. 181. *Ontol.*). Quod sive in jure, quod socio competebat, sive in obligatione, quæ ipsum tenebat, quidpiam mutetur, tum loco socii veteris alius recipitur novus, non vero hic, qui recipitur, in locum veteris succedit.

§. 123.

Immo in genere qui in locum personæ cujusdam moralis succedit, in omne jus & obligationem ejus succedit. Patet eodem modo, quo propositionem præcedentem demonstravimus. *De eo, qui in locum alterius succedit in genere.*

Notanda quoque hic est differentia, quæ intercedit inter eum, qui in locum alterius succedit, & inter eum, qui loco alterius recipitur, quando de personis moralibus sermo est. In locum enim succedens eandem induit personam moralem: loco alterius qui recipitur, non eadem manet persona moralis, sed ea cum individuo physico mutatur. In casu adeo priori nulla accidere potest mutatio quoad jura & obligationes; in hoc autem jura non minus, quam obliga-

BIU Cujas

gationes mutari possunt, prout visum fuerit. Principio hoc utemur in sequentibus, adeoque idem hic non prætermittere debuimus. Demonstratio prædens poterat ad propositionem præsentem applicari & præcedens per modum corollarii inde inferri.

§. 124.

An socius unus se se opponere possit ei, quod per majora fuit conclusum.

Nemini sociorum competit jus sese opponendi ei, quod per majora fuit conclusum. Qui enim sese opponit ei, quod per majora fuit conclusum, is vult, ut ne sit ratum, quod plurimis placuerit, quia ipse dissentit (§. 66. 74.). Vult igitur, ut votum suum plus valeat, quam partis majoris: quod cum æquali votorum singulorum valori repugnet, utique absurdum est (§. 78.). Nemini adeo sociorum competere potest jus sese opponendi ei, quod per majora fuit conclusum (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Ostenditur etiam hoc modo. Qui in societate est, tacite in hoc consensisse intelligitur, ut illud ratum sit, quod plurimis placuerit (§. 80.), consequenter ut valeat, quod per majora fuit conclusum (§. 66. 74.). Quamobrem cum societates nitantur pacto, vel quasi pacto (§. 1.), ex quasi pacto autem non minus (§. 505. *part.* 4. *Jur. nat.*), quam ex pacto nascatur obligatio (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); quilibet socius obligatur pati, seu universis sese obligavit, quod pati velit, ut illud ratum habeatur, quod plurimis placuerit, seu ut valeat, quod per majora conclusum. Nulli adeo competere potest jus sese opponendi ei, quod per majora fuit conclusum.

Immo hoc quoque modo demonstratur. Qui sese opponit ei, quod per majora fuit conclusum, quia ipse dissentit; is vult ut sententia sua sententiæ plurium consentientium præferatur, certe non alia de causa, quam quod prætendat, votum suum esse melius votis partis majoris. Vult itaque, ut vota meliora concludant. Quoniam itaque vota meliora concludere nequeunt, quando vota inter se contendunt (§. 76.); nemini quoque sociorum competere potest jus sese opponendi ei, quod per majora fuit conclusum.

Quodsi uni sociorum liceat sese opponere ei, quod per majora fuit conclusum, votum potentioris semper vincet, consequenter omnia in societate dependent a voluntate socii potentioris, quæ tamen communi sociorum consensu determinanda sunt (§. 44.). Qui adeo hoc prætendit, jus sibi arrogat, quod nulli socio competere potest, ac perinde est, ac si omnes a voluntate ipsius dependere deberent. Facile autem patet, neminem sibi alios invitos subjicere posse. Quocunque igitur modo rem consideres, semper absurdum erit, sese opponere ei, quod per majora conclusum, nisi scilicet de modo, quo vota concludere debent, specialiter quidpiam fuerit conventum (§. 107.). Nullo igitur jure sese votis majoribus socius aliquis opponit.

§. 125.

An pars minor sese opponere possit conclusis per majora facto.

Quoniam nemini sociorum competit jus sese opponendi ei, quod per majora fuit conclusum (§. 124.); *nec pars minor sociorum sese opponere potest ei, quod per vota partis majoris conclusum.*

Jus partis minoris non differt a jure singulorum, qui hanc partem faciunt. Ponamus enim tres esse socios dissentientes. Cum horum primo non competat jus sese opponendi ei, quod per majora conclusum, nec tale jus competat secundo, neque etiam tertio; nulla sane ratio est, cur tribus hisce simul sumtis competere debeat jus, quod singuli habere nequeunt. Ex jure singulorum metiendum est jus simul sumtorum. Ast in re satis manifesta prolixiores esse nolumus.

§. 126.

Quando unius dissensu irritum

Si ita fuerit conventum, ut nonnisi unanimia concludant, dissensu unius irritum efficitur, quod ceteri concludunt. Quodsi enim ita fuerit conventum, ut nonnisi unanimia concludant, nisi unanimia adsint, nihil concludi potest (§. 107.). Quoniam itaque

BIU Cujas

que unanimia non adsunt, si vel unus dissentit (§. 66.); quamdiu vel unus dissentit, nihil concludere licet. Quodsi ergo non obstante unius dissensu ceteri concludant, quid fieri debeat, nullo jure hoc faciunt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter conclusum hoc unius dissensu irritum efficitur. *efficiatur; quod ceteri concludunt.*

Sane quando ad concludendum unanimia requiruntur, uni cuilibet competit jus non patiendi, ut ceteri se dissentiente quicquam concludant. Injustum adeo est, quando vel uno dissentiente ceteri quicquam concludere audent, adeoque naturaliter non valet, cumque dissentiens pati non teneatur, ut jus suum violetur; licite sese opponit ei, quod a ceteris conclusum.

§. 127.

Si ad concludendum certus votorum numerus requiratur, & vel uno voto deficiente quidpiam concludatur; dissentientes conclusum irritum facere possunt. Quando enim ad concludendum certus numerus requiritur, nihil concludi potest, quamdiu pro sententia plurium vel votum unum deficit (§. 107.). Unde porro eodem, quo ante (§. 126.), modo patet, dissentientes conclusum irritum facere posse, si ad concludendum certus votorum numerus requiratur, & vel uno deficiente quidpiam concludatur. *Quando dissentientes pauciores conclusum irritum efficere possint.*

Nimirum si certa detur lex de numero votorum concludentium, in societate ferendum non est, ut ab ea recedatur, aut ab uno vel altero socio fiat, quod eidem adversatur (§. 51.). Singuli socii obligantur ad observantiam legum; singulis etiam competit jus non patiendi, ut quid fiat, quod iisdem contrariatur.

§. 128.

Conclusum dicitur *legitimum*, vel etiam *justum*, quod juxta leges de jure votandi sancitas, aut mores factum. Quamobrem cum in societate ferendum non sit, ut a lege recedatur, aut ab uno vel altero socio fiat, quod eidem adversatur (§. 51.), mores autem vim legum obtineant, cum in eos tanquam regulam tacite consenserint, qui iisdem utuntur; *concluso legitimo seu justo nemo sese opponere jure potest, nec ferendum, ut quis hoc faciat.* *De concluso legitimo, seu justo.*

Cum in societate vota non ponderentur (§. 77.); conclusum per ea factum examinari nequit nisi secundum leges ac mores suffragia ferendo (§. 72.). Quodsi adeo nil objici possit, quod hisce contrarietur; conclusum censetur legitimum, seu justum, quippe eo modo factum, quo fieri debet. Ita si plurima vota simpliciter concludunt, conclusum justum dicetur, quod juxta plurima factum. Et ex adverso injustum, seu illegitimum erit, quod factum paucioribus conformiter. Agitur enim hic de jure externo, cujus fundamentum sunt leges ac mores, non alio fine latæ ac introducti, quam ut certo constet, quidnam concludi & quodnam conclusum pro justo haberi debeat, cum in votis ponderandis unusquisque suo abundet sensu, nec unquam sperandus sit consensus (§. 73.).

§. 129.

Jus proponendi ea, de quibus consultandum, ac de iis vota colligendi & juxta ea conclusum faciendi in aliquem conferendum. Per se patet, necesse esse, ut quis ea proponat, de quibus consultandum, ut vota eorum, quibus jus votandi competit, colligat, & ut concludat, quid per vota fieri debeat. Quoniam vero communi sociorum consensu statuendum est de iis, quæ constanter ac semper eodem modo fieri debent, & quod statutum fuit, observare obligantur socii (§. 45.); ideo jus quoque proponendi ea, de quibus consultandum, ac de iis vota colligendi & juxta ea conclusum faciendi in aliquem conferendum. *De jure proponendi, vota colligendi & concludendi.*

Naturaliter itaque a voluntate sociorum unice dependet, quid ea de re statuere velint. Et quod ipsis placuerit, id posthac observandum (§. 45.). Immo quamprimum quis in societatem

BIU Cujas

tem recipitur; ad hujus obſervantiam obligatur (§. 60.). Nemo igitur jus proponendi vel vota colligendi, aut concluſum faciendi ſibi arrogare poteſt, niſi is, in quem id fuerit collatum. Non tamen nego fieri poſſe, ut ita conveniatur, cuilibet integrum eſſe debere, ut ea proponat, quæ e re ſocietatis eſſe putet, ac de eo vota colligat, & per ea concludat. Quodſi enim ita conventum fuerit, jus quoque, de quo nobis jam ſermo eſt, promiſcue in quemvis collatum. Neque adeo id refragatur propoſitioni præſenti. An vero conſultum ſit, ut ita conveniatur, in præſenti diſquirendum non eſt. Neque enim de eo jam quæritur, quid ſit melius; ſed quid ſit juris: jus autem metiendum eſt ex eo, quod ſociis placuit & conventum fuit.

§. 130.

Quid tenendum, ſi quis quædam proponi velit, cui id juris non competit.

Si jus proponendi in certam perſonam collatum & quis velit aliquid proponi, de quo deliberetur; hic illum ut proponat rogare debet. Etenim ſi jus proponendi in certam perſonam collatum, nemini ad deliberandum quid proponere licet niſi ipſi (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi quis velit, quædam ad deliberandum proponi; is utique rogare tenetur eum, in quem jus proponendi collatum, ut proponat.

Fieri omnino poteſt, ut uni vel alteri ſociorum ſubinde ſuccurrant nonnulla, quæ e re ſocietatis, vel etiam hujus aut alterius ſocii eſſe videntur, & de quibus ut deliberetur ac certi quid concludatur conſultum eſt. Quamobrem, ut id proponatur ad deliberandum, officiis ſociorum conſentaneum (§. 7.). Quoniam tamen nemo ſibi arrogare poteſt jus, quod alteri competit, cum nemo naturaliter facere debeat, quod eſt contra jus alterius (§. 910. *p.* 1. *Jur. nat.*); ideo ſi jus proponendi in certam quandam perſonam collatum, is quoque proponere debet, non alius, conſequenter ut proponat, rogandus eſt.

§. 131.

Si is rogatus proponere nolit.

Si is, in quem jus proponendi collatum rogatus, ut quid proponat, proponere nolit; naturaliter provocare licet ad integram ſocietatem, ut per vota ſociorum concludatur, utrum ad deliberandum proponi debeat, nec ne. Quoniam enim quilibet ſociorum facere obligatur, quod ad finem ſocietatis conſequendum facere poteſt (§. 7.), ac ſalutem ſocietatis curæ habere (§. 16.), ſingulis autem ſociis competit jus declarandi voluntatem ſuam de eo, quod fieri debet in caſu emergente, qui ad ſocietatem ſpectat (§. 61.) & per vota concluſum faciendum (§. 75. *& ſeqq.*); cuilibet omnino ſocio integrum eſt rogare eum, in quem jus proponendi collatum, ut proponat id, quod ipſi e re ſocietatis eſſe videtur. Atque adeo quoque, qui jus proponendi habet, rogatus proponere debet id, quod e re ſocietatis ſocio uni, vel alteri videtur. Quodſi ergo facere nolit, cum ipſi non competat jus de eo, quod ad finem ſocietatis conſequendum fieri debeat, per ſe ſtatuendi (§. 61.); naturaliter utique ei, qui quid proponi vult, provocare licet ad ſocios omnes, ut hi ſtatuant, utrum ad deliberandum id, quod vult, proponi debeat, nec ne.

Naturaliter unicuique competit jus proponendi ad deliberandum id, quod ad finem ſocietatis conducere ipſi videtur, cum unicuique ſalus ſocietatis curæ eſſe debeat (§. 16.), ſinguli tamen de eo voluntatem ſuam declarare teneantur (§. 61.). Quando vero neceſſitas, vel utilitas exigit, ut jus proponendi in unum quendam conferatur; id in eum non collatum intelligitur ea lege, ut de eo, quod ad finem ſocietatis conducit, ſtatuat pro lubitu, quaſi ceteris ademta ſit omnis cauſa ſalutis ſocietatis. Jus enim proponendi ea, de quibus deliberandum eſt, hoc minime involvit, quippe quod non alia ratione nititur, quam ut omnia ordine fiant, abſque ulla confuſione. Aliud omnino eſt proponere ea, de quibus deliberandum eſt, aliud vero ſtatuere, utrum de aliquo deliberandum ſit, nec ne: hoc enim ſupponit, ut unus ſociorum ſolus de rebus nonnullis ad ſocietatem ſpectantibus ſtatuere poſſit, quod fieri non debeant, ſi ipſi ita viſum fuerit. Jus igitur hoc ſibi arrogare nequit is, in quem jus proponendi ordinis cauſa collatum. Quamobrem cum nemo ſociorum pati teneatur, ut alius quidam ſocius ſibi arroget jus, quod non habet; neceſſe omnino eſt, ut ſingulis competat jus provocandi ad ſocios omnes, ubi is, qui jus proponendi habet, proponere renuit id, quod ipſi ad proponendum commendatur.

§. 132.

BIU Cujas

§. 132.

Concordes dicuntur, qui ejusdem sunt animi, seu quorum eadem est voluntas & noluntas. Unde *Concordia* est identitas animorum, seu voluntatis ac noluntatis in diversis subjectis. *Concordia quid sit.*

Nimirum si unus vult, quod vult alter, & unus etiam non vult, quod non vult alter; duo hi sunt concordes. Ac idem etiam intelligitur de pluribus.

§. 133.

Discordes ex adverso dicuntur, qui non sunt ejusdem animi, seu quorum diversa est voluntas & noluntas. Unde *Discordia* est diversitas animorum, seu voluntatis ac noluntatis in diversis subjectis. *Discordia quid sit.*

Nimirum si unus vult, quod alter non vult, vel unus non vult, quod vult alter, aut si diversa volunt, veluti unus hoc, alter aliud; hi duo discordes sunt. Ac idem etiam intelligitur de pluribus. Dissident discordes animo.

§. 134.

Concordes sunt socii, si vota eorum fuerint unanimia, vel si majoribus sese non opponunt, ac legibus societatis sese subjiciunt. Etenim si vota fuerint unanimia, socii omnes idem volunt, vel nolunt (§. 66. 65.). Quamobrem cum concordes sint, si idem volunt, vel nolunt (§. 132.); concordes utique sunt, si eorum vota fuerint unanimia. *Quod erat unum.* *Quando socii sunt Concordes.*

Enimvero quando vota unanimia haberi nequeunt, majora concludunt (§. 79.), & quod majori parti visum est, id habetur pro communi omnium sententia (§. 80.), consequenter omnes adhuc idem velle, vel nolle censentur, siquidem nullus majoribus sese opponit, sed in eo, quod per majora fuit conclusum, omnes acquiescunt. Quamobrem cum concordes sint, qui idem volunt, vel nolunt (§. 132.); concordes quoque sunt socii, si dissentientes majoribus sese non opponunt. *Quod erat secundum.*

Denique cum leges societatis sint regulæ, juxta quas socii qua tales actiones suas determinare obligantur (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si se legibus subjiciunt, adeoque actiones suas in iis, quæ ad societatem spectant, juxta easdem determinant, in rebus societatem spectantibus idem volunt ac nolunt. Quoniam itaque concordes sunt, si idem volunt ac nolunt (§. 132.), concordes utique sunt, si sese legibus subjiciunt. *Quod erat tertium.*

Quælibet societas suas habere debet leges (§. 46.), quibus etiam accensentur mores (*not.* §. *cit.*). Legum adeo observantia conservantur concordia. Quoniam lege definitur, utrum tantummodo unanimia concludere debeant, an vero etiam istis deficientibus majora (§. 107.), quemadmodum naturaliter obtinet, nisi aliquid conventum fuerit in contrarium (§. 79.); qui majoribus sese non opponit, legi societatis utique sese subjicit, atque adeo hoc quoque in casu legum observantia concordia conservatur.

§. 135.

Discordes sunt socii, si qui legibus subjecti esse nolunt, ac majoribus votis sese opponunt, etiamsi conventum non fuerit, ut nonnisi unanimia concludant. Quoniam enim leges societatis sunt regulæ, juxta quas socii qua tales suas actiones determinare tenentur (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), si qui legibus sese subjiciunt, adeoque actiones suas in iis, quæ ad societatem spectant, juxta eas determinant, alii vero illis se- *Quando sint discordes.*

BIU Cujas

se subjicere, adeoque actiones suas in in iis, quæ ad societatem spectant, determinare nolunt; evidens omnino est, non idem velle ac nolle omnes. Quamobrem cum discordes sint socii, si non idem volunt & nolunt, sed quod alii volunt, id alii nolunt (§. 133.); discordes utique sunt, si qui legibus subjecti esse nolunt. *Quod erat unum.*

Quoniam vota majora concludunt (§. 79.), nisi expresse fuerit conventum, ut nonnisi unanimia concludant (§. 107.); legibus omnino societatis accenseri debet, ut majora concludant, quando unanimia haberi nequeunt (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 80. *h.*). Qui adeo majoribus sese opponit, etiamsi expresse non fuerit conventum, ut nonnisi unanimia concludant, legibus societatis subjectus esse non vult. Quamobrem cum discordes sint socii, si qui legibus subjecti esse nolint, *per demonstrata*; discordes omnino erunt, si qui majoribus sese opponunt, etiamsi expresse non fuerit conventum, ut nonnisi unanimia concludant. *Quod erat alterum.*

Non est, quod excipias, si vota non fuerint unanimia, alios nolle, quod volunt alii (§. 66.), consequenter discordes esse socios, quando unanimia haberi nequeunt (§. 133.). Quodsi enim vota majora concludant, & his acquiescant ceteri, quorum dissentientia erant vota, lex animos eorum unit, adeoque concordia conservatur, quatenus eidem sese subjiciunt, qui in diversam sententiam abibant. Unum enim idemque est; si effectum spectes, sive omnes idem velint, aut nolint, sive dissentientes acquiescant in eo, quod consentientibus placuit. Discordiæ adeo in societate autores sunt, qui exleges esse volunt (§. 165. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque suo nutu omnia fieri debere contendunt.

§. 136.

Concordia sociorum debita.

Socii concordes esse debent. Quilibet enim socius obligatur ad legum observantiam (§. 60.), nec ferendum est in societate, ut ab uno vel altero socio fiat, quod iisdem adversatur (§. 51.), consequenter socii omnes sese legibus subjicere debent. Enimvero si socii sese legibus subjiciunt, concordes sunt (§. 134.). Socii itaque concordes esse debent.

Non igitur sociis concordia tantummodo commendanda tanquam medium, sine quo salus societatis consistere nequit; verum ea spectanda est tanquam debitum, ita ut discordia sit illicita, tanquam naturaliter prohibita (§. 170. *p.* 1. *Philos. pract. univ.*), ut adeo discordiarum autores peccent & in societatem injurii sint. Observantia nimirum legum conservatur concordia (*not.* §. 134.), ea vero debita est (§. 60.). Sine observantia legum salus societatis subsistere nequit (§. 50.), quam tamen unusquisque sociorum curæ habere debet (§. 16.), atque ideo concordia sociis quam maxime commendanda. Quoniam vero lege naturali præcipitur concordia; ideo patet, discordiam eadem prohiberi (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque illicitam esse (§. 180. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 90.

Quando societates contrahenda.

Si unius vires non sufficiunt ad finem aliquem consequendum societates contrahenda. Etenim si unius vires non sufficiunt ad finem aliquem consequendum, necesse est ut tot vires suas conjungant, quot ad eundem consequendum vires sufficientes habent, consequenter ut sibi mutuo promittant, quod conjunctis viribus operam dare velint, ut eandem consequantur, adeoque de fine ipso conjunctis viribus consequendo inter se paciscantur (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam itaque pacto de fine quodam conjunctis viribus consequendo societas contrahitur (§. 1.); si unius vires non sufficiunt ad finem aliquem consequendum, societas contrahenda.

§. 138.

De societate a natura instituta.

Ipsa natura societatem inter homines instituit & ad societatem colendam eos obligat. Etenim nemo hominum solus se stacumque suum perficere potest, quemadmodum debet

BIU Cujas

bet (§. 167. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), sed unusquisque aliorum indiget auxilio, nec nisi conjunctis viribus perfectio ista obtineri potest (§. 220. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ac ideo homines per ipsam essentiam atque naturam suam obligantur ad perfectionem suam statusque sui conjunctis viribus promovendam (§. 221. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque lex naturæ imperat, ut homines velint conjunctis viribus perfectionem sui statusque sui promovere, atque adeo perinde sit ac si de hoc fine conjunctis viribus consequendo pactum iniissent (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); ipsa natura societatem inter homines instituit (§. 1.), & quatenus ab hac obligatione naturali nemo sese liberare valet (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*), ipsa natura homines obligat ad societatem colendam.

Societas hæc naturalis est, & latissime patet, cum extendatur ad omnia officia erga alios. Obligatio autem ista generalis ad vitam socialem colendam continet quoque obligationem ad contrahendas societates voluntarias, de qua dictum est in propositione præcedente (§. 137.). Vires enim hominum non sunt inexhaustæ, ut unus omnibus in universum quocunque in casu prodesse possit. Quamobrem necesse est, ut quidam per pacta sese invicem sibi obligent ad certos fines conjunctis viribus consequendum, atque adeo societates contrahant (§. 1.).

§. 139.

Quoniam ipsa natura hominem obligat ad societatem colendam (§. 138.); *nemini licet, vitam solitariam agere, ut sibi soli vivat, non aliis.* *An vitam solitariam agere licitum.*

Nemo sane nostrum sibi soli vivere debet, cum alteri cuicunque idem debeat, quod sibi, quatenus alter id non habet in potestate sua, ipse autem citra neglectum officii erga seipsum hoc alteri præstare potest (§. 608. *p.* 1. *Jur. nat.*). Hoc cum fieri minime possit, nisi homines conjunctis viribus commune bonum promovere studeant; ideo nec iis convenit, ut ferarum instar vitam solitariam agant. Ipsa omnino bruta ad societatem ineundam naturali instinctu feruntur, quando finem aliquem, propter quem agunt, nonnisi conjunctis viribus consequi datur. Exemplo sunt aves, quando speciei propagandæ operam dant.

§. 140.

Adjutorii nomine veniunt actus, quibus vel ad factum alterius concurrimus, vel bonum alterius promovemus. *Mutuum* adeo *adjutorium* est, quod duo vel plures sibi invicem præstant, veluti si unus concurrit ad facta alterius & hic vicissim ad facta illius, & unus promovet bonum alterius & hic vicissim bonum illius. *Adjutorium quid sit, & quid sit mutuum.*

Non recensere jam lubet, quot modis quis ad factum alterius concurrere possit: id enim jam abunde ostendimus alibi (§. 110. & seqq. *part.* 2. *Philos. pract. univ.*). Neque etiam inquirimus, quot modis unus bonum alterius promovere possit; id enim patet ex iis, quæ de officiis erga alios in parte prima Juris naturæ integro capite tertio demonstravimus, tum etiam passim in sequentibus. Id tantummodo notandum est, cum absentia mali bonum sit (§. 756. *part.* 1. *Jur. nat.*); bonum quoque alterius a nobis promoveri, si malum quoddam ab eo depellimus, veluti avertendo, ne in id incidat, vel eundem ab eodem liberando, ubi eo jam affligitur. In societatibus particularibus bonum commune consistit in fine, cujus gratia contrahuntur (§. 11.). Qui adeo hæc omnia probe perspecta habet, ei non difficile erit in casu quocunque de adjutorio judicium ferre.

§. 141.

Quoniam mutuum adjutorium requirit, ut unus concurrat ad factum alterius & hic vicissim ad factum illius, & unus promoveat bonum alterius & hic vicissim bonum illius (§. 140.); *qui mutuum adjutorium sibi invicem præstant, ii vires suas conjungunt in agendo, & in eo, quod ipsis bonum est, promovendo, & contra.* *Quinam mutuum adjutorium sibi invicem præstent.*

BIU Cujas

In mutuo adjutorio unus supplet defectum virium alterius, ut obtineatur, quod alias obtineri non poterat, vel non poterat adeo commode. In agendo adeo duo vel plures spectantur tanquam una persona ac unus alterum consideratanquam seipsum, si mutuum sibi adjutorium præstant.

§. 142.

Societas naturalis quanam sit, & quanam magna dicatur.

Societas naturalis dicitur, quam ipsa natura inter homines instituit. Vocatur autem *magna*, quam inter homines promiscue omnes instituit.

Cum societatem superius definiverimus per pactum, vel quasi pactum (§. 1.); forsan non deerunt, qui existimaturi sunt, quasi societas nulla inter homines a natura instituta dicit possit, nisi a significatu isto recedatur, consequenter si significatus iste proprius esse debeat, nonnisi improprie dici posse natura societatem quandam institutam esse. Enimvero hi erunt, qui non satis perpendunt, quid sit quasi pactum. Etenim quasi pactum nititur consensu præsumto alterius (§. 504. *part. 5. Jur. nat.*). Quamobrem cum ipsa natura nos obliget ad perfectionem nostram ac status nostri promovendam conjunctis viribus (§. 221. *p. 1. Phil. pract. univ.*); unusquisque habere debet voluntatem conjunctis viribus perfectionem communem sui ac status sui promovendi (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cumque nemo hominum solus se statumque suum perficere possit, sed unusquisque indigeat auxilio aliorum, nec nisi conjunctis viribus perfectio ista obtineri possit (§. 220. *p. 1. Phil. pract. univ.*); quin quivis habeat voluntatem istam, quando hoc cognoscit, dubitandum non est. Et ipsa lex consensum eorum, quorum ope indigemus, præsumere jubet. Atque adeo dici potest, societatem istam naturalem niti quasi pacto, quod natura nostro nomine fecit, nisi hoc a nobis ipsis factum admittere velis. Homines conjunctis viribus commune bonum promovere debent, adeoque in hoc consentire, cum non dependeat ab ipsorum voluntate utrum consentire velint nec ne (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum quilibet velle intelligatur, ut alter bonum ipsius promoveat & in eo promovendo auxilium præstet, alter quoque idem velle præsumitur, consequenter in commune bonum conjunctis viribus promovendum consentire intelliguntur (§. 658. *p. 1. Phil. pract. univ.*). Sed vix opus est, ut in hisce simus prolixiores: parum enim refert, sive dicas, societatem naturalem improprie talem dici, sive nolis, societatem omnem a pacto vel quasi pacto derivari. Hoc unum saltem addimus, neminem in dubium vocare, si superiori sit parendum, societatem a nobis esse contrahendam, quando jubet. Enimvero natura quoque jubet, ut societatem inter se contrahant omnes, adeoque necessario contrahenda, & quatenus ab illa obligatione nos liberare non possumus contracta intelligitur. Instituit autem natura hanc societatem, quatenus homines natura tales sunt, ut unus sine auxilio alterius perfectionem sui ac status sui consequi minime possit (§. 220. *p. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 143.

De iis, quæ ex custodia societatis fluunt.

Quoniam naturaliter obligamur ad eam societatem colendam, quam ipsa natura inter omnes homines instituit (§. 138.), consequenter quæ naturalis est (§. 142.); *quicquid magnæ illi societati naturali repugnat, id jure naturali illicitum est, quicquid vero ad eam conservandam facit eidemque convenit*, seu rationem sufficientem in eadem habet, *id est juris naturæ*.

Inde est quod *Grotius* de J. B. & P. in Prolegom. §. 8. societatis custodiam humano intellectui convenientem, fontem esse statuat ejus juris, quod proprie tali nomine appellatur: quo refert alieni abstinentiam, & si quid alieni habeamus aut lucri inde fecerimus restitutionem, promissorum implendorum obligationem, damni culpa dati reparationem & pœnæ inter homines meritum. In quo sequitur *Ciceronem*, qui lib. 1. de LL. disserte ait, si patefiat, cujus muneris colendi efficiendique causa nati & in lucem editi simus, quæ sit conjunctio hominum, quæ *naturalis societas* inter ipsos, his explicatis, fontem legum & juris inveniri. Enimvero etsi negari haudquaquam possit, ex custodia societatis naturalis, quæ conjunctione hominum unitatem generis humani efficit, ea deduci posse, quæ ad jus externum, quod stricte sic dictum appellat *Grotius*, spectant, consequenter juris naturæ esse, quod ad eam conservandam & colendam pertinet, eidem autem repugnare, quod societati huic repugnat; non tamen propositionem hanc invertere licet, quod quicquid juris naturæ est id ex societatis custodia deduci possit ac debeat, quemadmodum visum fuit *Pufendorfio*. Jus enim internum, præsertim officia erga seipsum & erga Deum, ex custodia societatis deduci nequeunt. Sane non ante intelligitur obligatio

BIU Cujas

gatio hominis ad societatem colendam, quam ubi ante intellexeris, quid sibi debeat (§. 220. *& seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), & qualis esse debeat societas ista naturalis ex eo ipso æstimandum, quod singuli sibimetipsis debent. Hinc & *Cicero* ad fontem legum ac juris inveniendum quæ faciant enumeraturus, primo loco nominat munus, cujus colendi efficiendique causa nati & in lucem editi sumus ac huic subjungit societatem naturalem tanquam medium, sine quo finem istum consequi non datur & quod non abhorret ab iis, quæ distinctius a nobis demonstrata sunt in parte prima Philosophiæ practicæ universalis, ubi omnis juris naturalis fontem aperuimus & ex ipsa hominis natura deduximus. Nec ipse *Grotius* ea, quæ ad jus internum spectant, ad custodiam societatis, refert, prouti apparet ex §. 9. & 10. *Proleg.* & *Seneca* lib. 4. de benef. c. 18. cum societate conjungit rationem tanquam duas res diversas homini datas, quæ ipsum animantibus ceteris validissimum efficerent, & *Grotius* §. 7. cum appetitu excellente societatis facultatem sciendi agendique secundum præcepta generalia. Quæ adeo non satis distincte a veteribus tradita fuerunt, ea a nobis distincte exposita sunt ac demonstrata, ut & facilius intelligi & quomodo unum ab altero dependeat penitius perspici possit.

§. 144.

Societatis naturalis finis est mutuum adjutorium in se statuque suo perficiendo. Etenim ideo natura societatem instituit inter homines in universum omnes ac ad eam colendam omnes obligat, quia nemo sibi solus sufficit ad perfectionem sui statusque sui consequendum, sed unus alterius ope indiget, prouti ex demonstratione superiori liquet (§. 138.). Finis adeo hujus societatis est sui perfectio tanquam commune bonum conjunctis viribus obtinendum (§. 932. *Ontol. &* §. 11. *h.*). Quamobrem cum mutuum adjutorium sibi invicem præstent, qui vires suas conjungunt in agendo & in eo, quod ipsis bonum est, promovendo (§. 141.); societatis naturalis finis utique est mutuum adjutorium. *Societatis naturalis quinam sit finis.*

In societate naturali, quemadmodum ea latissime omnium patet, ita etiam mutuum adjutorium ad omnes omnino actus extenditur, quibus bonum generis humani promoveri potest. Per societatem autem istam non aliud intenditur, quam ut homines sibi mutuo ea præstent, quæ ad perfectionem sui ac status sui consequendum faciunt, ac ideo animos ac vires conjungant. Mutuum adeo adjutorium finis est, qui animorum ac virium conjunctione tanquam medio obtinetur. Remotior autem finis est generis humani ac status eorundem perfectio, quippe quam mutuo adjutorio consequi datur. Animorum ac virium conjunctio unitatem generis humani efficit, & quatenus conjunctionem istam necessariam efficit natura, societatem inter homines instituit.

§. 145.

In qualibet societate socii sibi invicem obligantur ad mutuum adjutorium in iis, quæ ad finem societatis consequendum quomodocunque faciunt. Etenim quilibet socius obligatur facere, quæ ad finem consequendum facere potest (§. 7.), consequenter etiam concurrere quando opus est, ad factum socii alterius propter finem societatis agentis, & cum eo in agendo, ac in bono communi promovendo vires suas conjungere. Quoniam itaque mutuum adjutorium sibi invicem præstant, qui hoc faciunt (§. 141.); in qualibet societate socii sibi invicem obligantur ad mutuum adjutorium in iis, quæ ad finem societatis consequendum quomodocunque faciunt. *De mutuo adjutorio in qualibet societate.*

Atque hinc patet, quo sensu mutuum adjutorium dici possit finis cujuscunque societatis, nimirum respectu finis, cujus gratia societas contrahitur, ita ut illud tanquam finis intendatur, dum societas initur, sed per modum medii subordinetur fini isti, cujus causa societas contrahitur, & qui tanquam bonum commune spectatur (§. 11.). Quoniam vero mutuum adjutorium extenditur ad ea omnia, quæ quocunque modo ad finem societatis consequendum faciunt; non solum ea hic spectanda sunt, quæ immediate ad finem consequendum faciunt, sed etiam ea, a quibus actus, in quo mutuum adjutorium immediate consistit, quomodocunque dependet.

§. 146.

BIU Cujas

§. 146.

Concordia omnium hominum præcepta.

Homines omnes concordes esse debent. Etenim natura societatem inter homines instituit & ad eam colendam eos obligat (§. 138.), adeoque homines omnes spectandi tanquam socii (§. 4.). Enimvero socii concordes esse debent (§. 136.). Ergo homines concordes esse debent.

Non nego, concordiam inter homines omnes inter ea referendam esse, quæ quidem optanda forent, attamen sperari neutiquam possunt. Non tamen inde sequitur eam lege naturali non esse præceptam. Sane amor ille mutuus, quo homines omnes prosequi debent sese invicem (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), etiam exulat ex orbe; hoc tamen non obstante dici nequit, quod lege naturæ non sit præceptus. Nec dici potest, obligationem naturalem extendi ad id, quod impossibile: id quod sit absurdum (§. 109. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Neque enim in se repugnat, ut concordes sint homines sed eorum vitio hoc accidit. Obligatio ad servandam concordiam tenet omnes &, si saperent, eandem colerent: quod autem pauciſſimi obligationi satisfaciant, propterea ea non tollitur. Quodsi omnes obligationi naturali satisfacerent, vi cujus se statumque suum perficere tenentur, quantum datur, concordes quoque forent omnes, ut adeo defectus concordiæ tribuendus sit defectui officiorum erga seipsum.

§. 147.

De Discordia vitanda.

Quoniam homines omnes concordes esse debent (§. 146.), lex autem præceptiva simul est prohibitiva contrarii (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*); *discordia lege naturali prohibita*, consequenter *nemo facere debet, quod discordiæ causa sit.*

Ex officiis dijudicandum est, quinam sit discordiæ autor. Qui enim vult, quod officia exigunt, altero repugnante, is non est autor discordiæ, sed ea huic tribuenda. Similiter qui non vult, quod officiis repugnat, altero volente, is dici nequit discordiæ autor, sed ea volenti imputanda.

§. 148.

In quo universalis concordia consistat.

Quoniam homines omnes concordes esse debent (§. 146.), concordes vero sunt, qui idem volunt ac nolunt (§. 133.); *omnium hominum in iis, quæ ad magnam illam societatem naturalem spectant, eadem esse debet voluntas, eadem noluntas.*

Societatis naturalis, quæ inter omnes homines intercedit, finis est mutuum adjutorium in se ac statu suo perficiendo (§. 144.). Quoniam itaque unusquisque ad se ac statum suum perficiendum obligatur (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), omnes hoc velle debent. Et quoniam hoc fieri nequit, nisi conjunctis viribus. (§. 220. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); omnes quoque velle debent mutuum adjutorium in se ac statu suo perficiendo (§. 141.). Atque adeo patet, hominum omnium eandem fore voluntatem, siquidem omnes obligationi naturali satisfacerent. Ac idem intelligitur de noluntate. Videmus adeo legem naturæ in hominibus requirere eandem voluntatem ac noluntatem in iis, quæ ad officia spectant, consequenter concordiam legi naturæ apprime consentire. & ex adverso nihil magis eidem adversari, quam discordiam. Ex stricta observantia legis naturæ concordia per se oritur: quamprimum vero ab hac receditur, discordiæ locus est, cum jam sint contrariæ hominum voluntates atque noluntates.

§. 149.

De jure non patiendi, ut quis faciat, quæ bono communi societatis magnæ adversantur.

Singulis hominibus naturaliter competit jus non patiendi, ut quis faciat, quæ communi bono societatis illius naturalis magnæ adversantur. Quoniam enim magna illa naturalis societas inter omnes homines a natura promiscue instituta (§. 142.), homines omnes in universum consocii sunt (§. 4.). Quamobrem cum consocii pati non teneantur, ut socius faciat, quæ communi bono adversantur (§. 25.); singulis hominibus

BIU Cujas

naturaliter competit jus non patiendi, ut quis faciat, quæ communi bono societatis illius naturalis magnæ adversantur.

Facile patet hic non sermonem esse de eo, quod singuli singulis faciunt, sed de eo, quod societatem ipsam respicit veluti si quondam ii sint mores, ut nonnisi rapto vivere velint, vel promiscue pro lubitu suo lædere alios. Absit autem ut hoc extendas ad eos actus, quibus consulis alteri, cum nemo teneatur ultra id, quod sine neglectu sui facere nequit (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*), & de quo unicuique suum relinquendum est vi libertatis naturalis judicium (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*). Neque enim societatem instituendo natura tollit libertatem naturalem, hoc est, jus, quod unicuique tribuit, utpote sibimetipsi minime contraria. Spectantur adeo hic potissimum læsiones positivæ dolosæ, quibus admissis societas naturalis inter homines instituta tollitur. Ad hanc colendam, adeoque etiam conservandam cum singuli obligentur (§. 143.), ex hac ipsa obligatione resultat jus non patiendi, ut fiant, quæ societatem ipsam tollunt.

§. 150.

Societas illa naturalis magna societas æqualis est. Natura enim homines omnes æquales sunt (§. 81. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum hominum omnium naturaliter eadem sint jura & eædem obligationes (§. 78. *part.* 1. *Jur. nat.*); si natura societatem inter omnes promiscue instituit, in ea omnium eædem obligationes sunt ac jura eadem, adeoque societas ista æqualis est (§. 28.). Quoniam itaque societatem naturalem magnam ipsa natura inter homines omnes promiscue instituit (§. 142.); societas naturalis magna societas æqualis est. *Qualis sit societas naturalis magna.*

§. 151.

Quoniam societas illa naturalis magna societas æqualis est (§. 150.), in societate autem æquali socio nulli prærogativa quædam competit (§. 30.), nec præcedentia (§. 33.); *in societate naturali magna socio nulli prærogativa, nulli præcedentia competit.* Immo eodem modo patet, *quod uni licitum, id etiam licitum alteri, & quod uni non licet, idem nec alteri licere.* (§. 31.). *An tollat naturalia jura.*

Patet adeo abunde, per societatem magnam nulla tolli naturalia jura, nec obligationes, quibus singuli tenentur, quicquam immutari; sed quæ capite primo partis primæ demonstrata sunt, immota prorsus ac inconcussa manere. Adversatur societati huic, si quis prærogativam quandam aut præcedentiam sibi arrogat, aut in alterum sibi licere existimet, quod alteri in ipsum licitum esse non debeat.

§. 152.

Leges societatis naturalis magnæ sunt ipsæ leges naturales. Quælibet societas suas habere debet leges (§. 46.), adeoque etiam naturalis illa societas magna leges suas habere debet. Quoniam vero eam inter homines promiscue omnes instituit natura (§. 142.) mutui adjutorii in se statuque suo perficiendo causa (§. 144.), perfectio autem sui statusque sui conjunctis nonnisi viribus obtinenda (§. 220. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), fundamentum est omnium legum naturalium (§. 152. 159. & §. 221. & *seqq. part.* 1. *Phil. pract. univ.*); societatis quoque illius naturalis magnæ non aliæ sunt leges, quam ipsæ leges naturales. *Quanam sint leges societatis naturalis magnæ.*

Societas hæc non dependet a voluntate hominum, quippe instituta ab ipsa natura (§ 142.). Quamobrem nec jus ferendi leges de iis, quæ ad hanc societatem spectant, illis competere potest (§. 46.); sed quemadmodum natura societatem instituit, ita etiam ipsa natura constitutum jus est, quod in ea societate valet. Natura igitur præscribit leges, non voluntate sociorum conduntur. Et quia natura nos obligat ad faciendum ea, quæ lege naturali præcipiuntur, & omittendum ea, quæ eadem lege prohibentur, & lege permissiva confert jus ad agendum, so-

ci-

BIU Cujas

cietatem quoque instituit, quæ alias nulla foret. Videtur adeo societas jure naturæ posterior, adeoque hoc supponit, consequenter non commode jus naturæ ex ista societate deducitur, cujus custodiam ipsa lex naturæ imperat, ut ea proprie fons juris naturæ dici nequeat etiam quoad ea, quæ inde deduci quidem possunt; aliunde tamen jam cognosci, antequam de societate cogites, quemadmodum abunde patet ex iis, quæ de jure naturæ in Tomis præcedentibus demonstrata sunt.

§. 153.

Quando societas licita, quando illicita.

Si finis societatis illicitus, societas illicita est: si vero finis præceptus, vel licitus, societas quoque licita est. Etenim cum illicitum sit, ad quod omittendum obligamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si finis societatis sit illicitus, inter ea refertur, quæ a nobis omittenda sunt, consequenter ut eum consequamur, operam dare non licet. Quamobrem cum finis consequendi causa societas contrahatur (§. 1.), finis illiciti causa societatem contrahere non licet, consequenter quæ ejus causa contrahitur societas illicita est.

Ostenditur etiam per indirectum hoc modo. Ponamus societatem licitam esse, cujus finis illicitus, seu finis illiciti consequendi causa societatem inire licere. Quoniam socii obligantur facere, quod ad finem consequendum facere possunt (§. 7.); iidem obligantur ad dandum operam, ut fiat, quod illicitum est, consequenter ad quod omittendum obligamur. Quamobrem cum pacto contrahatur societas (§. 1.), ab obligatione naturali paciscendo nos liberare possumus: quod cum sit absurdum (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*), finis quoque illiciti consequendi causa societatem contrahere non licet; seu contractu illius causa societas illicita est. *Quod erat primum.*

Quodsi finis fuerit præceptus, ad eum consequendum obligamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem etiam vires conjungere possunt duo vel plures, ut eundem consequantur. Enimvero si duo vel plures inter se conveniant, quod conjungere vires velint ad finem consequendum, societatem ineunt (§. 1.). Societatem igitur inire licet, finis, qui præcipitur, consequendi causa, adeoque societas licita est, cujus finis præceptus. *Quod erat secundum.*

Quodsi finis fuerit licitus, nobis permissum est ut eum consequamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero si unius vires non sufficiunt ad finem consequendum, societas contrahenda (§. 137.). Quodsi ergo vires unius non sufficiunt ad finem quendam licitum consequendum, permissum quoque nobis est, ut societatem contrahamus. Societas adeo licita est, si finis societatis licitus. *Quod erat tertium.*

Societates differunt fine, qui intenditur (§. 3.). Si finis illicitus, eum intendere non licet, adeoque nec ejus causa contrahere societatem licet. Quodsi finis fuerit præceptus, eum intendere debemus (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem si societas ejus consequendi causa contrahitur, paciscentes non intendunt, nisi quod intendere debent. Nemo igitur dubitare potest, quin ejus consequendi causa contracta societas licita sit (§. 159. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Si denique finis fuerit licitus, eum intendere nobis permissum est (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) Permissum igitur etiam est ejus consequendi causa societatem contrahere. E. gr. Furtum & rapina lege naturali prohibentur (§. 519. *part.* 2. *Jur. nat.*). Furti igitur ac rapinæ causa societatem contrahere non licet, seu furum ac prædonum societas illicita. Similiter alterum occidere illicitum (§. 743. *part.* 1. *Jur. nat.*). Latrociniorum itaque causa societatem contrahere non licet, seu latronum societas illicita. Fraudare alterum non licet (§. 148. *part.* 5. *Jur. nat.*). Societas itaque, quæ contrahitur alios defraudandi causa, illicita est. Scientiam acquirere debemus (§. 240. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ejus igitur acquirendæ causa quæ contrahitur societas licita est. Similiter in virtutibus moralibus propagandis sedulo esse debemus (§. 638. *part.* 1. *Jur. nat.*). Societas igitur licita est, quæ virtutum propagandarum causa contrahitur. Se defendere licitum est (§. 973. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quæ adeo sui defendendi causa contrahitur societas, licita est. Defensio rerum suarum licita est (§. 692. *p.* 2. *Jur. nat.*). Societas itaque rerum suarum defendendarum causa inita licita est. Non absimili modo patet, societates negotiatorias licitas esse.

§. 75.

BIU Cujas

§. 154.

An mediis illicitis uti liceat ad finem licitum consequendum.

Finis liciti consequendi causa non licet facere quod illicitum, seu mediis illicitis uti non licet. Etenim quod illicitum est, ad id omittendum obligamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), adeoque id facere non licet (§. *cit.*). Quamobrem cum obligatio naturalis necessaria sit ac immutabilis (§. 30. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec finis liciti consequendi causa facere licet, quod illicitum, consequenter cum media sint, quibus finis obtinetur (§. 937. *Ontol.*), finis liciti consequendi causa non licet uti mediis illicitis.

Ita scortari, vel furari non licet, ut acquiras, quæ ad vitæ necessitatem tolerandam requiruntur. Neque etiam fraudare licet alios, ut patrimonium tuum amplifices, quo post mortem tuam habeant liberi tui necessaria alimenta. Pertinet huc, quod vulgo dicitur, non esse facienda mala, ut inde eveniant bona.

§. 155.

Quando media societatem per se licitam in illicitam convertant.

Quoniam finis liciti consequendi causa non licet uti mediis illicitis (§. 154.), *si societas finis liciti causa contrahitur, non convenire licet, ut media illicita ad eum consequendum adhibeantur*, consequenter quamvis finis liciti causa contracta societas per se licita sit, attamen, *si societas ea lege contrahatur, ut nonnisi media illicita ad finem licitum, immo etiam debitum consequendum adhibeantur, societas per se alias licita* vitiatur, atque *in illicitam abit*.

E. gr. Fingamus aliquos ita convenire, ut furto ac rapina nummos acquirere studeant, quos in ægrotos inopes impendant. Si finem spectes, societas ejus causa contracta licita omnino est, immo laudanda: ast quatenus ad consequendum finem non adhibentur nisi media illicita, ea societatem illicitam efficiunt.

§. 156.

An ex societate illicita jus & obligatio nascatur.

Ex societate illicita nulla nascitur obligatio, jus nullum. Quando enim societas illicita est, socii vires suas conjungunt ad finem illicitum consequendum (§. 153.) aut media illicita adhibent ad finem alias licitum consequendum (§. 155.) consequenter cum pacto contrahatur societas (§. 1.), sibi invicem promittunt, quod operam dare velint fini illicito consequendo, vel ad finem licitum consequendum adhibere velint media illicita (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*). Promittunt itaque id, ad quod omittendum naturaliter obligantur (§. 170. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum conjunctio virium promittatur sub ea conditione, ut fiant, quæ lege prohibentur; promissiones reciprocæ in contrahenda societate illicita fiunt sub conditione turpi (§. 491. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero ex promissione sub conditione turpi facta nulla nascitur promissoris obligatio, neque etiam jus ullum consequi potest promissarius, facto licet turpi commisso, & promissio statim invalida est (§. 495. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ex societate adeo illicita nulla nascitur obligatio, jus nullum.

Societates illicitæ omnes nonnisi pacto contrahi possunt. Etenim præter societates, quæ pacto contrahuntur, non dantur aliæ, nisi quæ quasi pacto nituntur (§. 1.), aut ipsa natura inter homines instituit (§. 142.). Cum quasi pactum supponat consensum alterius præsumtum (§. 504. *part.* 4. *Jur. nat.*), quod autem illicitum est, aut lege prohibitum, præsumi non debeat; nulla quoque concipi potest societas illicita, quæ quasi pacto nitatur. Et cum lex naturæ rationem sufficientem in natura hominis atque rerum habeat (§. 135. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quod vero illicitum est, eadem lege prohibetur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec natura societatem illicitam instituere potest. Atque adeo patet, impossibile esse, ut detur societas illicita, quæ alio fundamento, quam pacto nitatur. In demonstratione itaque recte ad pactum recurrimus, quo societas contrahitur, ut pateat, ex ea nullam nasci obligationem, nec jus ullum.

BIU Cujas

§. 157.

De jure sociorum in consocium in societate illicita & quid ea revera sit.

Quoniam ex societate illicita nulla nascitur obligatio, jus nullum (§. 156.); *si societas illicita contracta, nullus socius alteri ad quicquam obligatur, nec ulli socio competit jus ad quidpiam alterum adigendi*, consequenter cum perinde sit, ac si societas nulla contracta fuisset, *qui in societatem illicitam consenserunt, socii non sunt* (§. 4.), *sed perperam pro talibus habentur*, adeoque *non sunt nisi cœtus hominum sceleratorum*.

Societas illicita non meretur nomen societatis, sed rectius dicitur cœtus hominum sceleratorum: id quod hic notasse suo tempore proderit. Neque enim de nomine hic disputatur, quæ disceptatio inanis foret; sed ipsius rei habetur ratio. Etenim cum societas pactum sit (§. 156.), quando pactum nullum est, societas quoque nulla erit, quæ eodem niti debet.

§. 158.

An societas illicita sit valida, si juramento confirmetur.

Quia ex societate illicita nulla nascitur obligatio (§. 156.), juramentum vero non novam producit obligationem aliquid præstandi ei, cui juratur (§. 903. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec actum minime obligatorium in obligatorium convertit (§. 904. *part.* 3. *Jur. nat.*); *ex societate illicita nulla nascitur obligatio, etiamsi jurato contrahatur, nec juramento eadem confirmata propterea socius unius alteri ad quicquam obligatur*.

Promissio, quæ per se valida non est, per juramentum valida fieri nequit (§. 905. *part.* 3. *Jur. nat.*). Nihil ergo agunt, qui promissionibus juratis societatem firmare volunt, quæ per se subsistere nequit.

§. 159.

Quænam societas injusta.

Si finis societatis contrarius juri alterius, societas injusta est. Etenim qui societatem ineunt, vires suas conjungunt ad finem quendam consequendum (§. 1.), consequenter si is juri alterius contrarius, ad faciendum quod est contra jus alterius. Enimvero injustum est, quicquid est contra jus alterius (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem si finis societatis contrarius juri alterius, qui eam ineunt vires suas conjungunt ad injusta perpetrandum, adeoque societas hæc injusta est.

Ostenditur etiam hoc modo. Quoniam differentia societatum consistit in fine, qui intenditur (§. 3.), talis erit societas, qualis est finis, cujus causa contrahitur. Quodsi ergo finis societatis sit juri alterius contrarius, cum injustum sit, quicquid est contra jus alterius (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), injusta quoque erit societas, cujus finis juri alterius contrarius.

Si finis societatis contrarius juri alterius, socii omnes faciunt, quod est contra jus alterius (§. 1.), consequenter injusti sunt (§. 239 *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Socii igitur cum sint injusti, inter quos societas subsistit; ipsa quoque societas iniusta dicenda. Quando nimirum societas injusta dicitur, socii omnes qua tales injusti dicuntur, cum ab illorum factis injusta dicatur. Ita sceleratam dicimus societatem, quæ consistit in cœtu hominum sceleratorum.

§. 160.

An societas injusta & illicita differant.

Quoniam injusta est societas, cujus finis juri alterius contrarius (§. 159.), nemo autem quicquam facere debet, quod est contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); *societas injusta illicita est*: quoniam vero alii quoque dantur fines illiciti, qui contra jus tertii non sunt, veluti si qui libidinis causa societatem ineunt; *non omnis societas illicita est etiam injusta*.

Socie-

BIU Cujas

Societas adeo illicita latius patet, quam injusta. Illa enim extenditur ad omnia, quæ lege naturali prohibita sunt; hæc vero nonnisi ad ea, quibus jus tertii violatur.

§. 161.

Societas integra pro una persona habenda, seu instar unius personæ spectanda. Qui enim societatem ineunt, vires suas ad finem, cujus gratia ea contrahitur, consequendum conjungunt (§. 1.), quicquid qua socii agunt, ad eum consequendum facit (§. 7.), & quod finis consequendi gratia fieri debet (§. 44.), itidemque leges, juxta quas socii qua tales actiones suas dirigere tenentur, communi sociorum consensu determinatur (§. 45. 46.), ut adeo ab uno quasi intellectu, una voluntate proficiscantur sociorum qua talium actiones. Quamobrem cum sociorum omnium simul sumtorum unus intelligatur esse intellectus, voluntas & noluntas una, ac vires unitæ spectentur tanquam vires unius hominis; omnes socii simul sumti qua tales sunt veluti una persona, adeoque integra societas pro una persona habenda, seu instar personæ unius spectanda (§. 47.). *De societate personam unam repræsentante.*

Hinc etiam societates non modo corpori humano comparantur, quod ex pluribus membris constat, quæ omnia simul propter communem finem agunt, verum etiam nonnunquam corpora appellantur. Per se autem patet, cum societas quælibet determinetur per finem, cujus causa initur (§. 3.), socios quoque simul sumtos spectandos non esse tanquam unam personam, nisi intuitu finis. Hujus nimirum consequendi causa uniuntur vires, unjuntur voluntates, consequenter etiam intellectus, ut prodeat una quasi persona, cui insunt vires unitæ, inest concors voluntas & a quo ea dependet intellectus. Non igitur verendum est, ne propositio præsens ultra suos limites protrahatur.

§. 162.

Quoniam integra societas spectanda est tanquam una persona (§. 161.); *ad quamlibet societatem applicanda veniunt, quæ lege naturæ de officiis erga seipsum præcipiuntur, quatenus nimirum finis societatis admittit* (§. 10.). *Quænam leges naturales ad societatem applicandæ.*

Patet adeo, propositionem præcedentem esse principium fœcundissimum, cum inde fluat principium heuristicum, quod præsente continetur, & vi cujus facillime longe plurima de qualibet societate tenenda deducuntur, modo finis societatis oculis quasi obversetur.

§. 163.

Quia homo quilibet obligatur ad se statumque suum perficiendum, & ad vitandum ea, quæ ipsum statumque ipsius imperfectiorem reddunt (§. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *quælibet etiam societas obligatur ad se statumque suum perficiendum & ad vitandum ea, quæ ipsam statumque ipsius imperfectiorem reddunt*, consequenter *socii actiones suas dirigere debent ad perfectionem societatis statusque ejusdem, & abstinere ab iis, quæ eidem adversantur.* *Principium juris naturæ quoad societatem.*

Habemus adeo principium juris naturæ quoad societates, quæ scilicet eodem jure subsistunt, adeoque illicitæ non sunt. Quæ enim eodem damnantur, de iis eodem nihil præcipi posse, per se patet.

§. 164.

Similiter quoniam ad societatem ea applicanda, quæ de officiis erga seipsum præcipiuntur lege naturali, quatenus finis illius admittit (§. 162.), homo autem obligatur ad corpus suum conservandum (§. 349. *part.* 1. *Jur. nat.*); *quælibet etiam societas obligatur ad se conservandum*, adeoque *ad ea facienda, quæ ad sui conservationem conferre potest, & ad ea non facienda, quæ societatem destruunt*, consequenter cum singuli so- *De societate conservanda.*

BIU Cujas

cii obligentur ad mutuum adjutorium in iis, quæ ad ſocietatem ſpectant (§. 145.); *ſinguli ſocii facere obligantur, quicquid ad ſocietatis conſervationem conferre poſſunt, & non facere, quæ eandem deſtruunt.*

Conſervatio adeo ſocietatis non modo naturaliter licita, verum etiam præcepta (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 165.

De jure defendendi ſocietati competente.

Societati cuilibet competit jus ſe defendendi adverſus eos, qui eam lædere conantur. Etenim ad ſocietatem applicari debent, quæ lex naturæ diſponit de juribus homini competentibus (§. 162.). Quamobrem cum homini cuilibet competat jus ſe defendendi adverſus eos, qui ipſum lædere conantur (§. 972. 973. *part. 1. Jur. nat.*); ſocietati cuilibet competit jus ſe defendendi adverſus eos, qui eam lædere conantur.

Facile patet, ſermonem hic eſſe de iſtiuſmodi læſionibus quæ ſocietatem reſpiciunt: quando enim ſocius aliquis læditur in iis, quæ ad ſocietatem nullum reſpectum habent, ea huc non pertinent.

§. 166.

De libertate naturali ſocietatis.

Naturaliter ſocietas quælibet libera eſt. Ad ſocietatem enim quamlibet applicari debent jura, quæ vi legis naturalis homini unicuique competunt (§. 162.). Quamobrem cum naturaliter homines omnes liberi ſint (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), neque in agendo ab ullo alio homine dependeant niſi a ſeipſis (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*), non modo in contrahenda ſocietate a voluntate aliena minime dependent, verum etiam propter finem agentes, ubi eam contraxerunt, a nulla voluntate aliena dependent, ſed liberi manent. Societas itaque quælibet naturaliter libera eſt.

Libertas ſingulis naturaliter competit, qui ſocietatem ineuntes ad conſequendum finem quendam vires ſuas conjungunt (§. 1.). Nemo autem eſt, qui non videat, propterea nemini, qui extra ſocietatem eſt, jus quoddam naſci in eos, qui eandem contraxerunt, cum hoc pactum, quo ſocietas nititur (§. 1.), ad alios, qui extra eandem ſunt, non pertineat. Ratio igitur nulla eſt, cur ſocii omnes ſimul ſumti jus libertatis, quod natura ipſis competit, retinere minime debeant, reſpectu ceterorum, qui in ſocietate non ſunt. Societas adeo in ſtatu naturali contracta libera eſt. Quamvis nimirum homines, qui ſocietatem contrahunt, ſeſe ſibi invicem obligent ad certas actiones; ex ea tamen jus nullum naſci poteſt aliis, cum quibus nihil contraxerunt. Singuli adeo cum liberi maneant reſpectu eorum, qui in ſocietate non ſunt; integra quoque ſocietas reſpectu eorum, qui extra eandem ſunt, libera eſſe debet.

§. 167.

Quid inde ſequatur.

Quoniam naturaliter quælibet ſocietas libera eſt (§. 166.), vi libertatis autem naturalis unicuique permittendum, ut in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus tuum (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), nec is actionum ſuarum rationem ulli hominum reddere tenetur, neque tibi jus eſt exigendi, ut reddat, quamdiu ſcilicet nihil facit contra jus tuum (§. 158. *part. 1. Jur. nat.*); *naturaliter* quoque *ſocietati cuicunque permittendum, ut in determinandis actionibus ſuis ſuum ſequatur judicium, quamdiu nil facit contra jus tuum, nec actionum ſuarum rationem ullam reddere tenetur tibi, neque tibi competit jus eam exigendi, quamdiu ſcilicet nil facit, quod eſt contra jus tuum.*

Principium hoc maximi momenti eſt & ſuo loco proderit ad decidendas quæſtiones arduas. Atque hinc clariſſime patet, cur de iis, quæ ad ſocietatem ſpectant, ſtatuendum ſit ſolo ſociorum conſenſu, & quod ſocietati placuerit lex ſit. Oſtendimus in anterioribus ad ea ſociorum conſenſum requiri; ſed jam liquet, præter ſociorum conſenſum non requiri conſenſum alterius.

§. 168.

BIU Cujas

§. 168.

Quoniam societas quælibet naturaliter libera est (§. 166.), quælibet autem societas spectanda est tanquam una persona (§. 161.); *plures societates diversæ spectandæ sunt tanquam personæ singulares liberæ, in statu naturali viventes* (§. 144. 147. *part.* 1. *Jur. nat.*). *Quomodo spectandæ sint societates plures inter se.*

Facile patet, hoc intelligendum esse de societatibus, quæ singulæ per se subsistunt, non vero trahendum esse ad societates, quæ in unam compositam coaluerunt, neque etiam ad societates, quæ invicem pactiones certas fecerunt, vi quarum una alteri sese ad certas præstationes obligavit. Neque hic consideramus, quid in statu civili quoad societates minores immutetur, quippe de quo dicendum erit suo loco.

§. 169.

Quomodo libertas restringatur in societate.

In societate libertas sociorum restringitur quoad actiones ad consequendum finem societatis requisitas, seu quoad ea, quæ ad societatem spectant. Etenim quilibet socius perfecte obligatur facere, quæ ad finem societatis consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat specialiter conventum fuit (§. 7. 8.), sociis competit jus cogendi socium, ut obligationi suæ satisfaciat, si vel satisfacere nolit, vel in eo negligentem se præbeat (§. 9.). Quid in societate fieri debeat, communi sociorum consensu determinandum (§. 44.), & quod plurimis placuerit, sequendum (§. 80.). Unusquisque etiam sociorum ad observantiam legum obligatur (§. 45. 80.), immo etiam ad pœnam subeundam, si contra legem, cujus observantia pœna sancita est, aliquid commiserit (§. 55.). Quamobrem cum obligationes ac jura sociorum metienda sint ex fine societatis atque ex iis, de quibus in pacto, quo scilicet societas contracta (§. 1.), specialiter conventum fuit (§. 10.); ideo patet in determinandis actionibus suis ad finem societatis consequendum requisitis, seu in iis, quæ ad societatem spectant, socium non dependere a seipso, sed a voluntate consociorum. Quamobrem cum liber non sit, qui in agendo dependet a voluntate alterius (§. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*); socii quoad actiones ad consequendum finem societatis requisitas, seu quoad ea, quæ ad societatem spectant, liberi non sunt, consequenter libertas naturalis quoad ea restringitur.

Ostenditur etiam hoc modo. Societas tribuit jus universis in singulos, si plures fuerint socii, vel uni in alterum (§. 9.), quoad ea scilicet quæ ad finem societatis consequendum faciunt (§. 10.), seu ea, quæ ad societatem spectant. Socii adeo in iis, quæ ad societatem spectant, non sunt sui juris (§. 134. 135. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque nec liberi (§. 135. *part.* 1. *Jur. nat.*). Libertas igitur naturalis sociorum quoad ea, quæ ad societatem spectant, restringitur.

Qui societatem ineunt, singuli universis sese obligant, quod non pro lubitu suo facere velint, quæ finis consequendi causa fieri debent, sed quod placuerit universis, aut saltem parti majori. Conveniunt itaque, quod libertate sua naturali aliter uti nolint, quam sequendo id, quod placuerit universis aut saltem plurimis. In hac autem voluntate permanendum, cum mutatio voluntatis repugnet juri perfecto sociorum ex pacto acquisito, adeoque licita non sit (§. 378. *p.* 3. *Jur. nat.*). Atque adeo intimius perspicitur, undenam sit ista libertatis naturalis restrictio, & quod nihil in se contineat, quod libertati naturali sit adversum.

§. 170.

De restrictione libertatis societatum simpliciorum in societate composita.

In societate composita libertas societatum simpliciorum, ex quibus ea coaluit, restringitur quoad actiones ad finem societatis compositæ consequendum requisitas, seu quoad ea, quæ ad societatem compositam spectant. Etenim membra societatis compositæ sunt societates integræ, sive simplices, sive minus compositæ (§. 5.), adeoque in societate com-

BIU Cujas

compoſita ad eas ſocietates, ex quibus illa coaleſcit, applicanda ſunt, quæ de ſociis in ſocietate ſimplici demonſtrantur. Enimvero ſocietas quælibet naturaliter libera eſt (§. 166.), ſicuti natura quilibet homo liber eſt (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), & libertas ſociorum in qualibet ſocietate reſtringitur quoad actiones ad conſequendum finem ſocietatis requiſitas, ſeu quoad ea, quæ ad ſocietatem ſpectant (§. 169.). Ergo etiam in ſocietate compoſita libertas ſocietatum ſimpliciorum, ex quibus ea coaleſcit, reſtringitur quoad actiones ad finem ſocietatis compoſitæ conſequendum requiſitas, ſeu quoad ea, quæ ad ſocietatem compoſitam ſpectant.

Nimirum quando ſocietates compoſitæ in unam coaleſcunt, adeoque in finem quendam conjunctim obtinendum conſentiunt (§. 1.) neceſſe omnino eſt, ut ad finem iſtum conſequendum ſingulæ ſocietates obligentur, & quatenus ad hoc obligantur libertas earum reſtringitur. Conveniunt adeo, quod libertate ſua aliter uti nolint, quam in quantum ea non adverſatur fini communi conſequendo. Multa tamen cautione opus eſt, ne perperam ad ſocietatem compoſitam applices, quæ de ſocietatibus non compoſitis demonſtrata fuerunt. Sed de eo rectius dicetur in ſequentibus, quando de ſocietatibus compoſitis acturi ſumus.

§. 171.

Perfectio ſocietatis in quo conſiſtat.

Perfectio ſocietatis conſiſtit in aptitudine finem ſocietatis conſequendi. Etenim propter finem conſequendum ſocietas initur vel inſtituitur, & qui ſocii in eadem ſunt non cenſentur membra ejuſdem, niſi quatenus vires ſuas in finem conſequendum impendunt (§. 1. 4.). Quodſi ergo ſocii ſinguli apti ſunt ad finem ſocietatis conſequendum, atque adeo ea faciunt, quæ ad finem conſequendum requiruntur; omnia, quæ ad ſocietatem ſpectant, inter ſe conſentiunt (§. 503. *Ontol.*). Quamobrem cum in hoc conſenſu conſiſtat perfectio (§. *cit.*); perfectio ſocietatis conſiſtit in aptitudine ad finem ſocietatis conſequendum.

Non eſt, quod excipias, non ſufficere, ut ſocietas apta ſit ad finem conſequendum, ſed præterea requiri, ut quilibet etiam ſocius actu faciat, ad quod faciendum aptus eſt. Qui enim ita ſentiunt, illi aptitudinem intra arctiores terminos coercent, quam debebant. Ad aptitudinem enim requiritur etiam voluntas faciendi ea, quæ ad finem conſequendum neceſſaria ſunt. Qui vero quid facere poteſt & vult; is utique facit, niſi quatenus impedimentum agendi inevitabile ac inſuperabile ipſi objicitur: id quod hic attendendum non eſſe per ſe patet. Fortunæ adverſæ hoc imputandum, non ſocietati, quippe cui ex parte ſui nil deeſt, quod adeſſe debet.

§. 172.

Unde ea æſtimanda.

Quoniam perfectio ſocietatis conſiſtit in aptitudine finem ſocietatis conſequendi (§. 171.), finem autem ſocietas conſequi poteſt, ſi vires ſociorum conjunctæ ad eum conſequendum ſufficiunt, cum impedimenti inevitabilis nulla hic habenda ſit ratio (*not.* §. *cit.*); *ex ſufficientia virium, quas ſocii conjungunt, æſtimanda eſt aptitudo ſocietatis ad finem conſequendum, adeoque perfectio.*

Neceſſe non eſt, ut ſingulorum ſociorum vires ſint æquales, nec ut ſint eædem, ubi diverſa propter finem ſocietatis agenda, ſed ſufficit, ut, ſi ſingulorum ſociorum vires conjunctim ſumantur, quippe quæ conjunctim ſumtæ vires ſocietatis ſunt (§. 1.), adſint vires, quæ ad finem conſequendum requiruntur. Facile autem patet, ad ſocietatem requiri non modo conjunctionem virium corporis, ſed etiam animæ, immo etiam viribus accenſenda eſſe ſubſidia quæcunque alia, quibus ad finem conſequendum indiget ſocietas, veluti pecuniam, quæ nervus rerum gerendarum dici merito ſolet, conſilia & operas extraneorum. Quæ vero extra ſocietatem ſunt, ea ad ſtatum ſocietatis externum ſpectant. Ad hæc qui animum attendit, haud difficulter de perfectione cujuslibet ſocietatis judicium feret, modo finem ejuſdem & media eum conſequendi perſpecta habeat. Generalia enim, quæ hic demonſtrantur, perinde ac in aliis nonniſi notionum directricium locum obtinent.

§. 173.

BIU Cujas

§. 173.

Quia perfectio societatis consistit in aptitudine finem societatis consequendi (§. 171.), societas vero obligatur ad se statumque suum perficiendum, & vitandum ea, quæ ipsam statumque ipsius imperfectiorem reddunt (§. 163.); *quilibet non modo socius pro virili operam dare debet, ut ad ea, quæ ad finem societatis consequendum conferre debet, indies aptior evadat, verum etiam ut aptiores evadant socii*, consequenter *ut vires societati sint sufficientes ad finem consequendum, eædemque, si fieri potest, augeantur & quæ adsunt conserventur, & ut impedimenta quæ in eorum usu objiciuntur, declinentur, aut tollantur, quantum datur* (§. 12.). *Quomodo perfectio societatis promovenda.*

Multa hic paucis dicuntur, quæ pro diversitate societatum specialius determinanda, & uberius explicanda. Convenit autem cum iis, quæ hic in genere dicuntur, quod de mutuo adjutorio supra demonstravimus (§. 145.).

§. 174.

Quia sufficientes societati esse debent vires ad finem, cujus causa contrahitur, vel instituta est, consequendum (§. 172.); *ad societatem quamlibet tot requiruntur personæ ac tales requiruntur, quot & quales ad finem societatis consequendum sufficiunt.* *De numero & qualitate personarum ad societatem requisitarum.*

Contrahendæ sunt societates, si unius vires ad finem aliquem consequendum non sufficiant (§. 137.). Sane si nulli darentur fines, quos soli consequi non possemus; nulla quoque daretur societas. Sed quia dantur fines, quos nemo solus consequi potest, vel saltem non ita commode, quod perinde est, ac si eo, quo intenditur, modo consequi eundem non detur; adeo tam natura societates instituit, seu homines ad eam ineundam aut colendam lege naturali obligantur, quam sponte sua iidem societates appetunt. Nihil autem agitur, nisi vires, quæ in societate uniuntur, sint sufficientes ad finem consequendum, & societas, si quo virium defectu laborat, admodum imperfecta est. Nemo igitur dubitaverit, quin ad societatem tot requirantur personæ, & quod hæ tales esse debeant, quot & quales simul seu conjunctim viribus sufficientibus instructæ sunt.

§. 175.

Si fines societatum sibi mutuo non repugnant, & alicui fuerint vires ad eosdem simul persequendum; unus societates plures diversas inire potest simul. Etenim si fines societatum sibi mutuo non repugnant, unus minime obstat, quo minus etiam intendatur alter, aut, si plures fuerint, ceteri simul intendantur: quod per se patet. Et si alicujus fuerint vires ad plures fines simul persequendum, per se itidem patet, quod dum uni consequendo operam dat, propterea non negligentem esse oporteat in persequendo altero, aut, si plures fuerint, in persequendis ceteris. Quamobrem nil prorsus obstat, quo minus quis vires suas simul conjungat cum diversis personis ad diversos fines consequendum. Quoniam itaque societas contrahitur, quando duo vel plures vires suas conjungunt ad finem quendam consequendum (§. 1.), cumque ex fine metienda sit obligatio socii (§. 10.), unus in qualibet societate obligationi suæ satisfacere potest in hypothesi præsentis; si fines societatum sibi mutuo non repugnant, & alicui fuerint vires ad eosdem simul persequendum, unus societates plures diversas simul inire potest. *Quando diversæ societates contrahi possint simul.*

Nimirum non solum physice possibile est, ut in hypothesi propositionis præsentis unus idemque plures societates simul ineat; sed etiam moraliter, ut adeo qui hoc facit, jure id faciat (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter facere liceat (§. 170. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). De eo autem hic quæstio est, quod fieri licitum sit, non quid fieri physice possit. Moralis vero potentia agendi, sive jus præsupponit potentiam agendi physicam. Sane si simul conferre non posses ad plures fines consequendos, quæ ad unumquemque eorum socius conferre tenetur;

BIU Cujas

tur; in qualibet ſocietate obligationi tuæ ſatisfacere non poſſes (§. 7.). Quamobrem cum hanc urgeat lex naturæ, ea tibi permittere nequit ut facias, quod obligationi iſti adverſum. Sed conſultum eſt, ut hoc ſigillatim demonſtretur.

§. 176.

Quando non.

Si cujus vires non ſufficiunt ad plures fines ſimul perſequendum; ei plures ſocietates ſimul contrahere non licet. Etenim quilibet ſocius facere obligatur, quæ ad finem ſocietatis conſequendum facere poteſt (§. 7.), nec conſocii pati tenentur, ut in eo ſe præbeat negligentem (§. 9.). Quodſi ergo vires non ſufficiant ad plures fines ſimul perſequendum, quorum conſequendorum gratia ſocietates contrahuntur (§. 1.); lege naturali, quæ negligentem eſſe in præſtandis iis, quæ ad finem ſocietatis conſequendum faciunt, prohibet (§. 19.), utique prohibetur, ut quis plures ſocietates ſimul contrahat, cujus vires ad plures fines ſimul perſequendum non ſufficiunt, adeoque eidem plures ſimul contrahere non licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Lex naturæ dat jus ad faciendum ea, ſine quibus obligationi naturali, quam urget (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ſatisfacere non poſſumus. Abſurdum vero eſt ſtatuere, quod det jus ad faciendum ea, quæ obſtant, quo minus obligationi, quam urget, ſatisfaciamus: id enim notioni obligationis e diametro repugnat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ut perinde foret ac ſi neceſſitatem agendi nobis imponeret, ſimul vero nobis permitteret, utrum hoc agere velimus, nec ne. Quod neceſſitatis eſt, non eſt voluntatis. Atque adeo facile patet, contra jus naturæ eſſe, ſi quis plures ſocietates una contrahit, in quibus tamen ſimul obligationi, quæ ſocio unicuique incumbit, ſatisfacere nequit. Probe autem notandum eſt, cum obligatio ſocii non modo metienda ſit ex fine, ſed etiam ex iis, de quibus ſpecialiter conventum fuit (§. 10.); ſi ita fuerit conventum ut quis ad finem ſocietatis conſequendum ſaltem certi quid præſtet, quod non obſtat, quo minus in alia ſocietate omnes officii ſocialis partes adimpleat, tum vires ſufficientes intelligi ad diverſarum ſocietatum fines ſimul perſequendum.

§. 177.

Quando damnum in ſocietate datur.

Damnum in ſocietate datur, ſi quid fit, quod fini conſequendo adverſatur. Finis enim, quatenus obtinetur, eſt commune ſocietatis bonum (§. 11.). Quodſi ergo aliquid fit, quod fini conſequendo adverſatur, neceſſe eſt, ut ſocietas aliquid non conſequatur, quod conſequi poterat, conſequenter ut jacturam ſui faciat (§. 487. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quando itaque aliquid fit, quod fini conſequendo adverſatur, damnum in ſocietate datur (§. 486. *p.* 2. *Jur. nat.*).

Ex. gr. In ſocietate negotiatoria tanquam finis intenditur lucrum commune. Quodſi ergo quid fit, quo lucrum quoddam intervertitur, quod haberi poterat; damnum utique in ſocietate datur. Ex fine, qui in ſocietate intenditur, æſtimandum quoque eſt damnum. Fit autem, quid fini conſequendo adverſatur, non modo poſitive, verum etiam negative, quando nimirum negligitur, quod fini conſequendo inſervire poterat.

§. 178.

Quod ſocius dare non debeat.

Quoniam quilibet ſociorum facere tenetur, quicquid ad finem ſocietatis conferre poteſt, vel ut faciat, ſpecialiter conventum fuit (§. 7.), conſequenter non facere obligatur, quod fini ſocietatis adverſatur (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*), damnum vero ſocietati dat, qui facit quod fini conſequendo adverſatur (§. 177.); *nemo ſociorum damnum ſocietati dare debet.*

Poterat etiam idem deduci ex eo, quod quilibet ſocius bonum commune, quod in conſecutione finis conſiſtit (§. 11.), pro virili promovere debeat (§. 12.).

§. 179.

BIU Cujas

§. 179.

De damno in societate resarciendo.

Si socius societati dolo vel culpa damnum dedit, id resarcire tenetur. Etenim quilibet damnum dolo vel culpa alteri datum resarcire tenetur (§. 572. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo etiam socius eidem resarcire tenetur damnum dolo vel culpa datum.

Quoniam socius vi pacti, vel quasi pacti, quo societas contrahitur (§. 1.), se obligavit ad bonum societatis prosequendum (§. 12. *h.* & §. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter etiam ad omne damnum pro virili avertendum (§. 177.); non modo vi obligationis generalis, quæ omnes homines tenet, verum etiam qua socius specialiter damnum, quod dolo vel culpa sua dedit, resarcire societati debet. Equidem non nego, dari etiam societates, quarum is finis est, ut damnum datum non semper reparari possit; non tamen propterea cessat damni dati restitutio, ubi ea locum habet.

§. 180.

Quomodo quis in societatem recipiatur.

In societatem nemo recipi potest nisi communi sociorum consensu. Qui enim in societatem recipitur, finis consequendi causa in eandem recipitur (§. 1.), qui in societate intenditur (§. 3.), consequenter socii receptio ad ea pertinet, quæ in societate finis consequendi causa fieri debent. Quoniam itaque quid in societate finis consequendi gratia fieri debeat, communi sociorum consensu determinandum (§. 44.); in societatem quoque nemo recipi potest nisi communi sociorum consensu.

Societas quoque condere potest de receptione socii legem (§. 45. 46.), a qua non recedendum, quando quis in societatem recipiendus (§. 51.), nisi societati aliter videatur (§. 48.).

§. 181.

De societate temporaria & perpetua.

Societas temporaria est, quæ ad certum tempus contrahitur, vel cujus finis certo tempore elapso cessat, aut nonnisi semel obtineri potest, vel debet. *Perpetua* vero est societas, cujus finis perpetuus est ac semper obtineri potest, quæque hujus gratia in perpetuum contracta.

Omnia in societate pendent a fine, cujus gratia ea contrahitur (§. 1.). Quodsi igitur finis nonnisi semel obtineri potest, vel intra certum tempus obtinetur; in casu priori societas per se temporaria est, in posteriori eadem ad certum tempus contrahi potest, adeoque voluntate eorum, qui eandem ineunt, temporaria efficitur. Quodsi finis fuerit talis, ut semper obtineri possit, societas in perpetuum contrahi potest, adeoque a voluntate contrahentium pendet, utrum perpetua esse debeat, nec ne, nisi a natura fuerit instituta, quæ ad eundem finem persequendum semper obligat, qualis est societas illa magna naturalis (§. 142.).

§. 182.

Quando societas temporaria finiatur.

Quoniam societas temporaria ad certum tempus contrahitur, vel finis alicujus consequendi causa, qui certo tempore elapso cessat, aut nonnisi semel obtinendus (§. 181.); *societas temporaria finitur, tempore elapso, ad quod contracta fuit, vel fine cessante, aut obtento, cujus gratia contracta fuerat.*

Si societas ad certum tempus contracta, socii ultra istud sibi invicem non sunt obligati (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*). Obligatione igitur mutua extincta, societas diutius subsistere nequit. Si finis cessat, cum fine eo societas subsistere non possit, ea etiam expirat. Sane hic quoque extinguitur obligatio, quæ alia non est, quam ut quilibet sociorum faciat, quod ad finem consequendum facere potest, & quod ut ab ipso fiat, specialiter conventum fuit (§. 7.). Et idem intelligitur, quando finis, qui intendebatur, obtentus fuit.

BIU Cujas

§. 183.

Quando societas perpetua intereat.

Si socii omnes intereunt, vel non amplius tot supersunt, quot ad finem consequendum sufficiunt; societas interit, etiamsi in perpetuum contracta. Sive enim socii omnes intereant, sive totidem, ut qui supersunt ad finem consequendum non amplius sufficiant, cum finis consequendi causa societas contrahatur (§. 1.), ea amplius subsistere nequit. Quamvis adeo in perpetuum contracta, quatenus per se non repugnabat, ut perpetua esset (§. 181.), casu tamen eam interire contingit.

Inter socios subsistit societas (§. 4.). Quodsi ergo omnes intereunt, nulli amplius sunt, inter quos subsistere potest. Si autem non amplius totidem supersunt, quot ad finem consequendum sufficiunt; nulla tamen utilitate societas continuaretur. Perinde nimirum in hoc casu foret, ac si quis uti vellet mediis, de quibus ipsi jam constat, quod per ea finem intentum consequi non detur: id quod omnino temerarium foret (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*), adeoque jure naturæ minime permissum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 184.

De societate mutuo dissensu soluta.

Societas sive ad certum tempus, sive in perpetuum inita solvitur mutuo sociorum dissensu, quandocunque visum fuerit. Ostenditur eodem prorsus modo, quo idem de societate negotiatoria demonstravimus (§. 1398. *part.* 4. *Jur. nat.*).

Multa nimirum, quæ de societate negotiatoria in specie demonstravimus, cum de contractibus ageremus, de societate in genere valent, quæ pacto expresso perfecta, quia ex principiis de pactis deducuntur. Inter ea etiam locum habet propositio præsens.

§. 185.

De interitu societatis consociatione oblata.

Si consociatio casu quocunque tollitur; societas interit. Etenim si casu quodam tollitur consociatio, qui erant socii impediuntur, quo minus amplius vires suas ad consequendum finem, cujus gratia societas inita, conjungere possint. Quamobrem cum sine ista virium conjunctione societas subsistere minime possit (§. 1.); consociatione casu quocunque sublata societas interit.

Casu tollitur consociatio, quando socii sedes suas relinquere coguntur: id quod accidit in bello, quando victi in captivitatem abducuntur, vel in alia loca fugiunt, in quibus domicilium sibi constituunt. Simile quid contingere potest ob pestilentiam, aut seditionem.

§. 186.

Quando a societate recedere non licet.

A societate recedere non licet cum damno sociorum. Etenim nemo sociorum damnum societati dare debet (§. 178.). Quamobrem si damnum detur societati, si quis ab ea recedat, ab eadem recedere non licet.

Idem quoque jam ostendimus de societate negotiatoria, quæ inter contractus numeratur in Jure Romano (§. 1390. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 187.

Quando recedere liceat.

A societate recedere licet, quando id sine damno sociorum fieri potest. Etenim si societati nullum detur damnum, socio uno, vel altero ab eadem recedente; sociis reliquis vires adhuc sufficientes sunt ad finem, cujus causa societas contracta est, consequendum: secus enim jacturam quandam pateretur boni communis (§. 11. *h.* & §. 487. *part.* 2.

BIU Cujas

part. 2. *Jur. nat.*), adeoque damnum incurreret (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque societas contrahitur, si unius vires non sufficiunt ad finem aliquem consequendum (§. 137.), & ad societatem quamlibet tot requiruntur personæ ac tales, quot & quales ad finem societatis consequendum sufficiunt (§. 174.); omnis societas contrahi intelligitur sub tacita hac conditione, ut liceat ab eadem discedere, si absque damno societatis discedi possit. Quamobrem a societate discedere licet, quando id sine damno sociorum fieri potest.

Cum societas contrahatur finis consequendi causa (§. 1.); nulla sane ratio est, cur permittendum non sit, ut socius aliquis a societate discedat, si societati adhuc vires sufficientes sint ad finem suum consequendum, consequenter si absque damno societatis discedere possit. Immo potius officiis erga alios repugnaret, si ipsum cogere vellemus, ut in societate maneret, cum perinde sit, sive maneat, sive discedat. Lex igitur naturæ, quæ hominibus consulit singulis, necessitatem manendi imponere nequit, consequenter nec conferre consociis jus cogendi discedere volentem, ut maneat.

§. 188.

Quoniam sine damno societatis ab eadem recedit, qui socium alium æque idoneum in locum sui substituit, ab eadem autem recedere licet, si absque damno sociorum hoc fieri possit (§. 187.); *a societate recedere licet, si quis socium alium æque idoneum in locum sui substituit.* *Idem porro expenditur.*

An socius æque idoneus sit, qui in locum alterius substituitur, ex eo æstimatur, quod ad finem societatis consequendum confert (§. 10.). Quodsi ergo novus socius idem conferat, quod contulerat qui eum in locum sui substituit, æque idoneus censetur. Facta autem substitutione nihil in societate mutatur (§. 290. *Ontol.*), consequenter perinde est ac si qui erat socius in societate mansisset. Idem enim intelligitur socius, qui fuerat ante, si eædem ipsi sint vires, quæ fuerant huic, cum viribus ceterorum conjungendæ (§. 1. *h.* & §. 181. *Ontol.*). Socius nimirum spectatur tanquam subjectum, cui insunt certæ vires ad finem quendam consequendum requisitæ & ubi cum viribus aliorum conjunguntur, ad eundem consequendum sufficientes prodeunt. Quamvis adeo mutetur individuum physicum, cui insunt vires istæ, modo individuo alteri, quod substituitur, eædem insint vires, socius adhuc idem intelligitur. Ecquis ergo sibi persuaserit, societati dari aliquod damnum, siquidem socius discedens alium æque idoneum in locum sui substituat?

§. 189.

Si specialiter fuit conventum, ne quis a societate recedere possit; recedere non licet, nisi consociorum consensu. Quoniam enim obligationes ac jura sociorum metienda etiam sunt ex iis, de quibus in pacto, quo societas contracta (§. 1., specialiter conventum fuit (§. 10.); si specialiter conventum fuerit, ne quis a societate recedere possit, socius quilibet obligatur ad manendum, ac consociis competit jus non permittendi ut discedat. Recedere adeo non licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.* *Si specialiter conventum fuerit, ne discedere liceat.*

Quoniam tamen quilibet jus suum remittere potest, quando nihil fit contra jus tertii (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); socii quoque remittere possunt jus suum non permittendi, ut quis a societate discedat. Enimvero quamprimum jus suum remittunt, is qui discedere vult ab obligatione sua manendi liberatur (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*). Sociorum itaque consensu discedere potest. *Quod erat alterum.*

Quando alicui permittitur, ut a societate discedat, etiamsi conventum fuerit, ne discedere liceat, societas dissolvitur quoad eum, cui discessus permittitur. Quamobrem cum sociorum dissensu communi integra societas dissolvi possit (§. 184.); eorum quoque consensu dissolvitur quoad unum. Neque hic attenditur, num damnum inde sentiat societas, si quis ab ea discedat. Damnum enim, in quod quis consentit, pro damno non reputatur, nec id datum intelligitur a discedente.

BIU Cujas

§. 190.

De renunciatione ob damnum societatis prævisum.

Si socius prævidet, societatem fore damnosam, eidem renunciare licet. Ostenditur eodem prorsus modo, quo de societate negotiatoria idem demonstratum (§. 1397. *part.* 4. *Jur. nat.*).

Demonstratio nimirum, quam ibidem dedimus, contexta est ex principiis generalibus, quæ in omni societate locum habent, nihil vero in ea sumitur, quod ad societatem negotiatoriam in specie spectet.

§. 191.

Si quis nihil amplius ad finem societatis conferre possit.

Si casus quidam emergit, ob quem socius aliquis nihil ad finem societatis amplius conferre possit; ab eadem discedere licet. Etenim per se patet, si socius aliquis ad finem societatis consequendum nihil amplius conferre possit, eum sine damno societatis discedere posse, cum perinde sit, sive maneat in societate, sive discedat, aut, si manet, perinde sit ac si in ea non esset. Quoniam itaque a societate discedere licet, si absque damno societatis hoc fiat (§. 187.); si casus quidam emergit, ob quem socius aliquis nihil ad finem societatis amplius conferre potest, a societate discedere licet.

In casu particulari de societate negotiatoria idem jam aliter ostendimus (§. 1396. *p.* 4. *Jur. nat.*).

§. 192.

De socio excludendo ob negligentiam.

Si socius præstare nolit, ad quod præstandum vi societatis tenetur; ex societate excludi potest. Etenim si socius præstare nolit, ad quod præstandum vi societatis tenetur, a pacto, quo societas contracta (§. 1.) & quod servandum (§. 798. *part.* 3. *Jur. nat.*), recedit. Quoniam itaque a pacto recedere liceat etiam alteri, si unus pacisentium ab eodem recedit (§. 827. *part.* 3. *Jur. nat.*); ceteri quoque socii non amplius obligantur socio negligenti, qui præstare recusat id, ad quod præstandum vi societatis tenetur, consequenter eum ex societate tanquam membrum prorsus inutile excludere possunt.

Ostenditur etiam hoc modo. Sociis competit jus cogendi consocium, ut satisfaciat obligationi suæ, si in eo se negligentem præbeat (§. 9.). Quodsi igitur præstare nolit id, ad quod præstandum vi societatis tenetur; ex societate excludi potest.

Ex demonstratione altera patet, non statim ob negligentiam socium excludi ex societate posse; sed id demum licere, quando negligentia corrigi nequit. Socius, qui præstare non vult, ad quod præstandum obligatus est, membrum inutile est, adeoque recte abscinditur.

§. 193.

De dominatu unius socii.

Si socius unus solo arbitratu suo omnia fieri velit; a societate recedere, vel ceteris sociis eundem excludere licet. Etenim in societate quid fieri debeat, communi sociorum consensu determinandum (§. 44.). Quamobrem si quis velit solo arbitratu suo omnia fieri, ceteris sociis jus suum auferre vult invitis. Quoniam itaque nemo pati tenetur, ut jus suum sibi invito auferatur (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); nec cogi quis potest, ut habeat socium, qui suo arbitratu solo omnia fieri vult, adeoque a societate recedere, vel, si ita visum fuerit, sociis ceteris eundem excludere licet.

Violat socius, qui omnia suo arbitratu solo fieri vult, jus consociorum (§. 44.). Quamobrem cum nemo pati teneatur, ut jus acquisitum sibi invito ab altero auferatur (§. 336. *p.* 2. *Jur. nat.*); si duo saltem fuerint socii, aut si, cum plures sint, alii patiantur, ut socii unius arbitratu fiant omnia, qui hoc pati non vult, a societate utique recedere potest, &, siquidem ceteri omnes hoc

BIU Cujas

hoc pati nolunt, dominatum affectantem e societate excludere possunt. Qui patiuntur, ut unius arbitratu omnia peragantur, jus suum ipso facto remittunt (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod licet facere possint (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), non tamen facto suo nocere possunt nolenti (§. *cit.*).

§. 194.

Jus determinandi actiones liberas alterius pro lubitu suo dicitur *Imperium*: is vero, qui imperium habet, *imperare* dicitur. *Imperium quid sit.*

Imperare adeo plus est, quam jubere, quemadmodum dicit *Donatus*. Jubet enim, qui significat, quid fieri velit, in alterius arbitrio non relinquens, quid facere velit (§. 983. *p.* 1. *Theol. nat.*). Jubere igitur etiam potest is, cui nullum competit jus determinandi actiones liberas alterius pro lubitu suo (*not.* §. *cit.*). Hinc qui imperat, equidem jubere potest; non tamen qui jubet ideo imperat.

§. 195.

Quoniam natura quilibet homo liber est (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), vi libertatis autem naturalis permittendum est, ut unusquisque actiones prouti sibi visum fuerit determinet, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*); natura quoque nemini competit jus actiones liberas alterius pro lubitu suo determinandi, consequenter *imperium nemini natura competit*. Et quia libertas est jus homini natura competens (§. 133. 135. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*); jus autem connatum, adeoque homini naturaliter competens (§. 28. *part.* 1. *Jur. nat.*), nemini auferri potest (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*); *nemo* quoque *imperium in invitum sibi arrogare potest*. *An imperium cuidam naturaliter competat, aut id sibi arrogare liceat.*

Notanda hæc sunt, ut origo imperii intelligatur: id quod ut intelligatur, haud parum refert, ne imperium latius extendatur in casibus particularibus, quam par est, vel etiam intra arctiores limites coarctetur, quam fieri debet. Patebit suo loco, quantum in eo fuerit peccatum, quod imperii origo non satis fuerit perspecta.

§. 196.

Quoniam nemo imperium in invitum sibi arrogare potest, neque natura alicui idem competere potest (§. 195.); *imperium in alium acquiri nequit nisi consensu ipsius vel expresso, vel præsumto, aut tacito*. *De consensu ejus, in quem imperium acquiritur.*

Videbimus sane suo loco, quando lex naturæ imperium alicui in aliquem tribuit, eam præsumere consensum ejus, in quem tribuit. Quoniam enim hominem vult esse liberum (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), non potest sibimetipsi contrariari, quippe cum repugnet, esse liberum & imperio alterius subjectum (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 194. *h.*). Sed de eo disertius dicendum suo loco.

§. 197.

Imperium involvit jus obligandi alterum ad actiones suas sic & non aliter determinandum. Pone enim imperium habenti non competere jus obligandi alterum ad actiones suas sic & non aliter determinandum. Quoniam si quis obligatus est ad agendum sic & non aliter, necesse est, ut sic & non aliter agat (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter ut actiones suas componat ad nutum imperantis & agat, quod ipse voluerit, non quod sibi videtur; si imperans eum, cui imperat, obligare nequeat ad agendum, statui omnino debet, permittendum esse, ut, si libuerit, aliter agat, quam ipse voluerit. Quamobrem cum jus determinandi actiones alterius pro lubitu suo imperium sit (§. 194.); erit hoc jus revera nullum, quippe effectu suo destitutum. Quod cum sit absurdum, necesse est ut imperium involvat jus obligandi alterum ad actiones suas sic & non aliter determinandum. *De jure obligandi alterum ad actiones determinandum.*

Im-

BIU Cujas

Implicat habere jus determinandi actiones alterius pro lubitu suo, nec eidem imponere posse necessitatem moralem agendi, ita ut velit agere, quod tibi visum fuerit. Atque ideo imperium sine jure obligandi alterum concipi nequit (§. 118. *p.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 194. *h.*).

§. 198.

De jure puniendi & præmiis invitandi ad agendum.

Quoniam imperium involvit jus obligandi alterum ad actiones suas sic & non aliter determinandum (§. 197.), obligatio autem positiva, adeoque ea, quæ a voluntate hominis proficiscitur (§. 290. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), aliter introduci nequit quam pœnarum metu, aut spe præmiorum (§. 301. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *qui habet imperium, ei competit jus puniendi eum, qui actiones suas ad nutum ipsius componere non vult, & præmiis invitandi ad agendum.*

Equidem plerumque pœnarum metu obligatio positiva introducitur; non tamen præmiis nullus prorsus conceditur locus. Patebit autem suo loco, quando obligatio introduci debeat præmiorum potius promissione, quam sanctione pœnali.

§. 199.

De jure in actiones alterius.

Quoniam imperium involvit jus obligandi alterum ad actiones suas sic & non aliter determinandum (§. 197.), jus vero in actiones alterius habet is, ad cujus voluntatem alter actiones suas componere obligatur (§. 137. *part.* 1. *Jur. nat.*); *cui competit imperium, is habet jus in actiones alterius*, immo *imperium* revera *non est nisi jus in actiones alterius.*

Vide, quæ alias annotavimus (*not.* §. 137. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quænam vero sint actiones, in quas imperanti jus competit, ex origine juris illius in casu particulari definiendum, quemadmodum ex sequentibus constabit.

§. 200.

An imperium sit potestas.

Imperium potestas est. Etenim imperium est jus in actiones alterius (§. 199.), & involvit jus obligandi alterum ad actiones suas sic & non aliter determinandum (§. 197.), & ubi non fecerit eum puniendi (§. 198.). Qui adeo imperium habet, ei competit jus in alterum. Enimvero jus, quod quis in alterum habet, potestas est (§. 133. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ergo imperium potestas est.

Imperium & potestas promiscue usurpari solent. Unde imperium parentum vocari solet potestas. Non tamen negandum est, potestatem latiorem habere significatum, quam imperium. Quamvis enim imperium potestas sit, non tamen eidem coæquatur. Qui vero hoc fecerunt, potestatem in nimium extenderunt, prout ex inferius dicendis abunde patebit.

§. 201.

Subjectus quinam sit.

Quoniam imperium potestas est (§. 200.), alteri autem subjectus dicitur, in quem ipsi potestas competit (§. 134. *part.* 1. *Jur. nat.*); *subjectus* etiam dicendus est is, in quem alter imperium habet.

Imperium non concipitur sine subjectione alterius: imperantis nimirum voluntati subjiciuntur actiones ejus, in quem is imperium habet. Atque adeo idem subjectus alteri est quoad actiones suas: neque enim subjectio ultra limites imperii extendenda.

§. 202.

BIU Cujas

§. 202.

Quoniam natura nemo imperium in alterum habet (§. 195.), subjectus vero alteri est is, in quem alter imperium habet (§. 201.); *natura nemo alteri subjectus est.* *An natura quis alteri sit subjectus.*

Imperium & subjectio correlata sunt, quorum unum sine altero non intelligitur (§. 856. *Optol.*). Ubi ergo nullum datur imperium, ibi nec locum habet subjectio.

§. 203.

Similiter quia nemo sibi in invitum imperium arrogare potest (§. 195.), nec imperium in aliquem acquiri nisi consensu ipsius vel expresso, vel tacito, vel præsumto (§. 196.), subjectus vero alteri est is, in quem ille imperium habet (§. 201.); *nemo* quoque *alteri invitus subjici potest, sed ad subjectionem requiritur consensus ipsius sive expressus, sive tacitus, sive præsumtus.* *An subjectio invita esse possit.*

Nimirum subjectio extendi nequit in præjudicium libertatis naturalis, prouti intelligitur ex iis, quæ supra annotavimus (*not.* §. 196.).

§. 204.

Et quoniam qui imperium habet, alterum obligare potest ad actiones suas sic & non aliter determinandum (§. 197.), consequenter alter ad ipsius voluntatem actiones suas componere tenetur, subjectus vero alteri est is, in quem imperium alter habet (§. 201.); *subjectus obligatur actiones suas ad voluntatem imperantis componere.* *De obligatione subjecti.*

Nullum foret jus imperantis, nisi subjectus obligatus esset ad faciendum, quod is vult. Vide, quæ supra jam annotavimus (*not.* §. 197.).

§. 205.

Parere vel obedire dicitur, qui actionem suam ad voluntatem alterius componit. Atque adeo *obedientia* dicitur promptitudo actionem suam ad alterius voluntatem componendi, seu faciendi, quod fieri vult alter, & non faciendi, quod fieri non vult. *Obedientia quid sit.*

§. 206.

Quoniam subjectus obligatur actiones suas componere ad voluntatem imperantis (§. 204.), qui vero actiones suas ad voluntatem alterius componit, eidem paret vel obedit (§. 205.); *subjectus imperanti parere, vel obedire obligatur.* *De obedientia subjecti.*

Obedientia virtus est, quæ subjectum maxime decet (§. 332. *part.* 1. *Theol. nat.*). Repugnat esse alteri subjectum & eidem obedire nolle.

§. 207.

Inobediens dicitur, qui actiones suas ad alterius voluntatem componere non vult. *Inobedientia* adeo est noluntas actiones suas ad alterius voluntatem componendi. *Inobedientia quid sit.*

Ut inobedientia sit vitium, necesse est, ut noluntas illa sit constans & perpetua (§. 329. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Atque adeo patet, quamvis quis sit inobediens, fieri tamen posse, ut actionem suam componat ad voluntatem alterius, non tamen quia alter vult, ut hoc faciat, sed quia ipse proprio motu facere vult, aut quia metu pœnarum facit, quod non facere mallet

BIU Cujas

let & contra ; manente noluntate actiones ſuas componendi ad alterius voluntatem . Sed cum hoc valeat de omni vitio ; ſuo loco de hiſce diſertius dicetur in philoſophia morali ; ubi actionum ex virtute ac vitio procedentium ratio diſtinctius exponetur .

§. 208.

De inobedientia ſubjecti .

Quoniam ſubjectus imperanti obedire obligatur (§. 206.) , inobediens autem eſſe nequit qui obedit (§. 205. 207.) ; *ſubjectus inobediens eſſe non debet .*

Repugnat ſubjectum eſſe alteri & inobedientem eſſe , ut nihil magis dedeceat ſubjectum , quam inobedientia (§. 195. *part.* 1. *Phil. præt. univ.*) .

§. 209.

De dependentia actionum ſubjecti a voluntate imperantis .

Actiones ſubjecti dependent a voluntate imperantis . Etenim actiones ſuas ad voluntatem imperantis componere obligatur ſubjectus (§. 204.) , conſequenter ratio , cur haſce potius actiones edat , quam alias , quærenda eſt in voluntate imperantis (§. 36. *Ontol.*) . Actiones igitur ejus dependent a voluntate imperantis (§. 851. *Ontol.*) .

Nimirum ſi quæris , cur ſubjectus hoc faciat , vel non faciat , ratio hæc redditur , quod imperans velit ut faciat , vel nolit ut non faciat . Voluntas & noluntas imperantis eſt principium determinandi voluntatem ac noluntatem ſubjecti . Subjectus nimirum hanc legem agnoſcit . Quicquid vult imperans ut faciam , vel non faciam ; id mihi faciendum vel non faciendum . Et hac lege nititur obedientia ſubjecti , quæ in ſtricta ejus obſervantia conſiſtit .

§. 210.

Quatenus ſubjectus non eſt liber .

Subjectus quoad eas actiones , in quas imperanti jus eſt , liber non eſt . Actiones enim ſubjecti dependent a voluntate imperantis (§. 209.) , adeoque ſubjectus quoad eas actiones , in quas imperanti jus eſt , non eſt independens a voluntate aliena . Enimvero liber non eſt , cujus actiones non ſunt independentes a voluntate alterius (§. 152. *part.* 1. *Jur. nat.*) . Subjectus itaque quoad eas actiones , in quas imperanti jus eſt , liber non eſt .

Libertas conſiſtit in independentia actionum a voluntate hominis alterius cujuſcunque (§. 153. *part.* 1. *Jur. natur.*) . Sublata igitur hac independentia tollitur libertas . Atque adeo patet , ſubjectione tolli libertatem naturalem .

§. 211.

De renunciatione libertatis in ſubjectione .

Qui alteri ſe ſubjicit , libertati naturali renunciat quoad eas actiones , in quas imperanti jus concedit . Qui enim alteri ſubjectus eſt , quoad eas actiones , in quas illi jus eſt , liber non eſt (§. 210.) . Quamobrem ſi quis ſe alteri ſubjicit , ipſo facto declarat , nolle ſeſe eſſe liberum quoad eas actiones , in quas imperanti jus conceditur . In hac declaratione cum renunciatio conſiſtat (§. 103. *part.* 3. *Jur. nat.* ; qui alteri ſe ſubjicit libertati naturali renunciat quoad eas actiones , in quas imperanti jus concedit .

Nimirum qui ſe alteri ſubjicit , jus in actiones ſuas in eundem transfert (§. 201. 194.) , ut ſcilicet ipſe pro lubitu ſuo eaſdem determinet (§. 194.) . Atque adeo quoad eas actiones , quæ ſubeſſe debent imperio alterius , vult dependere a voluntate imperantis . Subjectio adeo continet promiſſionem non faciendi , niſi quod voluerit imperans (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*) . Equidem nonnullis abſurdum , aliis imprudenter factum videtur , ut quis libertati naturali renunciet , conſequenter hanc renunciationem vel rejiciunt , vel , ubi expreſſa non eſt , non præſumendam eſſe contendunt ; in præſenti tamen locus non eſt , ut eos erroris redarguamus : id quod evidentius fieri poterit alio loco .

§. 212.

BIU Cujas

§. 212.

Quod in societate detur imperium.

Jus, quod universis in singulos competit in societate, imperium est. Universis enim competit jus cogendi socium, ut faciat, quod ad finem consequendum facere potest, aut quod ut ab ipso fiat, specialiter conventum fuit (§. 9.), utque leges stricte observet (§. 51.) & puniendi socium, qui contra legem, cujus observantia pœna sancita est, quid commisit (§. 57.). Et quid finis consequendi gratia fieri debeat, communi sociorum consensu determinandum (§. 44.), adeoque non quilibet socius facere potest, quod sibi soli visum fuerit. Patet itaque in societate universis competere jus determinandi actiones singulorum sociorum qua talium, hoc est, eas, quæ societatem respiciunt. Quamobrem cum hoc jus imperium sit (§. 194.); jus, quod universis in singulos competit in societate, imperium est.

Quando societas contrahitur, singuli sese obligant universis, quod facere velint, quæ ad finem societatis consequendum requiruntur (§. 1. *h.* & §. 789. *p.* 3. *Jur. nat.*) & quæ communi consensu determinabuntur (§. 44.), vel etiam parti majori placuerint (§. 80.). Atque adeo in iis, quæ ad societatem spectant, singuli dependent a voluntate universorum (§. 851. *Ontol.*), consequenter quoad istas actiones libertati suæ renunciarunt (§. 153. *p.* 1. & §. 103. *p.* 3. *Jur. nat.*). Et sic universi determinare eadem intelliguntur pro suo lubitu, consequenter universis competit imperium in singulos. Quodsi duo tantummodo fuerint socii, universi quidem sunt ambo simul sumti, quorum etiam concordi voluntate determinantur actiones ad societatem spectantes. Atque adeo imperium duobus simul sumtis inest. Quatenus tamen exercendum est, ut fiat id, ad quod quilibet eorum obligatus est, exercitium competit ei, qui vult, ut fiat, ad quod communi consensu sese sibi invicem obligarunt.

§. 213.

Quod ex eo nascatur.

Imperium omne nascitur ex societate. Natura enim nemini imperium competit, nec quisquam in invitum aliquod sibi arrogare potest (§. 195.), sed id acquirendum expresso, vel tacito consensu ejus, in quem datur (§. 196.). Quoniam vero nil temere faciendum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*), necesse est, ut certo fine quis aliis tribuat jus in illas actiones, quæ ad finem consequendum faciunt (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*), in quo jure imperium consistit (§. 199.). Enimvero qui cum aliis convenit, quod quoad ea, quæ ad finem quendam requiruntur, pendere velit ab eorum voluntate, societatem contrahit (§. 1. 144.). Imperium adeo omne ex societate nascitur.

Quodsi homines omnes vitam solitariam agerent, per se patet, nullum in agendo ab alterius voluntate pendere, sed actiones suas in universum omnes pro lubitu suo determinare, consequenter nullum quoque dari imperium (§. 194.). Idem adhuc intelligitur, si homines quidem una vivant, sed nemo sese alteri obligat ad finem quendam conjunctis viribus prosequendum, ut in iis, quæ huc faciunt, non amplius pendeat a sola sua voluntate, sed simul a voluntate alterius. Non aliis itaque concipi potest modus, quo nascatur jus in actiones alterius, quod est imperium (§. 199.), nisi ut oriatur ex societate. Quod jus parentum in actiones liberorum non faciat exceptionem, suo loco constabit. Ceterum hic sermo est de imperio humano, quod homini in homines competit, quemadmodum facile patet, non vero de imperio, quod Deo in homines competit, & ex dominio ejus fluit (§. 970. *p.* 1. *Theol. nat.* & §. 194. *h.*).

§. 214.

De limitibus imperii.

Quoniam imperium ex societate nascitur (§. 213.), in societate autem omne jus determinandum est ex fine, cujus causa contrahitur (§. 10. 1.); *imperium extendi nequit ultra actiones, quæ ad finem societatis consequendum faciunt.*

In quolibet ideo casu limites imperii hoc modo assignabuntur, ne imperans jus suum extendat ultra id, quod par est, nec plus juris sibi arroget, quam eidem competit.

BIU Cujas

§. 215.

Unde statuendum de exercitio imperii. Eodem modo patet, *an imperium recte exerceatur, ex fine societatis dijudicandum esse.*

Differunt societates fine (§. 3.). Quamobrem quod rectum est in una societate, propterea rectum dici nequit in societate altera, nisi idem conveniat fini utriusque societatis. Notandum vero nos hic loqui de imperio, quatenus ex societate resultat, adeoque universis competit. Mox enim videbimus, universos de eo exercendo statuere posse, prouti visum fuerit: quod ubi factum fuerit, de exercitio imperii judicaturus non amplius stricte inhærere debet fini, ut intelligatur, quid licite fiat.

§. 216.

Quomodo de imperio disponi possit. *Imperium in societate vel sibi retinere possunt universi, vel si ita visum fuerit, in unam quandam, aut aliquot personas transferre possunt.* Etenim imperium est jus, quod ex societate nascitur (§. 213.) & universis in eadem competit (§. 212.). Enimvero a voluntate tua pendet unice, utrum jus tuum in alium transferre velis, nec ne, & in quem transferre velis (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem a voluntate quoque universorum in societate pendet, utrum imperium in alium transferre velint, nec ne, & in quem transferre velint, consequenter id aut sibi retinere possunt universi, aut transferre in unam, vel aliquot personas.

Solius societatis interest, ut imperium recte exerceatur. Quamobrem ipsius est judicare, utrum consultius sit, ut id per se exerceat, vel per alium, aut alios. Quoniam itaque quid in societate finis consequendi causa fieri debeat, communi sociorum consensu determinandum (§. 44.); ecquis dubitet, societati integrum esse, ut, prouti sibi visum fuerit, imperium vel sibi retineat, vel in unum, aut aliquot personas transferat?

§. 217.

An transferri possit in extraneum. *Societas imperium etiam in extraneum transferre potest.* Patet enim ex propositionis præcedentis demonstratione, a voluntate ipsius unice pendere, in quem imperium transferre velit (§. 216.). Quamobrem necesse non est, ut id transferat in quendam ex numero sociorum, adeoque transferre potest in eum, qui societatis membrum non est, consequenter in extraneum (§. 23.).

Quæ de translatione imperii in propositione præsente ac præcedente demonstrantur, de iis equidem vix quisquam est qui dubitet; non tamen propterea demonstratio superflua videri debet. Quæritur enim, num jure hæc translatio fieri possit, cum non statim jure fiat, quod nemine contradicente fieri potest.

§. 218.

Regimen quid sit & quinam Rector societatis. Exercitium imperii *Regimen* dicitur. Ac ideo is, cui in societate imperium defertur, ut id exerceat, *Rector societatis* appellatur.

Nimirum imperium consistit in jure, regimen in facto. Atque ideo facile patet, quænam inter utrumque differentia intercedat, Rector terminus generalis est, qui pro diversitate societatum diversa fortitur nomina specialia, prouti suo loco constabit.

§. 219.

Quinam societatem regat. Quoniam regimen in exercitio imperii consistit (§. 218.); *si societas imperium sibi retinet, seipsam regit, si transferi idem in alium, vel alios, per alium, vel alios regitur.*

Non

BIU Cujas

Non repugnat dici, quod homo habeat imperium in se ipsum, quatenus actiones suas liberas determinare potest. Atque ideo etiam dicitur regere seipsum. Et in statu naturali cum quilibet homo liber sit (§. 144. *part.* 1. *Jur. nat.*); quilibet etiam seipsum regit, imperium, quod in se habet, per se exercendo. Sed his in philosophia morali uberior lux affundetur.

§. 220.

Si societas imperium in alium transfert, a voluntate ipsius pendet, quomodo seu qua lege transferre velit. Imperium enim jus est (§. 194.), consequenter quando societas imperium in alium transfert, jus suum in eum transfert. Quoniam itaque a transferentis voluntate unice dependet, quomodo seu qua lege jus suum transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*); a voluntate quoque societatis unice dependet, quomodo seu qua lege imperium in alium transferre velit. *Qua lege imperium sit transferendum.*

§. 221.

Quoniam a voluntate societatis pendet, quomodo seu qua lege transferre velit imperium (§. 220.); *imperium in alium transferri potest vel revocabiliter, vel irrevocabiliter, ad certum tempus, aut ad dies vitæ; tanquam transmissibile in certos alios, vel non transmissibile; plenum, vel certa parte deminutum; illimitatum, aut certo modo limitatum.* *Quot modis imperium transferri possit.*

Hæc probe notanda sunt, ut in casu quolibet particulari definiri possit jus competens ei, in quem imperium translatum.

§. 222.

Quoniam a voluntate societatis pendet, quomodo seu qua lege transferre velit imperium (§. 220.), is autem, in quem transfertur, acceptatione sua non plus juris acquirere potest, quam transferens in eum transferre voluit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); *si imperium a societate in aliquem translatum fuit, tale in eo erit ac tali modo ab eo habebitur, quale esse & quali modo ab eo haberi voluit societas*, consequenter *Rectoris in societate jus omne metiendum est ex voluntate, quæ fuit societati, cum imperium transferret.* *Unde metiendum sit jus Rectoris societatis.*

Principium hoc maximi momenti est, ne a veritatis tramite recedatur, quando de jure Rectoris societatis quæstio aliqua incidit.

§. 223.

Quoniam a voluntate societatis unice pendet, quomodo imperium in alium, vel alios transferre velit (§. 220.), societati vero competit jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant (§. 46.); *de exercitio* quoque *imperii ipsa leges condere potest, & ubi imperium in aliquem translatum, is secundum eas imperium exercere, seu societatem regere* (§. 218.), *nil quicquam vero contra eas committere obligatur.* *De legibus imperium exercendi.*

Leges istæ voluntatem societatis de imperio exercendo indicant. Atque adeo norma sunt, ad quam Rector societatis actiones suas componere obligatur (§. 222.).

§. 224.

Leges fundamentales societatis appellantur, quæ conduntur de modo imperium exercendi. Quamobrem cum omne jus Rectoris societatis metiendum sit ex voluntate societatis (§. 222.), eandem vero voluntatem indicent leges fundamentales societatis (§. 223.); *Rector societatis obligatur ad legum fundamentalium observantiam.* *De legibus fundamentalibus societatis.*

BIU Cujas

Nimirum quando dantur leges fundamentales societatis, Rector societatis eandem regere debet secundum voluntatem societatis, cum eidem non contulerit imperium, nisi sub hac conditione ut id exerceat secundum modum præscriptum.

§. 225.

De obedientia Rectori societatis debita.

Rectori societatis parere seu obedire tenentur socii. Quoniam enim rectori societatis collatum est imperium (§. 218.), in societate imperium is habet, adeoque imperat sociis (§. 194.). Quamobrem cum imperanti sit parendum, seu obediendum (§. 306.); socii rectori civitatis parere, seu obedire obligantur.

Quando societas imperium in alium transfert, eo ipso sese obligat ad obedientiam eidem præstandam. Quodsi socii obedire nollent alteri, sed in iis, quæ ad societatem spectant, a sua dependere voluntate; imperium sibi retinere, nequaquam vero in alium transferre deberent. Repugnat itaque imperium transferre in alium & dum id exercens præcipit, quid fieri debeat, vel prohibet, ne quid fiat, obedire nolle. Translatio imperii in alium continet tacitam promissionem de obedientia præstanda, ex qua nascitur obligatio perfecta obediendi (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 226.

Quando Rectori societatis non obediendum.

Si rector societatis præcipit, quæ legi naturæ, vel etiam fundamentali societatis repugnant, aut quæ ad societatem non spectant; socii eidem obedire non tenentur. Etenim obligatio naturalis necessaria & immutabilis est (§. 141. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec Rector societatis socios sibi subjectos (§. 202.) ab ea liberare potest, consequenter nec ipsi jus est præcipiendi, quæ legi naturæ repugnant. Imperium itaque in eundem non collatum intelligitur, nisi cum tacita hac exceptione, quod obedire nolint, si legi naturæ adversa præcipere velit. Quare cum se socii non obligaverint Rectori societatis, nec obligare potuerint ad parendum legi naturæ adversa præcipienti, eidem quoque parere non tenentur, si naturæ legi adversa præcipiat. *Quod erat primum.*

Cum leges fundamentales imperii præscribant modum regendi, & ad earum observantiam rector societatis obligetur (§. 224.); sociorum imperium transferentium ea fuit voluntas, quod parere nolint, siquidem præcipiantur quæ legi fundamentali repugnant. Quoniam itaque rector societatis socios non plus sibi obligare valet, quam iidem sese obligare ipsi voluerunt, dum sese subjecerunt (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); socii quoque Rectori societatis obedire non tenentur, si præcipit, quæ legi fundamentali societatis repugnant. *Quod erat secundum.*

Denique cum imperium in societate sit jus determinandi actiones sociorum (§. 194.), socios autem non teneat obligatio nisi quoad ea, quæ ad finem societatis consequendum spectant (§. 1.); imperium quoque non extenditur ultra ea, quæ ad societatem spectant. Quando itaque imperium transfertur in alium, Rectori quoque societatis nullum competit jus in actiones sociorum, nisi quæ respectum quendam ad finem societatis habent, seu ad eandem spectant. Quamobrem patet imperium transferentes non habuisse animum sese obligandi ad obediendum in iis, quæ ad societatem non spectant, consequenter cum nemo sibi alterum obligare possit ultra voluntatem suam (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*); socii quoque rectori societatis parere non tenentur, si præcipiat, quæ ad societatem non spectant. *Quod erat tertium.*

Quamvis in omni casu propositionis præsentis socii non teneantur obedire rectori societatis; non tamen in omni eadem est non obediendi ratio. Etenim in casu primo adest obligatio, adeoque necessitas non obediendi (§. 118. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); in secundo & tertio nonnisi jus, adeoque libertas non obediendi (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ratio diversitatis est, quod naturaliter obligati simus ad non faciendum, quod legi naturæ repugnet; a voluntate autem nostra venit, quod alteri obligati esse nolimus ad non obediendum in iis, quæ legi fundamentali societatis repugnant, vel ad societatem non spectant, cum etiam quoad ea nos alteri

BIU Cujas

teri subjicere potuissemus, siquidem ita visum fuisset. In casu itaque primo qui non obedit in gratiam alterius peccare non vult (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*); in casu autem secundo & tertio non vult, ut alter sibi arroget jus in actiones suas, quod ipsi concedere noluit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*). Hæc differentia probe notanda est, ne confusio obligationis ad non parendum cum jure non parendi cedat in præjudicium prudentiæ, quæ haud raro suadet, ut juri nostro cedamus. Sed de hisce rectius plura dicentur in casibus particularibus.

§. 227.

Si socii Rectori societatis parere seu obedire velint, quando quid imperat, quod legi fundamendali repugnat, vel quod ad societatem minime spectat, obedire licet. Etenim leges fundamentales consensu sociorum conditæ fuerunt (§. 223. 224.). Quoniam vero societati integrum est leges, quando visum fuerit, tollere (§. 48.); legem quoque fundamentalem, si voluerit, tollere potest, consequenter etiam tollere quoad actum quendam præsentem. Sed lex fundamentalis quoad actum istum tollitur, si socii obediant Rectori societatis, quando quid imperat, quod legi fundamentali repugnat (§. 205. 226.). Quamobrem si socii Rectori societatis parere velint, si quid imperat, quod legi fundamentali repugnat; obedire licet. *Quod erat unum.* *Quando societati obedire liceat, etiamsi non teneatur.*

Similiter vi libertatis naturalis quilibet facere potest, quod libet, salva obligatione naturali (§. 138. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter socii etiam facere possunt, quod vult Rector societatis in iis, quæ ad societatem non spectant, siquidem libuerit, cum id supponamus fieri posse salva obligatione naturali, quæ a lege naturæ venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sociis igitur Rectori societatis obedire licet etiam in iis, quæ ad societatem minime spectant, si ita visum fuerit (§. 205.). *Quod erat alterum.*

Non quæritur an in casibus propositionis præsentis consultum sit obedire, sed quid jure suo socii facere possint. Ac præterea notandum est sermonem hic esse de obedientia, quæ sua sponte præstatur, non vero de ea, quæ vi ac metu extorquetur.

§. 228.

Factum unius socii, in quod ceteri non consenserunt, aut quod ex post facto non ratihabuerunt, societati imputari nequit. Quoniam enim in societate omnia fieri debent communi sociorum consensu (§. 44.), si quid socius unus facit absque ceterorum consensu, vel antequam faceret, requisito, vel postea subsecuto, societas dici nequit causa libera ejus, quod ex facto isto subsequitur boni vel mali societati aut aliis. Quamobrem cum actio non imputetur, nisi quatenus quis declaratur causa libera boni malique vel sibi aut aliis, quod ex actione ipsius consequitur (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*); factum unius socii, in quod ceteri non consenserunt, aut quod postea non ratihabuerunt, societati imputari nequit. *De facto unius socii societati non imputando.*

Ostenditur etiam hoc modo. Quoniam in societate omnia fieri debent communi sociorum consensu (§. 44.), actio societatis libera haberi nequit actio unius socii, in quam ceteri non consenserunt, cumque perinde sit, sive quis ab initio in factum consentiat, sive postea ratihabeat, quam nec ex postfacto ceteri ratihabent. Enimvero nemini imputari potest nisi actio libera sua (§. 528. *part. 1. Phil. pract. univ.*), aut in quam quomodocunque sive verbis, sive factis consentit (§. 650. *& seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo societati imputari nequit factum socii unius, in quod ceteri non consenserunt, aut quod postea non ratihabuerunt.

Ut pateat, quando factum socii unius integræ societati imputari possit, relegenda sunt ea, quæ de imputatione facti alieni demonstravimus (§. 650. *& seqq. part. 1. Phil. pract. univ.*): ita nimirum facile præcavebitur, ne propositionem præsentem latius extendamus, quam par est.

§. 229.

BIU Cujas

§. 229.

De imputatione ejus quod per plurima concluſum.

Quod per plurima in ſocietate fuit concluſum, imputari nequit iis, qui non conſenſerunt. Per ſe patet concluſum partis majoris eſſe reſpectu eorum, qui non conſentiunt, factum alienum, & quia non conſentiunt, id nullo modo a voluntate diſſentientium dependere (§. 659. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 851. *Ontol.*). Enimvero factum alienum imputari tibi nequit, niſi quomodocunque a voluntate tua dependeat (§. 650. 528. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo concluſum partis majoris in ſocietate imputari nequit iis, qui non conſenſerunt.

Non eſt, quod excipias, qui ſocietatem contrahunt, aut poſtea in eandem recipiuntur, in hoc conſentire, ut, quod majori parti fuerit viſum, id pro communi omnium ſententia habeatur (§. 80.). Etenim conventio hæc id tantummodo operatur, ne partis minoris diſſenſus obſtet, quo minus id concludatur, quod plurimis placuerit (§. 124.), nequaquam vero ut id ſuo quoque calculo approbent, adeoque tandem conſentiant, propterea quod vident, diſſenſu ſuo ſe nil efficere poſſe. Qui enim diſſentiunt, diſſentientes manent, nec diſſenſus mutata ſententia vertitur in conſenſum: id enim quando accidit, vota unanimia efficiuntur, nec amplius dici poteſt, majora concluſiſſe. Abeſt igitur fundamentum imputationis (§. 528. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cum repugnet pro volente haberi, qui expreſſe declarat ſeſe nolle (§. 659. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quæ porro dubia naſutioribus hic ſuboriri poterant, ſuo loco tollentur.

§. 230.

An ſocietas ſeſe aliis obligare & jura ab iis acquirere poſſit.

Societas integra ſeſe aliis hominibus ſingularibus & aliis ſocietatibus obligare & jura ab iis acquirere valet. Etenim ſocietas integra pro una perſona habenda (§. 161.). Enimvero homines ſingulares ſeſe ſibi invicem obligare poſſunt mutuo conſenſu (§. 357. *part.* 3. *Jur. nat.*), & acceptando jura ab aliis acquirere (§. 381. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ergo etiam ſocietas integra ſeſe aliis hominibus ſingularibus, vel aliis ſocietatibus obligare & jura ab iis acquirere valet.

Nimirum quia integra ſocietas ſpectanda eſt inſtar unius perſonæ (§. 161.), in ejus locum perſonam quandam ſingularem ſurrogare licet, cui tribuendum, quod a ſocietate ſit. Perinde igitur eſt, ſive homines ſingulares ſeſe ſibi invicem obligent, aut jura a ſe invicem acquirant, ſive ſocietas quædam aliis perſonis ſingularibus, aut ſocietas una alteri ſeſe obliget, vel jura quædam ſibi acquirat.

§. 231.

De pactis ſocietatum.

Societas integra cum aliis hominibus ſingularibus, vel aliis ſocietatibus pacta inire poteſt. Etenim ſocietas integra aliis hominibus ſingularibus, vel ſocietatibus aliis ſeſe obligare & jura ab iis acquirere valet (§. 230.). Enimvero aliis nos perfecte obligamus promittendo (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), & promiſſorum acceptatione acquiruntur jura (§. 381. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter obligationes contrahuntur & jura acquiruntur conventionibus, quibus in eandem vel eaſdem promiſſiones conſentitur (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum conventio, qua duo vel plures in eandem, vel eaſdem promiſſiones conſentiunt pactum ſit (§. 788. *part.* 1. *Jur. nat.*); ſocietas integra cum aliis hominibus ſingularibus, vel aliis ſocietatibus pacta inire poteſt.

Nemo dubitat, unum cum pluribus ſimul de eadem re paciſci poſſe. Quoniam itaque qui cum ſocietate integra contrahit, cum pluribus ſimul contrahit (§. 1.); inde eſt, quod nemo quoque dubitet, ſeſe cum ſocietate quadam integra valide paciſci poſſe. Placuit tamen id docere diſertius, ne quid dubii reſtet, num jure paciſcantur ſocietates vel inter ſe vel cum hominibus ſingularibus. Id enim hic in quæſtione eſt, non quid fieri ſoleat & num de eo, quod fit, nemo dubitet.

BIU Cujas

§. 232.

Quoniam pacta naturaliter servanda sunt (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), societates vero integræ cum aliis hominibus singularibus, vel aliis societatibus pacta inire possint (§. 231.); *societates* quoque *integræ pacta cum aliis hominibus, vel aliis societatibus inita servare naturaliter obligantur.* *De obligatione societatum ad pacta servanda.*

Societatum obligatio non minor est, nec jus majus, quam hominum singularium. Quemadmodum itaque homines singulares fidem datam fallunt, si pacta non servant, ac perfidi sunt, si contra pacta agunt (§. 790. *part.* 3. *Jur. nat.*): ita quoque societas fidem fallit datam, quæ pactum non servat, ac perfida fit, si contra pactum agit. Immo eodem modo ad societates integras etiam applicantur alia, quæ de pactis fuerunt demonstrata, ut adeo opus non sit particularia de pactis societatum in medium proferri.

§. 233.

Si societas extraneo concessit jus, & socius unus eundem turbare velit in exercitio hujus juris; societati competit jus impediendi ne faciat. Quoniam enim pacta sunt servanda societati (§. 232.); si ea jus quoddam concesserit extraneo cuidam, eum quoque in exercitio illius juris turbare nequit. Quodsi ergo socius unus tale quid facere audeat, is obligationi suæ non satisfacit. Enimvero sociis competit jus cogendi consocium, ut satisfaciat obligationi suæ (§. 9.). Ergo etiam societati competit jus impediendi socium, qui extraneum turbare audet vel vult in exercitio juris a societate sibi concesso, ne faciat. *De jure a societate extraneo concesso.*

Qui alteri concedit jus quoddam, is utique eidem sese obligat ad patiendum, ut jure isto utatur, consequenter ad eum non turbandum in exercitio hujus juris: alias enim jus inutiliter concederetur, quod in moralibus pro absurdo habendum. Obligatio hæc singulorum membrorum est: concessio nimirum juris continet tacitam hanc promissionem, quod nemo sociorum eum in exercitio juris turbare velit, cui conceditur. Et ex hac promissione nascitur singulorum obligatio (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam vero dum societas cum extraneo pacisciscitur, per modum universitatis sese obligat, cum instar unius personæ consideretur; universi quoque qua universi, hoc est, quatenus spectantur ut omnes simul sumti, sese obligant ad non turbandum alterum in juris concessi exercitio, consequenter juris concessio quoque continet tacitam hanc promissionem, quod pati universi nolint, ut unus ex ipsorum numero illum turbet in exercitio juris concessi, atque inde nascitur obligatio ad non patiendum, ut turbet (§. *cit.*). Ex hac vero obligatione nascitur jus societatis in socium, eum scilicet impediendi, si turbare velit, vel audeat, ne faciat. Satis adeo distincte vi principiorum Juris naturæ intelligitur, quænam sit juris origo, quod societati in socium tribuitur in propositione præsente. Nec minus liquet, nos in demonstratione nil sumere, quod a veritate abhorreat.

§. 234.

Si societas pacto in se suscipit negotium aliquod expediendum; ad omnem diligentiam in eo expediendo præstandam obligatur. Etenim cum societas pacta servare teneatur (§. 232.), negotium vero complectatur omnes actiones ad efficiendum, quod promissum est, requisitas (§. 68.); societas pacto in se suscipiens negotium expediendum se obligat ad omnes actiones committendas, quæ ad istud expediendum requiruntur. Quamobrem cum diligentia consistat in commissione omnium illarum actionum, quæ certo fine committendæ sunt (§. 751. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); societas pacto in se suscipiens negotium aliquod expediendum, ad omnem diligentiam in eo expediendo præstandam obligatur. *De præstanda diligentia in negotio expediendo, quod societas in se suscipit.*

Ostendi etiam potest hoc modo. Si homo quidam singularis pacto in se suscipit negotium aliquod expediendum; is ad idem expediendum obligatur (§. 789. *part.* 4. *Jur. nat.*), cumque naturaliter obligemur ad negligentiam vitandam (§. 301. *part.* 1. *Jur. nat.*),

BIU Cujas

nat.), consequenter ad omnem diligentiam præstandam (§. 757. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad omnem diligentiam in negotio expediendo sese obligasse intelligitur. Quoniam itaque societas integra pro una persona habenda (§. 161.); si ea pacto negotium quoddam expediendum in se suscipit, ad omnem quoque diligentiam in expediendo præstandam obligatur.

Qui negotium aliquod ab altero expediri vult & de eo cum altero paciscitur, is utique vult ut recte expediatur, consequenter ut in eodem expediendo omnem diligentiam adhibeat negotium expediendum in se suscipiens, quam adhibere potest, neque enim ultra id, quod fieri a se potest, quispiam obligatur (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui negotium in se suscipit, is utique promittere intelligitur, quod omni diligentia id expedire velit, seu eam in negotio expediendo desiderari nolit. Etsi adeo ex obligatione naturali deducatur, in quidnam consensisse intelligantur paciscentes; non tamen propterea existimandum est, quasi naturalis tantummodo adsit obligatio ad diligentiam præstandam, minime vero ea, quæ ex pacto oritur, adeoque a voluntate ejus venit, qui cum altero paciscens sese eidem obligavit. Sane vi legis naturalis ad ea omnia sese obligasse dicendi sunt paciscentes, in quod vi ejusdem consensisse intelliguntur.

§. 235.

De culpa societatis in expediendo negotio commissa.

Quoniam societas obligatur ad omnem diligentiam præstandam in negotio expediendo, quod pacto in se suscipit (§. 234.), omissio autem diligentiæ negligentia est (§. 757. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter culpa (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *si societas negligentem se præbet in expediendo negotio, quod pacto in se suscepit, culpam committit*, consequenter cum culpa imputetur agenti (§. 722. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *culpa* quoque *in expediendo negotio commissa societati imputatur, quæ id pacto in se suscepit.*

CAPUT II.

De Societate conjugali seu Matrimonio.

§. 236.

De aptitudine naturali ad procreandam sobolem.

Homines natura apti sunt ad sobolem procreandam. Instructi enim sunt membris genitalibus. Et dantur duo hominum sexus, qui membris genitalibus differunt, horumque conjuncto usu fœmina fœtum concipere &, ubi in utero ipsius perfectus fuerit, eundem in lucem edere potest. Homines igitur natura apti sunt ad sobolem procreandam.

Homines esse aptos ad sobolem procreandam sumi poterat, quia quotidie videmus sobolem procreari. Enimvero quod ad naturam referenda sit hæc aptitudo, ostendendum erat per ea, quæ homini natura insunt.

§. 237.

De natura. li instinctu procreandi sobolem.

Homines perinde ac animalia cetera natura feruntur ad sobolem procreandam. Etenim quando animalia ad generandum apta sunt, seu potentia generandi perfecta, oriuntur stimuli, quibus appetitus sensitivus commovetur ad concumbendum cum animali diversi sexus, seu ad conjungendum usum membrorum genitalium, qui ad procreandam sobolem requiritur. Et cum actu concumbendi conjungitur voluptas sensualis, cujus memoria appetitum sensitivum movet ad concubitum iterandum. Atque ideo homines perinde ac animalia cetera natura feruntur ad sobolem procreandam.

Tri-

BIU Cujas

Tribuitur ideo animali instinctus naturalis concumbendi cum animali diversi sexus, qui homini cum brutis communis est. Hunc vero instinctum tendere ad sobolis procreationem, patet ex eo, quod naturaliter ex concubitu sequitur. Quemadmodum enim organa cetera animalibus, consequenter ipsis etiam hominibus, qui eadem cum istis communia habent, data intelliguntur ad eum usum, quem habent, & ob id, quod ex usu isto consequitur; ita etiam membra genitalia data sunt ad actum concumbendi & ob id, quod ex eo consequitur, nimirum ad procreationem sobolis. Et quoniam instinctus ille, quem diximus, naturalis influit in actum concumbendi seu coeundi cum animali diversi sexus; natura quoque idem directus esse recte dicitur ad procreationem sobolis. Ac idem affirmandum est de voluptate sensuali, quæ ex coitu, seu concubitu percipitur. Animalibus brutis statis per tempora anni concubitus sunt. Videmus vero tum quoque instinctum naturalem concumbendi sese exerere. Unde satis intelligitur, eundem naturaliter dirigi ad sobolis procreationem, neque enim animalia concubitum appetunt, nisi quando fœtum concipere potest fœmina.

§. 238.

An procreatio sobolis conveniat primis naturæ ac juri naturæ.

Quoniam homines perinde ac animalia cetera natura feruntur ad sobolem procreandam (§. 237.), prima vero naturæ sunt, ad quæ animalia sua natura feruntur (§. 80. *part. 2. Jur. nat.*); *procreatio sobolis primis naturæ convenit*, consequenter cum prima naturæ cum jure naturæ consentiant (§. 83. *part. 2. Jur. nat.*), *procreatio sobolis juri naturæ convenit*.

Recolenda hic sunt, quæ de primis naturæ eorumque cum jure naturæ consensu annotavimus (*not.* §. 83. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam primis naturæ satisfieret ab homine, etiamsi nullo rationis usu polleret (*not.* §. 81. *p. 2. Jur. nat.*); dubitandum non est, quin etiam homines non concumberent, nisi quando fœmina ad concipiendum apta est, nec instinctus ille naturalis tenderet, nisi ad procreationem sobolis. Sed cur in hominibus appetitus sensitivus depravetur, contra prima naturæ, de eo disquirendum est in moralibus. Ne vero quis existimet, circulum in demonstrando committi, quando ex consensu primorum naturæ cum jure naturæ inferimus procreationem sobolis ideo juri naturæ convenire, quia primis naturæ convenit; tenendum est, in demonstratione secunda nos consensum primorum naturæ cum jure naturæ in genere, non eundo per species, quemadmodum in prima, demonstrasse, consequenter non supposuisse, quod conservatio speciei, quæ per generationem prolis obtinetur, sit juri naturæ conveniens. Ne tamen quoad demonstrationem quoque primam quid desideretur, ideo demonstrare lubet juri naturæ convenire sobolis procreationem.

§. 239.

Num procreatio sobolis sit juris naturæ & quatenus concubitus appetendus.

Lex naturæ vult, ut homines sobolem procreent, nec concubitum appetant, nisi sobolis procreandæ gratia. Etenim homines natura apti sunt ad sobolem procreandam (§. 236.) & natura ad ejus procreationem feruntur (§. 237.), consequenter actiones naturales quoad potentiam generandi tendunt ad procreationem sobolis (§. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lex naturæ velit, ut actiones liberæ per easdem rationes finales determinentur, per quas determinantur naturales, non vero per diversas (§. 179. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter ut cum naturalibus tendant ad eundem finem; lex naturæ utique vult, ut homines sobolem procreent, nec nisi ejus procreandæ causa concubitum appetant.

Imaginem juris naturæ conspicimus in brutis, quippe quæ sobolis procreationi operam dare ac concubitum nonnisi hujus procreandæ gratia appetere indies videmus. Quemadmodum itaque hinc discimus, appetitum sensitivum naturaliter ferri in sobolis procreationem, & propter eam in concubitum; ita quoque recte hinc inferimus vi principii juris naturalis (§. 179. *part. 1. Phil. pract. univ.*), legi naturæ consentaneum esse, ut soboles procreetur, nec concubitus appetatur nisi hujus procreandæ gratia.

BIU Cujas

§. 240.

Quinam concubitus illicitus.

Quoniam concubitus non appetendus nisi sobolis procreandæ causa (§. 239.); *omnis concubitus naturaliter illicitus est, qui solius voluptatis percipiendæ gratia appetitur* (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Nimirum voluptas, quæ ex concubitu percipitur, non est finis, quem natura intendit per concubitum, sed quatenus concubitum appetitui sensitivo commendat, & ad id concurrit, ut coitus sit fœcundus, ad media procreandi sobolem recte refertur (§. 937. *Ontol.*). Natura intendit procreationem sobolis, quæ adeo spectanda est tanquam finis; sed quæ ad hoc requiruntur, ut soboles procreari possit, ea utique ad media referenda sunt, per quæ finis iste obtineri potest. Nostrum vero jam non est inquirere, quid voluptas ex concubitu perceptibilis & æstus, quem ea fovet ac intendit, conferat ad concubitum recte consummandum, ut sit fœcundus. Id enim explicare Physici est, ac multa supponit, quæ hic tanquam cognita præsupponi nequeunt. Sunt equidem haud pauci, qui simpliciter non admittunt concubitum solius voluptatis percipiendæ gratia celebratum illicitum esse; ex demonstratione tamen, quam dedimus, contrarium apparet, quod nec a quoquam hactenus ex principiis juris naturæ demonstrari potuit. Qui enim provocant ad voluptatem, quam ex gustu cibi ac potus percipimus, oppido falluntur. Ostendimus cibum quoque ac potum non solius voluptatis percipiendæ gratia esse appetendum (§. 412. *part.* 1. *Jur. nat.*), sed ob saporem gratum ex duobus cibis vel potibus salubribus unum saltem alteri præferre licere (§. 411. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 241.

De fornicatione.

Fornicatio seu scortatio dicitur concubitus cum meretrice. Dicitur autem *Meretrix* fœmina, quæ se pluribus prostituit, seu plures ad secum concumbendum admittit. Quoniam per se patet, concubitum cum meretrice fieri solius voluptatis percipiendæ causa, non vero per eum intendi sobolis procreationem, omnis autem concubitus, qui solius voluptatis percipiendæ causa appetitur, naturaliter illicitus est (§. 240.); *fornicatio* quoque, *seu scortatio naturaliter illicita est.*

Facile patet, fornicationem illicitam esse tam ex parte maris, quam ex parte fœminæ. Neque est quod excipias, fœminam quæstus gratia se prostituere, propterea quod mas cum ea concumbens mercedem ipsi solvere tenetur. Si vel maxime enim sumas, quod num sumi possit merito dubitatur, meretricem non concumbere voluptatis percipiendæ gratia, sed mercedis accipiendæ causa; ad actum tamen illicitum concurrit: id qeod non minus illicitum est, cum nemo alterum inducere debeat, ut legem naturæ transgrediatur (§. 701. *part.* 1. *Jur. nat.*). Non ignoro, antiquissimis jam temporibus ac moribus multarum gentium tam olim, quam hodie fornicationem pro licita habitam fuisse ac haberi; ecquis vero dixerit mores gentium quarundam, immo multarum, esse normam ejus, quod naturaliter licitum, aut id Jure naturæ non prohiberi, quod mores permittunt. Absurdum igitur est provocare ad illud *Terentii*: Non est flagitium (crede mihi) adolescentulum scortari.

§. 242.

Lupanarium quid sit.

Lupanarium dicitur locus, in quo meretrices prostant.

Quando fornicatio pro re non illicita habebatur, in multis prædiis honestis lupanaria exercebantur, neque lupanarium habebatur pro domo inhonesta.

§. 243.

In lupanaria exercere naturaliter illicitum.

Quoniam fornicatio, seu scortatio naturaliter illicita (§. 241.), in lupanariis autem meretrices prostant (§. 242.), ideoque ea exercentur, ut voluptatis percipiendæ causa concumbere detur, cuicunque libuerit (§. 241.); *lupanaria exercere naturaliter illicitum.*

Exer-

BIU Cujas

Exercentur nimirum lupanaria fornicationis, adeoque finis illiciti causa (§. 241.). Naturaliter itaque licitum esse nequit exercere lupanaria. Alia vero quæstio est, an lupanaria tolerari possint in Rep. etiamsi fornicatio pro re illicita habeatur. Sed ea non est hujus loci.

§. 244.

Sodomia dicitur concubitus hominis cum bestia. Quoniam per se patet, hominem cum bestia coitum non appetere, nisi voluptatis solius percipiendæ gratia, omnis autem concubitus solius voluptatis percipiendæ causa factus naturaliter illicitus est (§. 240.); *Sodomia* quoque *illicita naturaliter*. *De Sodomia.*

Equidem Sodomia in significatu latiori sumi solet, ut comprehendat omnem concubitum contra naturam commissum; sed cum deinceps Sodomiæ diversæ distinguendæ sint species, quarum nonnullæ propriis nominibus insigniuntur, aliæ communi nomine Sodomiæ appellantur, consultius nobis visum fuit significatum Sodomiæ restringere ad eum concubitum, qui potissimum hoc nomine compellari solet. Dici vero solet hoc crimen Sodomia a Sodomis, quos ob id igne cœlesti & sulphure absumtos fuisse Genesis XIX. 24. vulgo creditur, unde infertur, quod sit Deo maxime invisum.

§. 245.

Pæderastia dicitur concubitus maris cum mari. Patet autem eodem, quo ante (§. 244.), modo *pæderastiam naturaliter illicitam esse*. *De Pæderastia.*

Crimen hoc olim Græcis atque Romanis usitatissimum erat, ita ut ipse *Socrates* severus alias morum cultor ejusdem reus feratur. Quoniam vero concubitus iste potissimum cum pueris committebatur, ideo hinc pæderastiæ nomen accepit. Accedit hoc crimen propius ad Sodomiam: ab ea tamen distinguitur, cum utique aliud sit rem habere cum bruto, aliud cum puero, vel homine sui sexus. Cum eodem vero coincidit, si quis præpostero modo, eodem nempe, quo cum mare venerem exercet cum fœmina. Quoniam enim in subjecto patiente organo genitali substituitur aliud, quod fœminæ cum maribus commune habent; parum refert, utrum subjectum patiens mas sit, an fœmina.

§. 246.

Omnis actus, ad concubitum requisitus sive venereus, si solius voluptatis percipiendæ causa fit, illicitus est. Cum enim concubitus solius voluptatis percipiendæ causa commissus naturaliter illicitus sit (§. 240.); naturaliter quoque illicitus est actus quivis ad concubitum requisitus in ipso concubitu, secundum naturam peracto, si per eum tantummodo intenditur voluptas ex eo percipienda. Idem itaque actus, si solius voluptatis percipiendæ causa quomodocunque fiat, sive in concubitu contra naturam facto, membrum scilicet genitale unius sexus non conjungendo com membro genitali alterius sexus, sive extra eundem, & per consequens in genere illicitus est. *Quando actus ad concubitum requisiti illiciti sint.*

Vidimus jam ante (*not.* §. 240.), voluptatem in concubitu percipiendam non esse finem, qui per concubitum, ideo per usum membrorum genitalium intenditur. Hæc igitur nobis data non sunt voluptatis percipiendæ, sed sobolis procreandæ causa, ut, cum singula hominum individua moriantur, genus tamen humanum conservetur. Per præsentem itaque propositionem damnatur omnis venus illicita, quocunque tandem nomine veniat. Quoniam vero præstat vitia ignorari, ideo nostrum quoque non esse putamus, ut, quot modis hic peccari possit, distinctius exponamus.

§. 247.

Mastupratio dicitur actus, quo homo propriis manibus, vel alio instrumento se polluit, seu venerem secum exercet. Mares hoc facientes dicuntur *molles*; fœminæ autem *De mastupratione &*

BIU Cujas

quinam tribades ac molles dicantur.

tem *tribades*. Quoniam omnis actus ad concubitum requisitus, si solius voluptatis percipiendæ causa fiat, naturaliter illicitus est (§. 246.), istiusmodi autem sunt actus mollium atque tribadum, quod per se patet; *mastupratio* quoque *naturaliter illicita est*. Facile autem patet, *mastuprationem non esse Sodomiam, nec pæderastiam* (§. 244. 245.).

Cur hoc vitium non distinctius explicemus, ratio patet ex iis, quæ modo diximus. Addenda quoque hæc est, quod aures castæ non sint offendendæ. Vocari vero hoc vitium solet *Crimen Onaniticum*, quod Onan hoc commisisse putetur *Gen. XXVIII. 9.* quamvis hic occurrat circumstantia singularis, quæ ordinarie abest, & ob quam a communi mastupratione distingui poterat.

§. 248.

Libido quid sit.

Voluptas venerea dicitur, quæ ex concubitu vel actibus venereis percipitur. Vocantur autem *Actus venerei* non modo ii, qui ad concubitum requiruntur, ideoque simul sumti concubitum absolvunt, verum etiam alii, qui quomodocunque ad concubitum referuntur. Cupido voluptatis venereæ seu eam percipiendi *Libido* appellatur.

Sumimus hic vocabulum libidinis in significatu strictiori, qualis præsenti instituto convenit. Constat enim in significatu latiori, qui apud Latinos autores occurrit, libidinem denotare voluntatem, ut cum *Donato* loquar, temere susceptam, aut, ut *Cicero* ait, ratione adversa vehementius incitatam. Talem vero esse cupidinem voluptatem veneream percipiendi, vi antecedentium satis patet. Neque vero ab usu loquendi veterum Romanorum abhorret significatus strictior, quo denotatur nimia veneris appetentia, quam nos cupidinem voluptatem veneream percipiendi diximus; neque enim venus nimium appetitur, quam propter voluptatem veneream.

§. 249.

An sit illicita.

Quoniam libido cupido est voluptatem veneream, & per consequens eam, quæ ex concubitu vel aliis actibus venereis percipitur, percipiendi (§. 248.), concubitum autem solius voluptatis percipiendæ gratia appetere non licet (§. 240.), omnisque actus venereus, qui solius voluptatis percipiendæ causa appetitur, itidem illicitus est naturaliter (§. 246.); *libido omnis naturaliter illicita est*.

Ideo libido ad vitia refertur, & fœtus ipsius sunt fornicatio (§. 241.), Sodomia (§. 244.), pæderastia (§. 245.), mastupratio (§. 247.), aliaque multa, quæ peculiaribus nominibus destituuntur (*not.* §. 240.). In statu nimirum naturali tanquam vitia spectantur, quatenus legi naturæ adversantur, non vero tanquam delicta pœna digna, quemadmodum in statu civili. In statu enim naturali vi libertatis naturalis unicuique permittendum, quid agat, modo nil faciat, quod est contra jus nostrum (§. 156. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec nobis competit jus puniendi eum, qui contra legem naturæ quid committit, qualecunque tandem id sit. Hæc quidem tenenda sunt, ne videamur de actibus, qui gravissimis pœnis vindicari solent apud nos & quibus lege Mosaica gravissimæ quoque pœnæ statutæ sunt, mitius sensisse quam par est. Hic nimirum tantummodo quæritur, utrum actus aliquis juri naturæ adversetur, nec ne, & cur adversetur.

§. 250.

De factis & verbis libidinosis.

Quoniam libido naturaliter illicita est (§. 249.), adeoque ad eam vitandam obligamur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *omnes* quoque *actus illiciti sunt, quibus libido excitatur*, consequenter etiam *sermo libidinem excitare valens illicitus est*. Vocantur autem istiusmodi actus & verba, quæ libidinem excitant, aut excitare valent, *facta & verba libidinosa*.

Non opus est, ut istiusmodi actus in specie commemoremus: optandum potius foret, ut prorsus ignorarentur. Cum facta & verba temeraria damnentur lege naturali (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*); multo magis eadem lege prohibita intelliguntur facta & verba quæ tanquam media finis illiciti spectanda veniunt.

§. 251.

BIU Cujas

§. 251.

Castitas virtus est, qua non appetitur concubitus, nisi sobolis procreandæ gratia. *Castitas quid sit.*

Quoniam nimirum virtus consistit in habitu actiones suas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), qui vero concubitum appetit nonnisi sobolis procreandæ gratia, hoc facit quoad concubitum (§. 239.); castitas utique virtus est.

§. 252.

Quoniam *castus* non appetit concubitum, nisi sobolis procreandæ gratia (§. 251.), eundem non appetit solius voluptatis percipiendæ causa, consequenter *non modo abstinet a Sodomia & pæderastia* (§. 244. 245.), *verum etiam a fornicatione* (§. 241.), *mastupratione* (§. 247.), *ac omnibus actibus venereis* (§. 248.), *omnibusque factis ac verbis libidinosis* (§. 250.). *A quibusnam castus abstineat.*

Patet hinc varios, eosque valde differentes esse castitatis gradus, aut, si mavis, multa admodum requiri, ut quis castus dici possit, siquidem in hac virtute nihil prorsus desiderari debeat.

§. 253.

Casti esse debemus. Etenim concubitum appetere non debemus solius voluptatis percipiendæ causa (§. 239.). Quoniam itaque castus est, qui concubitum non appetit solius voluptatis percipiendæ causa (§. 252.); casti esse debemus. *Obligatio ad castitatem.*

Castitas laudatur etiam a gentibus, quarum moribus fornicatio aliique actus libidinosi pro licitis habentur: id quod omnino contradictorium, quemadmodum ex antecedentibus facile intelligitur. Quod vero contradictionem non animadverterint, hæc dubio procul ratio fuisse videtur, quod sibi persuaserint, excessum saltem in voluptatibus venereis percipiendis illicitum esse, ut is demum libidinosus dicendus sit, qui actibus venereis aut concubitu nimium delectetur, ut sanitati corporis vel alio modo sibi noceat. Partem temperantiæ *Macrobius* facit castitatem & inter Scholasticos disputatur, an castitas sit peculiaris virtus a temperantia distincta. Ast rectius distinguuntur, ita ut castitas versetur circa delectationes venereas, temperantia vero circa delectationes ciborum ac potus: hæ enim delectationes prorsus diversæ sunt.

§. 254.

Infans natus indiget alieno auxilio, ut conservetur, adolescat & aptus evadat ad sibimetipsi prospiciendum de iis, quibus ad sui conservationem indiget, & ad actiones suas juxta legem naturæ determinandum. Patet hoc a posteriori. Pone enim neminem adesse, qui de infante recens nato conservando cogitet, miserrime statim peribit, nec adolescet. Quodsi ergo adolescere debeat, necesse est, ut ipsi de victu, amictu ac habitatione prospiciatur. Ut vero ubi ad ætatem adultam pervenit seipsum conservare possit, necesse est ut aptus efficiatur ad sibimetipsi prospiciendum de iis, quibus ad sui conservationem & ad vitam commode ac, quantum datur, jucunde transigendum indiget. Quodsi sibi soli relinquatur, ad usum rationis nunquam perveniet, sed obbrutescet, ac brutorum instar vivet, prouti probant exempla hominum inter feras educatorum (§. 461. *Psych. rat.*). Quodsi ergo actiones suas juxta legem naturæ determinare debeat, necesse est, ut ad sic, non aliter eas determinandum aliorum cura adsuescat. Indiget itaque infans natus alieno auxilio, ut conservetur, adolescat & aptus evadat ad sibimetipsi prospiciendum de iis, quæ ad sui conservationem indiget, & ad actiones suas juxta legem naturæ determinandum. *De indigentia infantis nati.*

§. 255.

BIU Cujas

§. 255.

Educatio quid sit. Studium infantem conservandi ut adolescat, & aptum efficiendi ad sibimetipsi prospiciendum de iis, quibus ad conservationem sui indiget, & ad actiones suas juxta naturæ legem determinandum *Educatio* dicitur. Brevius definiri poterat *Educatio*, quod sit studium infantem aptum ex sese ad viram hominis vivendum efficiendi.

Vivit homo vitam hominis, si juxta præscriptum legis naturæ actiones suas determinat. Hæc vero præcipit etiam conservationem sui ipsius (§. 356. *part. 1. Jur. nat.*), & quomodo de iis prospicere nobis debeamus, quæ ad vitam conservandam & commode ac, quantum datur, jucunde transigendam requiruntur, prouti ex iis patet, quæ passim demonstrata sunt. Qui adeo infantem aptum efficit ex sese ad vitam hominis vivendum; is ea facit, quæ in definitione priori distinctius enumeravimus. Definimus autem educationem per studium, quia juxta *Ciceronem* lib. 1. de Invent. c. 36. *studium* est animi assidua & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluptate occupatio. Istiusmodi enim occupatio esse debet educatio prolis, cujus imaginem in ipsis etiam brutis conspicimus, qui omni conatu id agunt, ut fœtus aptus fiat ad vivendum in eum modum, quo ipsi vivunt.

§. 256.

Quod infantes nati indigeant educatione. Quoniam infantes nati indigent alieno auxilio, ut conserventur, adolescant & apti evadant ad sibimetipsi prospiciendum de iis, quibus ad sui conservationem indigent, atque ad actiones suas juxta legem naturæ determinandum (§. 254.) studium vero infantem conservandi, ut adolescat, & aptum efficiendi ad sibimetipsi prospiciendum de iis, quibus ad sui conservationem indiget, & ad actiones suas juxta legem naturæ determinandum, educatio est (§. 255.); *infantes nati seipsos educare nequeunt, sed aliena educatione indigent, seu ut ab aliis educentur necesse est.*

Quemadmodum infantes non sibi debent, sed aliis, ut vivant: ita etiam nemo hominum sibi debet, quod vitam hominis vivat, sed aliis. Illud obtinetur per generationem, hoc per educationem. Quoniam homo a brutis distinguitur ratione, tum demum perfectus censetur, ubi ex ratione vivere atque ideo vitam hominis vivere valet. Quodsi ergo homines a brutis distincti existere debent in rerum natura, ea educatione opus est, quam definivimus. Bruta quoque fœtus suos educant, quemadmodum indies videmus; sed alia brutorum, alia hominis educatio. Cum nobis hic cum homine res sit, non cum brutis, educationem quoque definivimus, qualis homini convenit. Quodsi vero in genere eam definire velis, ut etiam sub se comprehendat educationem brutis convenientem, dicendum erit: *Educationem* esse studium fœtum aptum efficiendi ad vivendum vitam animalis ejus speciei, cujus est fœtus.

§. 257.

De naturali amore fœtus sui. *Animalia bruta perinde ac homines naturali quodam amore prosequuntur fœtus suos.* Patet hoc a posteriori, in omnibus animantium speciebus, ac ipsis etiam hominibus, nisi contrariis affectibus amor ille naturalis saltem ad tempus supprimatur.

Non opus est, ut ad actiones particulares provocemus, quæ ex affectu isto proficiscuntur, & per consequens eundem probant, cum indies eas observare detur.

§. 258.

Quamdiu is duret. *Amor iste naturalis in brutis tamdiu durat, donec fœtus fuerint educati: in hominibus autem, quamdiu vivunt liberi.* Etenim videmus, animantia bruta prolis suæ tamdiu curam agere, donec vitam animalis ejus speciei vivere possit, cujus est. Enimvero cum educatio consistat in studio fœtum aptum efficiendi ad vivendum vitam animalis ejus speciei, cujus est fœtus (*not.* §. 256.), consequenter proles educata sit, quando

BIU Cujas

do eam vitam vivere potest; amor iste naturalis, quo animantia bruta prosequuntur fœtus suos, tamdiu durat, donec iidem educati fuerint.

In hominibus vero indies observamus, quod ex felicitate liberorum suorum, etiam postquam educati sunt, adhuc voluptatem percipiant, & ad illam promovendam proni sint, quamdiu vivunt liberi; immo morte eorum contristentur, nisi affectus quidem contrarii obstent. Quamobrem cum affectus iste amor sit, quo ex felicitate alterius voluptatem percipimus (§. 633. *Psych. empir.*), eandemque appetimus (§. 650. *Psych. empir.*), ac per consequens ad felicitatem alterius promovendam proni sumus; amor naturalis, quo homines prolem suam prosequuntur, in iisdem perdurat, quamdiu vivunt liberi. *Quod erat alterum.*

In brutis facilius observare licet, quæ ad appetitum sensitivum spectant, vel etiam aversationem sensitivam, quales sunt affectus (§. 603. *Psych. empir.*), quam in hominibus, cum in illis non dentur facultates superiores, quæ in appetitum sensitivum influunt, & haud raro affectus excitant contrarios iis, quæ natura insunt. Quamobrem cum appetitum sensitivum cum brutis communem habeant homines, ac idem etiam pateat de aversatione sensitiva; quoad ea, quæ appetitui sensitivo, vel aversationi sensitivæ natura inesse deprehendimus in brutis, argumentatio recte procedit a brutis ad homines, etiamsi in hisce subinde deprehendantur, quæ istis contrariantur, & quorum rationes facile detegere licet acutioribus, modo animum sufficienter advertere velint ad circumstantias in casu dato obvias. Ipsis autem facultatibus superioribus tribuendum, quod in hominibus naturalis ille amor non extinguatur, ubi proles fuerit educata. Sed ea disertius explicare non est huius loci.

§. 259.

Amor iste naturalis, quo bruta ac homines prosequuntur prolem suam, Στοργὴ appellari solet, & significatus iste etiam extenditur ad amorem naturalem prolis, quo hæc prosequitur vicissim eos, a quibus procreata est. Vocabulum latinum, quo eundem affectum in specie indigitemus, non habemus, atque adeo eidem nonnisi amoris naturalis nomen tribuere possumus. *Στοργὴ quid sit.*

§. 260.

Quoniam amor naturalis, quo animantia bruta prosequuntur fœtus suos tamdiu durat, donec hi fuerint educati (§. 258.), & idem in animantibus utriusque sexus deprehenditur, quæ simul ad educationem prolis concurrere tenentur, in iis vero, ubi fœminei sexus animal solum eidem sufficit, nonnisi in sexu fœmineo, & ubi neuter sexus ad educationem prolium quicquam conferre potest, nisi ut per providentiam quandam eidem prospiciatur, ab utroque sexu abest; *natura per στοργὴν seu amorem naturalem erga prolem intendit educationem prolis, & per consequens animantia naturali quodam instinctu ad educandum prolem suam feruntur.* *Quid per eam intendat natura.*

Ita ex. grat. aves, quarum pulli nudi ex ovis excluduntur, indigent continua incubatione & alimentis aliunde arcessendis: quod cum ab ave una fieri non possit, aves utriusque sexus educandis aviculis curam impendunt. Ast gallina, quæ sola huic curæ sufficit, galli auxilio non fruitur. Idem observamus in quadrupedibus. Immo in hoc casu videmus, id quod in canibus observare indies licet, masculum aversari prolem. Infecta vero, quæ ova sua deponunt eo in loco, ubi fœtus excluſi alimentum commodum reperiunt, per providentiam quandam educationi eorum prospiciunt. Nihil itaque sumitur in evincenda veritate propositionis præsentis, quod sit a veritate alienum.

§. 261.

Quoniam bruta animantia naturali quodam instinctu ad educationem prolis feruntur (§. 260.), prima autem naturæ sunt ea, ad quæ animalia sua natura feruntur (§. 80. *part. 2. Jur. nat.*), *educatio prolis suæ primis naturæ convenit.* *Quod educatio prolis suæ primis naturæ conveniat.*

Na-

BIU Cujas

Natura nullum animal amore naturali prosequitur prolem alienam, sed tantummodo suam, ita ut ipsi misere sit pereundum, nisi ab eo educari possit, ex quo in lucem edita. Videmus hinc gallinam alienum pullum vi abigere, si una cum ceteris ad eam accedat & amore ipsius frui velit. Non est, quod excipias, eandem incubare ovis alienis, alterius etiam sexus, veluti anatum, & pullos alterius prorsus speciei eodem modo educare ac eos, qui sunt speciei suæ. Etenim gallina prolem suam agnoscit, quæ ex ovo ab ipsa incubato exclusa, ovum vero a se postum non dignoscit ab ovo alieno. Quod si dicas non deesse exempla hominum ab ursis educatorum (§. 461. *Psych. rat.*); lubens equidem fateor, me ignorare rationem, cur amor naturalis erga prolem suam extendatur ad humanam, non tamen dubitandum est sufficientem dari, cur natura hic exceptionem faciat (§. 70. *Ont.*); quæ cum oriatur ex regularum collisione (§. 937. *Ontol.*), regulam propterea non infringit, cui quod ordinarie fit convenit.

§. 262.

Quod natura generationem cum educatione copulavit.

Quia *natura* per amorem naturalem educationem prolis intendit (§. 260.); ea *generationem cum educatione copulavit*; cumque non minus educatio prolis suæ (§. 261.), quam generatio *primis naturæ* conveniat, (§. 238.), iisdem omnino *convenit*, *ut proles educetur a suis generatoribus, nec educatio a generatione separetur.*

Probe hic perpendenda sunt, quæ de educatione prolis suæ pro diversitate animalium diversa paulo ante annotavimus (*not.* §. 260.). Inde nimirum intelligitur, educationem cum generatione eo modo a natura esse copulatam, qui sufficit, ut proles educetur, ut ideo, qui a quodam educandi modo argumentum contra propositionem præsentem petere velit, defectum acuminis atque attentionis prodat. Natura nil facit frustra (§. 664. *part.* 1. *Theol. nat.*), ac ideo ad finem, quem intendit, consequendum, non mediis utitur superfluis, sed sufficientibus. Ea de causa educationem cum generatione diverso modo copulavit.

§. 263.

An parentes liberos suos educare obligentur.

Lex naturæ obligat utrumque parentem ad sobolem suam educandum. Etenim primis naturæ convenit, ut proles educetur a suis generatoribus, nec educatio a generatione separetur (§. 262.), utque uterque sexus ad educationem concurrat, ubi utriusque cura ac studium ad eandem requiritur (§. 260.). Quamobrem cum experientia satis constet, educationem prolis humanæ non minus patris, quam matris curam atque studium requirere, quod vero primis naturæ convenit, idem quoque juris naturæ sit (§. 83. *part.* 2. *Jur. nat.*); lex naturæ utrumque parentem obligat ad sobolem suam educandum.

Ostenditur etiam independenter a consensu juris naturæ cum primis naturæ hoc modo. Homines naturali quodam amore prolem suam prosequuntur (§. 257.), qui in ipsis tamdiu durat, quamdiu liberi vivunt (§. 258.). Per eum vero natura intendit educationem prolis (§. 260.), ac appetitus quoque sensitivus hominum in eandem fertur, nisi affectibus quibusdam aliis in transversum agatur, quemadmodum indies experimur. Quoniam itaque lex naturæ vult, ut actiones liberas per easdem rationes finales determinemus, per quas determinantur naturales (§. 179. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); lex naturæ obligat utrumque parentem ad sobolem suam educandum.

De priori demonstratione eadem tenenda sunt, quæ superius in casu simili annotavimus (*not.* §. 237.). Quod vero amor ille naturalis erga prolem suam non minus patri, quam matri insit, si quis in dubium vocare velit, is contradicit iis, quæ indies observamus: neque enim hic animus attendi debet ad exempla eorum, qui voluptatis tantummodo percipiendæ causa concubuerunt, fœmina, cum qua rem habuerunt, contra ipsorum intentionem concipiente, cum talia non fiant secundum naturam hominis, sed eidem contrarientur. Qui in concubitu intendit generationem prolis, eandem quoque amat, &, ubi moritur, vel adversa quædam eidem accidunt, contristatur, consequenter vel hinc colligitur, quod naturali quoque instinctu in ejus educationem feratur (§. 255.). Dubitandum itaque non est, nos non sumere in demonstratione præsenti, nisi quod sumi posse experientia manifesta loquitur.

§. 264.

BIU Cujas

§. 264.

De voluntate Dei, ut genus humanum propagetur.

Deus vult, ut genus humanum propagetur. Etenim finis, cur Deus hunc mundum produxit, est patefactio perfectionis suæ absolute summæ (§. 608. *part.* 1. *Theol. nat.*), & vult, ut homo dirigat actiones suas ad manifestationem gloriæ ipsius (§. 918. *part.* 1. *Theol. nat.*), consequenter ut agnoscat perfectionem Dei absolute summam & pro certo habeat, eandem ipsi competere (§. 610. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem cum Deus finem creationis non consequatur, nisi in terra existant homines, qui usu facultatum humanarum pollent, consequenter nisi genus humanum propagetur; Deus quoque vult, ut genus humanum propagetur (§. 937. 941. *Ontol.*).

Cum Deus sit autor naturæ (§. 822. *part.* 1. *Theol. nat.*), & corpora atque tota rerum natura agant, quæ Deus vult, seu voluntatem ejusdem exequantur (§. 969. *part.* 1. *Theol. nat.*), natura vero per amorem naturalem prolis, qui æque in hominibus, ac in animantibus brutis deprehenditur (§. 257.), intendat prolis educationem (§. 260.), & homo quoque perinde ac cetera animalia ad sobolis procreationem naturali quodam instinctu ferantur (§. 237.); hinc quoque colligi poterat voluntas Dei de genere humano propagando a posteriori, quam in demonstratione a priori deduximus.

§. 265.

De voluntate Dei ut homines generentur ac educentur.

Quoniam Deus vult, ut genus humanum propagetur (§. 264.), genus humanum autem propagari nequit, nisi homines generentur, in lucem editi conserventur, cumque juxta legem naturæ actiones suas determinare debeant (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), apti efficiantur ad actiones suas juxta eandem determinandum, consequenter educentur (§. 255.); *Deus* omnino *vult, ut homines generentur ac educentur*, consequenter *educationem a generatione non separari*.

Tolle educationem, hominibus recens natis misere erit pereundum, aut, si in educatione tantummodo ratio habeatur, ut adolescant, inter ipsos ac bruta nulla erit differentia, nec Deus finem creationis a se intentum consequetur (§. 918. 610. 611. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quodsi ergo Deus vult, ut homines procreentur, velit etiam necesse est ut educentur, & in educatione non tantummodo ratio habeatur conservationis eorundem, verum etiam aptitudinis ad actiones juxta legem naturæ determinandum. Educatio itaque eo, quem diximus, sensu (§. 255.), cum generatione seu procreatione prolis ipsa voluntate divina arctissime copulata est.

§. 266.

De obligatione divina sobolem educandi.

Deus parentes obligat ad sobolem suam educandum. Etenim lex naturæ obligat parentem utrumque ad sobolem suam educandum (§. 263.). Quoniam Deus nos obligat ad legem naturæ servandam (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter ad actiones eas committendas, ad quas committendas lex naturæ nos obligat (§. 138. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ideo quoque parentem utrumque obligat ad sobolem suam educandum.

§. 267.

Concubitus promiscuus quinam sit.

Concubitus promiscuus dicitur, si fœmina quemvis concumbere secum volentem admittit.

Exemplum concubitus promiscui conspicimus in canibus: canis enim concubitum appetens quemvis promiscue admittit, qui occurrit, non vero cum uno tantummodo rem habet.

BIU Cujas

§. 268.

An sit licitus. *Genus humanum propagari non debet per concubitum promiscuum.* Si enim promiscuus concedatur concubitus, fœmina quemvis secum concumbere volentem admittit (§. 267.). Quando itaque imprægnata fuerit, cum non constet, ex quonam conceperit, pater incertus est, neque adeo dici potest, quinam obligatus sit ad prolem educandum. Quamobrem cum pater naturaliter obligetur una cum matre educare sobolem (§. 263.), & amor ille naturalis erga liberos, per quem educatio intenditur (§. 260.), reddatur inefficax; genus humanum propagari non debet per concubitum promiscuum.

Non licet provocare ad exemplum canum (*not.* §. 267.). Ibi enim fœmineus sexus solus educationi sufficit, ut adeo etiam nonnisi huic natura insitus sit amor prolis naturalis. Ast cum idem insitus sit tam patri, quam matri in hominum genere; naturæ quoque humanæ repugnat promiscuus concubitus, quicquid tandem fingas de modo educationis.

§. 269.

Quomodo genus humanum propagari debeat. *Genus humanum propagari debet per societates inter mares & fœminas sobolis procreandæ ac educandæ gratia initas.* Etenim ad prolem procreandam mas & fœmina vires suas conjungere debent, quod per se patet, cum sine concubitu non concipiat fœmina. Enimvero lex naturæ utrumque parentem ad sobolem suam educandum obligat (§. 263.), consequenter idem mas & eadem fœmina vires quoque suas conjungere debent ad prolem suam educandum. Quodsi ergo genus humanum propagare velint, necesse est ut inter se conveniant, ac sibi invicem promittant, consequenter ut paciscantur (§. 788. *part.* 3 *Jur. nat.*), quod velint vires suas conjungere ad sobolem procreandam & educandam. Enimvero pactum de fine quodam conjunctis viribus consequendo societas est (§. 1.). Qui ergo genus humanum propagare volunt, societatem inire debent sobolis procreandæ ac educandæ gratia, consequenter genus humanum propagari debet per societates inter mares ac fœminas sobolis procreandæ ac educandæ gratia initas.

Imaginem hujus juris conspicimus in brutis, ad quorum educationem tam mas, quam fœmina concurrere debet. Ita inter aves speciem quandam societatis speciei suæ propagandæ causa verno tempore contrahi videmus, utroque sexu præstante, quod ad sobolis procreationem & educationem conferre tenetur. Cumque Deus velit educationem a generatione non separari (§. 265.); ejus quoque voluntati conforme est, ut genus humanum non propagetur, nisi per societates inter mares ac fœminas sobolis procreandæ atque educandæ gratia initas.

§. 270.

Quid matrimonium sit. Societas inter marem ac fœminam sobolis procreandæ ac educandæ causa inita dicitur *Societas conjugalis*, sive *Matrimonium*. Quamobrem cum societas sit pactum de fine quodam conjunctis finibus consequendo (§. 1.); *matrimonium* quoque *pactum est, quod mas & fœmina ineunt de sobole procreanda & educanda.*

Quoniam Deus vult, ut sobolis procreandæ ac educandæ gratia ineantur societates (*not.* §. 269.); Deus quoque recte dicitur matrimonium generis humani propagandi causa instituisse. Quamobrem divinam matrimonii institutionem ipsa etiam ratio docet. Non minus itaque legi naturæ, quam voluntati divinæ adversatur modus propagandi genus humanum absque matrimonio, quem commendat *Campanella* in Republica Solis. Ibi enim introducta bonorum communione educatio contra amorem prolis naturalem parentibus insitum committitur aliis, educatione a generatione separata, quas ipsa natura arctissime copulavit in genitoribus (§. 262.), nec Deus a se invicem separari vult (§. 265.). Rationes, quæ ipsum movent, ut consultius putet, concubitus singulos publica autoritate decerni, non sufficiunt ad tollendum matrimonium, cum etiam attendi possint, quantum quidem datur, in legibus positivis de matrimoniis contrahendis. Eo autem potissimum redeunt rationes ejusdem, ne soboles procreetur nisi a personis ad procreandum maxime aptis.

§. 271.

BIU Cujas

§. 271.

Quinam matrimonium contrahere possint.

Quoniam matrimonium contrahitur sobolis procreandæ gratia (§. 270.); *matrimonium contrahere non debent, nisi qui liberos procreare, & vel per se, vel per alios eosdem educare possunt.*

Quando dicimus, sobolem educari per alios, educatio a generatione non separatur. Quod enim quis per alium facit, id per se fecisse putandus est. Neque qui educationem prolis suæ alii committit, propterea omnem educandi curam abjicit, quatenus adhuc ipsi curæ cordique est, ut ab aliis, quibus partem quandam educationis, vel etiam præcipuam committit, proles recte educetur. Et ubi hoc non fecerit, sed curam suam, quam abjicere minime debet, in se desiderari patitur, peccat.

§. 272.

Potentiam generandi non habens matrimonium contrahere possit.

Quoniam liberos procreare nequit, qui potentia generandi destituitur, matrimonium vero contrahere nequit, nisi qui liberos procreare potest (§. 71.); *matrimonium quoque contrahere nequeunt, qui potentia generandi destituuntur.*

Naturaliter itaque illicitum est matrimonium, quod contrahunt personæ potentia generandi destitutæ, vel personæ, quorum una saltem potentia generandi gaudet. Immo hæ personæ inter se convenire nequeunt, nisi quod velint sibi mutuo corporis sui usum concedere solius voluptatis ex concubitu percipiendæ causa: quod cum sit illicitum (§. 249.), cumque matrimonium sit societas sobolis procreandæ ac educandæ gratia contracta (§. 269.); societas ista matrimonium non est, sed nonnisi abusive matrimonium dicitur. Admittere quoque solent fere omnes, ad matrimonium ineundum requiri in contrahentibus potentiam generandi, etsi deinde obliti hujus principii admittant conclusiones, quæ eidem adversantur.

§. 273.

Causa, ob quas matrimonium contrahi non possit, physica.

Quoniam matrimonium contrahere nequeunt personæ quæ potentia generandi destituuntur (§. 272.), potentia vero generandi deest ob ætatem nimis teneram, vel etiam nimis provectam, sexus inprimis fœminei, vel ob vitium quoddam corporis, quod impedit, ne coitus, prout requiritur, absolvi possit, aut quod obstat, quo minus is sit fœcundus prouti in Physicis disertius docetur; ideo, *matrimonium contrahere non licet pueris ac puellis, nec senibus præsertim vetulis, nec iis qui ob vitium quoddam corporis ad coeundum, vel coitum absolvendum seu consummandum inhabiles sunt, nec iis, quorum coitus fœcundus esse nequit.*

Plurimæ sunt causæ tum ex parte maris, tum ex parte fœminæ, quæ coitum vel prorsus impossibilem efficiunt, vel obstant, quo minus is consummari possit. Sunt etiam plurimæ, quæ non permittunt, ut coitus sit fœcundus, hoc est, ut fœmina concipiat. Causæ istæ in maribus magis conspicuæ sunt, quam in fœminis, in quibus ut plurimum latent, quod organa genitalia eorum præcipua interna sint, ut eorum usus ad coitum fœcundum requisitus non appareat. In maribus requiritur tensio virgæ virilis, toto tempore coitus conservanda, semen prolificum & hujus ejaculatio, de quibus singulis facile constare potest. In fœminis non sufficit, ut penis in vulvam immittatur & semen ejaculatum in utero recipiatur, siquidem concipere debeat; sed ut conceptio fiat, alia adhuc requiruntur, de quibus in physica agitur. In utroque sexu æstus toto tempore concubitus flagrare debet, qui appetitum coeundi stimulat. Facile ideo patet, subinde difficile esse, immo impossibile de potentia generandi judicium, antequam duæ personæ sæpius coitum celebraverint, ut de infœcunditate ejusdem constet ex toties frustrato cœitu, quamvis etiam hic judicium fieri debeat ex causis, cur frustretur, cum constet successu temporis haud raro vitium tolli posse. Accidit quoque subinde, ut inhabilitas ad generandum prolem sit tantummodo respectiva, veluti ut qui coire nequit cum una, vel coitum consummare, possit tamen cum alia. Hæc ut perpendantur, necessarium esse, cum ad rectius intelligenda, quæ quoad matrimonia contrahenda juri naturæ conveniant, tum quæ lege positiva de iisdem præcipienda, vel prohibenda, vel permittenda, in dubium revocari nequit.

BIU Cujas

§. 274.

De puberibus & impuberibus. *Puberes* dicuntur perſonæ, quæ per ætatem aptæ ſunt ad generationem, ſeu in quibus potentia generandi ſeſe exerit propter ætatem. *Impuberes* vero vocantur perſonæ, quæ propter teneram ætatem potentia generandi adhuc deſtituuntur. Quamobrem cum potentia generandi deſtituti matrimonium contrahere non poſſint (§. 273.); *impuberibus matrimonium contrahere non licet.*

Pubertas naturaliter æſtimatur ex generandi potentia, ita ut puberes perſonæ utriuſque ſexus dicantur, quamprimum potentia generandi ſeſe exerit, quam a prima nativitate non adeſſe, ſed ſucceſſu demum temporis venire conſtat. Naturaliter tamen fixus pubertatis terminus non eſt, qui ad certum annorum ac dierum numerum ſit reſtrictus. Civile vero eſt, quod ad pubertatem in fœminis anni requirantur duodecim: in maribus quatuordecim.

§. 275.

De caſtratis. *Spadones* ſive *caſtrati* dicuntur, quibus teſticuli ſunt exſecti, vel qui alio caſu eos amiſerunt, vel etiam natura iiſdem deſtituuntur. Patet, ut ante, *caſtratis matrimonium contrahere non licere* (§. 273.).

An naturaliter deficiant teſticuli, ſubinde dubium eſſe poteſt, cum contingere poſſit, ut intra abdomen lateant. Quemadmodum enim ordinarie mares natura duos habent teſticulos; ita ſubinde quoque generantur, qui unum tantummodo habent, vel plures, immo nullum, vel extus non apparentes. Unum autem teſticulum ſufficere generationi exempla *Hottentottorum* abunde teſtantur, quibus ſolenne eſt, ut maribus, ubi ad pubertatem pervenerunt, teſticulus unus exſcindatur.

§. 276.

De muliere nimis arcta. *Mulier nimis arcta* dicitur, cujus vulva penem recipere nequit, qui nimis craſſus non eſt. Unde ſequitur, *ut mulier nimis arcta matrimonium contrahere nequeat* (§. 273.). Si arctitudo vero tantummodo ſit reſpectiva, *matrimonium contrahere eidem ſaltem non licet cum eo, qui reſpectu ipſius nimis craſſum habet penem, licet tamen contrahere cum alio, qui non adeo craſſum habet.*

Probe autem notandum eſt, arctitudinem vincibilem eſſe poſſe, ut ſæpius fruſtrato conatu coeundi tandem coire liceat. Exemplum notatu dignum memini me legiſſe in Hiſtoria Academiæ regiæ Scientiarum, quæ Pariſiis floret, de viro, qui, ni fallor, per viginti demum annos arctitudinem vicit.

§. 277.

De frigiditate. *Frigidus* appellatur, qui nullum ſtimulum ad coitum ſentit, vel ab eo prorſus abhorret. *Perſonæ* itaque *frigidæ deſtituuntur æſtu, qui cupidinem coeundi excitat & in ipſo actu conſervat*, conſequenter cum conſtet, ſine æſtu venereo concubitum rite celebrari non poſſe, & eo deficiente eſſe infœcundum, ut finis matrimonii obtinere nequeat (§. 270.), perſonæ autem, quorum infœcundus eſt concubitus, ſeu per quas finis matrimonii obtineri nequit, matrimonium contrahere non debeant (§. 273.), *perſonæ frigidæ matrimonium contrahere nequeunt.*

Frigiditas tam fœminis, quam viris commune vitium, in cujus cauſas hic non inquirimus, Hoc enim Phyſicorum & Medicorum eſt, quorum etiam eſt inquirere in cauſas, cur frigiditas obſtet fœcunditati coitus.

§. 278.

BIU Cujas

§. 278.

De impotentia & sterilitate.

Impotentes dicuntur mares, qui propter vitium quoddam corporis, præsertim organorum genitalium, generare non possunt: *Fœminæ* autem *steriles* appellantur, quæ eadem de causa concipere nequeunt. Quoniam itaque matrimonium contrahere nequeunt, qui potentia generandi destituuntur (§. 272.); *mares impotentes ac fœminæ steriles matrimonium contrahere nequeunt.*

Inter impotentes referendi sunt castrati, quibus deficiunt testiculi ad seminis generationem necessarii (§. 275.), sicuti in eundem numerum veniunt, qui semen prolificum generare nequeunt, etsi testiculis minime destituti. Sed nostrum jam non est in causas impotentiæ inquirere propter eam, quam modo attulimus (*nos. §. 277.*), rationem. Impotentia, cujus causam Jcti maleficium seu veneficium allegant, & ob quam eadem laborantem *Maleficiatum* dicunt, veluti si penis in ipso coitu flaccescat, ut semen ejaculari nequeat, vel immittendus rigorem amittat, ut immitti debite non possit, suas habet causas naturales ac subinde morales, quas hic recensere nolumus. Et ob causas morales accidit, ut maleficiatus cum alia persona concumbere possit, quæ ad concumbendum cum hac inepta est. Facile autem patet, causas, cur quædam personæ inhabiles sint ad matrimonium, supponere theoriam generationis in Physica tradendam, siquidem eas intimius perspicere velis. Ceterum impotentia facilius detegitur, quam sterilitas, quæ raro habet causas in sensum incurrentes.

§. 279.

De Hermaphroditis.

Hermaphroditi vel *Androgyni* dicuntur, qui utriusque sexus sunt. Sexus autem prævalere dicitur, cujus membra genitalia ab iis, quæ sexui huic propria sunt, minime differunt, seu cujus vicem in coeundo debite præstare possunt. Atque adeo patet, *hermaphroditos quoad sexum prævalentem matrimonium inire posse* (§. 271.), *quoad alterum vero sexum, cujus respectu potentia generandi destituuntur, inire non posse* (§. 272.). *Quodsi utriusque sexus participatio potentiam generandi in utroque aufert, hermaphroditi matrimonium contrahere nequeunt* (§. *cit.*).

Difficile subinde est de sexu prævalente, præsertim fœmineo, judicium. An vero dentur hermaphroditi, qui potentia generandi quoad utrumque sexum instructi sunt, defectu observationum certarum ego definire non audeo. *Plinius* l. 7. c. 2. autor est, populum esse in Africa supra Nasamonas, utriusque naturæ, inter se vicibus coeuntes, dexteram mammam his virilem, lævam muliebrem esse. Sed sit fides penes autorem. *Aristoteles* lib. 4. cap. 4. de generat. animal. statuit, quibus gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminæ, iis semper alterum ratum, alterum irritum reddi, consequenter negat, dari hermaphroditos, in quibus utriusque sexus genitalia perfecta sunt, seu qui utroque sexu valent, neutro prævalente. Observationes nonnullas notatu dignas affert *Sennertus* Medic. pract. lib. 3. part. 9. sect. 1. c. 13. f. m. 607. Plures quoque prostant historiæ de mutatione sexus, quales collegerunt *Schenckius* lib. 4. observat. & *Marcellus Donatus* lib. 6. c. 2. de hist. med. mirabil. qui & in causam hujus mutationis inquirit. *Plinius* lib. 7. c. 4. scribit: Ex fœminis mutari in marem, fabulosum non est, idque tribus exemplis ex Annalibus Romanorum in medium adductis probat. Simile exemplum viri ex muliere facti commemorat *Livius*. Quomodo hoc fieri potuerit, docet *Cardanus* de rer. Variet. lib. 8. & eandem sententiam tuetur *Sennertus* loc. cit. *Jovianus* vero *Pontanus* lib. 10. de reb. cœlest. refert, mulierem, cum prius filium peperisset, virilem sexum adeptam fuisse. Sed de causis miræ hujus mutationis inquirere, Physici est, ac ideo hanc disquisitionem in alium locum rejicimus.

§. 280.

Polygamia, polygynia, polyandria, & monogamia quid sit.

Polygamia dicitur matrimonium personæ unius cum pluribus contractum. In specie *Polygynia* vocatur matrimonium unius maris cum pluribus fœminis contractum; *Polyandria* vero matrimonium unius fœminæ cum pluribus maribus initum. Quoniam vero Polyandriæ exempla rarius occurrunt, polygynia vero & olim apud multas gentes in usu fuit, ac hodienum in usu est; per polygamiam communiter tantummodo intel-

BIU Cujas

intelligitur in significatu strictori, quo nomen generis tribuitur uni speciei, polygynia. *Monogamia*, quæ polygamiæ opponitur, appellatur matrimonium unius maris cum una fœmina contractum.

Omnia hæc matrimonia physice possibilia esse, per se patet. In Iure naturæ igitur inquirendum, quænam eidem conveniant, quænam repugnent.

§. 281.

Uxorem ducere & nubere quid sit.

Quando mas & fœmina matrimonium contrahunt, *Mas uxorem ducere*, fœmina mari *nubere* dicitur.

Nonio autore veteres non solum mulieres, verum etiam viros nubere dicebant. Postea tamen usus loquendi obtinuit, ut proprie mulieres nubere, mares uxorem ducere dicantur.

§. 282.

Maritus & uxor quænam personæ dicantur.

In societate conjugali mas vocatur *Maritus*; fœmina vero *Uxor*.

§. 283.

An una pluribus nupta esse possit.

Una fœmina non debet nubere pluribus viris. Constat marem unum, qui potentia generandi gaudet, & per consequens matrimonium contrahere potest (§. 271.), uni fœminæ imprægnandæ sufficere, ac ideo si in concubitu non habeatur ratio nisi procreandæ sobolis, non vero is solius voluptatis percipiendæ gratia fiat, virum unum uni fœminæ satisfacere posse. Et quodsi fœmina una pluribus viris nubat, & per consequens plures ad secum concumbendum admittat, istiusmodi matrimonium a concubitu promiscuo haud procul abest (§. 267.), cum perinde ac in hoc pater sit incertus, & quamvis omnes in educationem prolis consentiant, quemadmodum fieri debebat (§. 270.), hoc tamen non obstante naturalis ille amor prolis, per quem natura ejus educationem intendit ac ad educationem stimulat (§. 260.), supprimitur, ut ideo vix speranda sit tam curata educatio, qualis foret, si pater certus esset. Quamobrem cum matrimonium nonnisi sobolis procreandæ ac educandæ gratia contrahi debeat (§. 270.), omnis vero concubitus, qui fit solius voluptatis venereæ percipiendæ gratia, illicitus sit (§. 240.) & naturæ lege pater ad educandam sobolem suam obligatur (§. 263.), consequenter etiam ad omnem educationi impendendam curam, quæ ab eo proficisci potest (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); fœmina una pluribus viris simul nubere non debet.

Duplex potest concipi casus, quo fœmina una pluribus viris simul nubit, nimirum ut hoc fiat consensu omnium virorum, sive iidem consentiant inter se, quod communem uxorem habere velint, sive fœmina pro lubitu suo pluribus nubat inconsultis iis, quos jam habet. Ad utrumque casum respeximus in demonstratione, ne minus demonstretur, quam demonstrandum erat. Si plures viri inter se conveniant de uxore communi ducenda, facile patet, non tam generationem prolis, quam primario voluptatis venereæ perceptionem intendi, licet in eo consentiant, ut cura educationis sit quoque communis. Quodsi vero fœmina una pro lubitu suo cum pluribus paciscatur de usu corporis sui ipsis concedendo, multo minus dubitari potest, quin solius voluptatis venereæ percipiendæ causa hoc faciat, quia ad sobolem procreandam nonnisi unius ope indiget. Si vero contingat, uxorem deserere maritum & alii nubere, nec cum priori rem amplius habere velle, casus iste prorsus diversus est a præsente, nec cum eo confundendus.

§. 284.

BIU Cujas

§. 284.

Quoniam matrimonium unius fœminæ cum pluribus maribus contractum polyandria est (§. 280.), fœminæ autem una pluribus nubere (§. 283.), consequenter matrimonium cum iis contrahere non licet (§. 281.); *polyandria naturaliter illicita est.* *An polyandria licita sit.*

Natura admittit concubitum promiscuum, qui prope ad polyandriam accedit, quemadmodum in demonstratione præcedente jam sumsimus, in canibus, quia ad educationem non requiritur opera maris, sed fœmina sola eidem sufficit, cumque uno coitu conceptio absolvi non possit, perinde est, a quonam mare fœmina imprægnetur. Polyandria itaque tanquam a natura minime abhorrens probari nequit exemplo canum: quin potius ex eo clarissime elucet, in humano genere polyandriæ potissimum obstare curam educandi sobolem, quæ non exigua est (§. 255.).

§. 285.

Communio uxorum dicitur jus (fictum scilicet, quemadmodum mox ostendetur) omnibus promiscue competens ad concumbendum cum eadem fœmina prolis procreandæ causa. *Quid communio uxorum sit.*

Hanc communionem uxorum mirifice commendat *Plato* Dial. V. de Rep. & qui ejus vestigia legit *Campanella* in Rep. Solis. Vult quoque *Plato*, ne infantes nutriantur a matribus suis, sed ab aliis nutricibus, ita ut liberi nec patrem, nec matrem, nec parentes liberos suos noscant. Ita nimirum liberos quoque fore communes. Multum enim sibi pollicetur ex perfecta omnium in Rep. communione.

§. 286.

Communio uxorum naturaliter illicita est. Posita enim uxorum communione, omnibus promiscue competit idem jus ad concumbendum cum eadem fœmina sobolis procreandæ causa (§. 285.) adeoque ea hujus finis gratia cum nemine societatem contrahit (§. 1.). Enimvero genus humanum propagari debet per societatem inter marem & fœminam sobolis procreandæ ac educandæ gratia initam (§. 269.). Communio igitur uxorum naturaliter illicita est (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *An communio uxorum naturaliter licita.*

Ostendi etiam potest hoc modo. Quoniam si uxores communes sunt, quilibet cum eadem fœmina concumbere potest, qui voluerit, & quem ea admittere voluerit (§. 285.); communio uxorum parum differt a promiscuo concubitu (§. 267.). Quamobrem cum per promiscuum concubitum genus humanum propagari non debeat (§. 268.); nec uxores communes esse debent, consequenter uxorum communio naturaliter illicita (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Naturalis ille amor liberorum, per quem in parentibus natura educationem intendit (§. 260.), quæ quam late pateat in sequentibus videbimus, per hoc minime diffunditur promiscue ad liberos quoscunque, quod parentes ignorent, quinam eorum sint sui, seu a se procreati, quemadmodum videtur *Platoni*, quin potius supprimitur, ut nullus sit ejus effectus, perinde ac si prorsus eradicaretur. Naturæ igitur humanæ repugnat uxorum communio, atque ideo pro re naturaliter turpi recte habetur, cum ipsis primis naturæ contrarietur (§. 257. *h.* & §. 80. *part.* 2. *Jur. nat.*) Quodsi vero intimius perspicere volueris, quale jus foret communio uxorum, siquidem tale jus natura daretur; ad eam applicanda sunt, quæ de communione primæva prolixe demonstravimus in parte secunda Juris naturalis c. 1. Etenim si uxores natura essent communes, & matrimonia demum facto hominum perinde ac dominia introducta; fœminæ ad generandum habiles in numero rerum communium essent. Quodsi vero hæc communio in civitate introduceretur, quemadmodum suadet *Plato* & cum eo *Campanella*, communio foret mixta (§. 129. *p.* 2. *Jur. nat.*), qualis est communio bonorum, quam patres Religiosorum introduxerunt (*not.* §. *cit.*). Communionem istam uxorum apud Taprobanenses usu receptam fuisse narrat *Diodorus Siculus* lib. 2. c. 58. tum etiam apud Ichthyophagos, Hylophagos & Nomades lib. 3. c. 15. 24. 32. Alias adhuc gentes commemorat *Pufendorfius* l. 6. c. 1. quibus eadem placuit.

§. 287.

BIU Cujas

§. 287.

Communio uxorum an sit species polyandriæ.

Communio uxorum polyandriæ species non est. Etenim ubi communio uxorum viget, mares fœminis vulgo utuntur, certum matrimonium nulli est (§. 285.), & per consequens mulier nubit nulli (§. 281.). Enimvero polyandria est matrimonium unius fœminæ cum pluribus viris contractum (§. 280.), consequenter ubi hæc recepta, fœmina una simul nubit pluribus (§. 281.). Communio itaque uxorum polyandriæ species non est.

Non sine ratione communio uxorum a polyandria distinguitur, quæ a nonnullis inter hujus species refertur, qui non satis a se invicem discernunt discernenda. Cum enim polyandria species quædam matrimonii sit, communio autem uxorum matrimonio opponatur; facile patet, ad communionem uxorum applicari minime posse, quæ de polyandria demonstrantur, nisi quatenus in eo conveniunt, ut fœmina una pluribus simul concedat usum corporis sui: quæ ratio impositæ iis, qui communionem uxorum pro specie quadam polyandriæ habuerunt.

§. 288.

An sit jus.

Communio uxorum jus non est, sed mera licentia. Est enim naturaliter illicita (§. 286.). Quoniam itaque jus esse nequit, quod naturaliter illicitum (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); communio uxorum jus non est. *Quod erat unum.*

Quoniam communio uxorum jus non est *per demonstrata*, mera autem licentia est, quando homines faciunt, quod libet, sine ulla restrictione (§. 150. *part.* 1. *Jur. nat.*) & per consequens parum curantes, utrum hoc naturaliter licitum sit, an illicitum, communio uxorum mera licentia est. *Quod erat alterum.*

Quodsi ergo communio uxorum in civitate introducatur, jus quidem erit positivum, sed cum a naturali abhorreat, pro jure habetur, cum non sit, atque ideo jus nonnisi fictum est (§. 149. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 289.

Communicatio uxorum quid sit.

Communicatio uxorum est pactum, quo plures inter se conveniunt, ut uxores, quas singuli habent, sint omnibus communes.

Hanc communicationem uxorum antiquis Britannis in usu fuisse, narrat *Julius Cæsar* lib. 5. de bel. gall. Uxores, inquit, habent deni duodenique inter se communes, & maxime fratres cum fratribus, parentes cum liberis. Sed si qui sunt ex his nati, eorum habentur liberi, a quibus primum virgines quæque ductæ sunt. Necesse autem non est, ut partus sit ejus, cujus est uxor: conveniri enim quoque poterat, ut sit communis. Utrumque sane obtinere potest etiam in communione uxorum, ut vel liberi ex promiscuo concubitu nati sint communes omnium, quemadmodum voluit *Plato*[1], vel ut proles sit unius, cui ea per sortem tribuitur (§. 296. *p.* 5. *Jur. nat.*), vel quem ex iis, qui cum eadem muliere rem habuerunt, ipsa patrem elegerit. Immo multo facilius utrumque observare licet in polyandria. Ita ex *Ludovico Romano* Navig. lib. 5. c. 8. refert *Pufendorfius* loc. cit. de quibusdam incolis regni Calecuti, quod fœmina septenis nubat viris, in concubitum noctes alternantibus, quæ ubi peperit, prolem delegat ad quemcunque ex septem conjugibus voluerit, dubio procul quod fœmina rectius præsumere credatur, ex quonam conceperit.

§. 290.

An ea juri naturæ conveniat.

Communicatio uxorum Juri naturæ repugnat. Quoniam enim qui uxores suas sibi invicem communicant inter se conveniunt, ut uxores, quas singuli habent, sint omnibus communes (§. 289.), uxorum communicatio respectu fœminarum cum polyandria (§. 280.), respectu marium cum communione uxorum convenit (§. 285.). Enimvero tam polyandria, (§. 284.), quam communio uxorum naturaliter illicita est (§. 286.). Ergo etiam uxorum communicatio naturaliter illicita est.

Osten-

BIU Cujas

Ostenditur etiam hoc modo. Quoniam naturaliter matrimonium contrahere non debent, qui potentia generandi destituuntur (§. 272.), generationis prolis causa opus non est, ut, qui uxores duxerunt, eas inter se communes habeant, consequenter qui paciscuntur, ut sint communes, nonnisi voluptatis percipiendæ causa istiusmodi pactum ineunt, quod scilicet delectet varietas. Enimvero solius voluptatis percipiendæ gratia concubitum appetere non licet naturaliter (§. 240.), consequenter nec pactum inire de concubitu, quod ea de causa fit. Quoniam itaque istiusmodi pactum est uxorum communicatio (§. 289.); hæc quoque naturaliter illicita est.

Cum a moribus nostris abhorreat communicatio uxorum, nec per leges nostras tolerari possit; non opus est, ut penitius in eam inquiramus. Quamobrem supersedemus discussioni objectionum, quæ fieri poterant, quod scilicet non voluptatis venereæ gratia istiusmodi pactio fiat, sed aliis longe de causis, veluti ut animi sociorum arctiori amoris vinculo sibi invicem devinciantur, & quilibet alterum respiciat tanquam sepsum, communis quoque omnium amor erga liberos, qui procreantur, propagetur ac liberis erga generatores communes instilletur, & quæ sunt alia istiusmodi, quæ insignis utilitatis speciem præ se ferre videntur. Sufficit in genere respondisse, quod talia facilius dicantur, quam probentur, & quod non liceat societatem contrahere finis liciti per media illicita promovendi causa. Neque etiam opus est, ut prolixe inquiramus in incommoda, quæ ex pacto de communione uxorum suarum provenire possunt, & quæ præcavere debemus, nisi in naturæ legem delinquere velimus. Immo facile ostendi poterat, uxorum communicationem majoribus malis obnoxiam esse, quam earundem communionem *Platonicam*. Equidem non ignoro multorum eam esse opinionem, quod in Jure naturæ non attendenda sint ea, quæ actui cuidam accidunt, non vero semper ex eodem necessario consequuntur, quasi talia actum illicitum efficere non possint: veruntamen, ut alia taceamus, hi minime perpendunt, lege naturali nos quoque ad prudentiam obligari (§. 258. *part.* 1. *Jur. nat.*), quæ etiam animum attendi jubet ad ea, quæ actui cuidam accidere possunt, & eadem lege nos obligari ad præferendum in omni casu, quod est melius (§. 192. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter etiam quod tutius est. Taceo, quod uxorum communicatio vix quidem consistat cum officiis mutuis conjugum erga se invicem, de quibus dicemus in sequentibus: id quod & de aliis matrimoniis a monogamia diversis notandum.

§. 291.

An uxorem suam liceat commodare alteri.

Commodare uxorem suam alteri ea lege, ut partus sit commodantis, vel hac, ut sit commodatarii, naturaliter non licet. Si enim uxor commodetur alteri ea lege, ut partus sit commodantis, amor ille naturalis, qui educandæ prolis causa commodanti inditus, supprimitur (§. 260.), nec genitor sobolem suam educat, ad quam educandam ipse naturaliter obligatur (§. 263.). Similiter si uxor commodetur alteri ea lege, ut partus sit commodatarii, mater contra amorem naturæ ipsi inditum ab educatione prolis suæ, quam ipsa educare obligatur (§. 263.), vel invita arcetur (§. 260.). Quamobrem cum naturæ humanæ, in qua rationem sufficientem habet lex naturæ (§. 135. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), repugnet amorem illum naturæ inditum tanquam curatoris educationis stimulum (§. 260.) supprimere, vel effectu suo privare, & obligatio ad educandum prolem suam immutabilis sit (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), a qua nemo sepsum, vel alterum liberare potest; naturaliter non licet uxorem suam commodare alteri ea lege, ut partus sit commodantis, vel hac, ut sit commodatarii.

Lycurgus, referente *Plutarcho* in ejus vita, morem commodandi uxorem alteri utraque, quæ in propositione præsente commemoratur, lege in Republ. Spartana introduxit. Nam viro natu grandiori, cui florens ætate erat conjux, si quem probum & prudentem adolescentem charum haberet probaretque, jus dedit eam huic jungere, & cum impleta esset egregio semine, sibi vindicare partum. Ex adverso liberum fecit bono viro, si qua ei casta mulier, quæ elegantes pueros ederet, alteri nupta cordi esset, agere cum ejus marito, ut ejus copiam sibi faceret, atque sibi prolem ex ea quærere. Ita nimirum putat fore, ut gignantur liberi probi & ex præstantissimis generentur cives, reliquos legislatores tanquam oppido insulsos & vanos ridens, qui canes & equos ad optimos admissarios agant, idque pretio vel gratia contendant a dominis, conjuges vero inclusas, quas ex solis volunt ipsis parere, custodia sepiant, sive amentes sint, sive decrepiti, sive valetudinarii. Speciosæ quidem sunt rationes, quas affert *Lycurgus*, probatæ ideo tam *Plutarcho*, quam *Campanellæ*, & ipsum jus naturæ perfectivum, quod meliora

BIU Cujas

præferri jubet (§. 193. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). & præcipit omnem curam, quæ a nobis proficisci potest, ut optima proles procreetur, opinioni *Lycurgi* favere videtur; non tamen, si rem penitius inspicias, commodatione uxorum obtinetur, quod sine ea obtineri non poterat, modo homines prudenter matrimonia contraherent, quemadmodum debebant (§. 258. *part.* 1. *Jur. natur.*), & præterea officiorum suorum partes omnes ex asse adimplere studerent quemadmodum debebant. Jus naturæ in se immutabile (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), non ideo mutari potest in uno, quia in aliis homines minime satisfaciunt iis, ad quæ facienda eosdem obligat. Non jam urgere libet, quod nec uxorum commodatione semper obtineatur finis, qui a *Lycurgo* intenditur, præsertim si educationis habeatur ratio, nec quæ incommoda haud raro oriri ex illa possint, merito attendenda, ubi inquisiveris, utrum actus aliquis jure naturæ licitus sit, nec ne (*not.* §. 290.). Sed si singula distinctius explicanda ac demonstranda forent, quæ commodationi uxorum obstant, quo minus eidem locus esse possit sive in statu naturali, sive in civili, amplior requireretur tractatio, quam quæ utilis existimari poterat in re, quæ a nostris moribus ac legibus prorsus abhorret. Immo pauci erunt mariti, qui affectu conjugali, quo debent, suas prosequuntur uxores, eas alii commodare voluerint, nec sine ratione admirandum, uxorum commodationem mutuo conjugum amori non obesse. Hinc etsi apud Romanos, *Plutarcho* autore, non inusitatum esset, alteri uxorem suam cedere, ut liberos ex ea tolleret; non tamen eam recipere tenebatur, qui hoc fecerat, nisi vellet. Ubi in sequentibus omnem curam parentum in educanda sobole requisitam & mutua conjugum officia demonstraverimus, multo facilius ac rectius judicabitur, quod uxorum communio, communicatio & commodatio juri naturæ adversetur.

§. 292.

De connubii adjutoribus.

Quoniam naturaliter non licet commodare suam uxorem alteri ut partus sit tuus (§. 291.), perinde vero est, sive alii commodes uxorem tuam, ut partus sit tuus, sive uxori permittas, ut connubii adjutores habeat; *juri naturæ repugnat, ut uxor permittente marito connubii adjutores habeat.* Quodsi hoc permittatur solius libidinis explendæ causa, multo magis id illicitum esse apparet (§. 240.).

Teste *Ænea Sylvio* apud Lithuanos in usu fuit, ut inter se matronæ palam concubinos haberent virorum permissu, quos connubii adjutores vocabant, etsi pellicatus viris probro duceretur. Vix equidem hujus moris alia ratio fuit, quam libidini fœminarum ut satisfieret, quæ mulieribus facilius condonanda, quam viris visi fuit. Mores gentium cum adeo sibi contrarientur, oppido falluntur, qui jus naturæ ex iisdem metiri volunt, cum ex adverso potius mores ad normam legis naturæ exigendi.

§. 293.

An monogynia sufficiat generi humano propagando.

Monogynia generi humano propagando abunde sufficit. Experientia domestica hoc comprobatur. Quis enim est, qui nesciat, in Europa, præsertim in Germania nostra, majorem esse hominum multitudinem, ut de ea indies audire detur plurimorum querelas, etsi monogynia sola probetur, quam in aliis terræ partibus, in quibus polygynia frequentatur. Accedit quod magna hominum pars utriusque sexus perpetuam castitatem Deo foveat, qui si matrimonia contraherent, numerus hominum adhuc magis multiplicaretur. Monogynia itaque generi humano propagando abunde sufficit.

Inprimis hic probe considerandum, si coitus nulli celebrarentur nisi sobolis procreandæ gratia, quemadmodum vult lex naturæ (§. 239.), fore ut per conjugia monogamica numerus hominum adhuc magis multiplicaretur: neque enim tot mares potentiam generandi imminuerent, aut eadem se prorsus privarent, solius voluptatis veneræ, lege naturæ reprobatæ (§. 240.), percipiendæ causa.

§. 294.

An polygynia generis humani propagandi

Quoniam monogynia generi humano propagando abunde sufficit (§. 293.), quamvis lex naturæ velit, ut homines sobolem procreent (§. 239.), & generis humani propagandi gratia societatem ineant (§. 269.), consequenter matrimonia contrahant (§. 270.); non tamen propterea concipitur dare maribus, qui ex pluribus fœminis liberos tolle-

BIU Cujas

tollere possunt, jus ad matrimonium cum pluribus fœminis contrahendum (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter cum polygynia sit matrimonium unius maris cum pluribus fœminis contractum (§. 280.), *propagandi generis humani causa lex naturæ polygyniam non permittit* (§. 165. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *causa naturaliter permissa.*

Jus ad concubitum non datur (§. 159. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*), nisi quatenus lex naturæ vult, ut genus humanum propagetur (§. 239.), & liberi educentur (§. 262. 263.). Vi igitur demonstrationis præsentis patet, necessitatem propagandi genus humanum minime tueri polygyniam.

§. 295.

Polygynia lege naturæ permissa non est. Jus non dat lex naturæ nisi ad ea, sine quibus obligationi naturali satisfacere non possumus (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter cum velit genus humanum propagari debere per matrimonia (§. 269. 270.), monogynia vero generi humano propagando abunde sufficit (§. 293.), concubitus vero solius voluptatis percipiendæ gratia factus illicitus sit (§. 240.); lex quoque naturæ non dat jus nisi ad conjugia monogamica ineunda (§. 280.), consequenter non dat jus ad polygyniam (§. *cit.*), ac propterea polygynia lege naturæ permissa non est (§. 165. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Idem aliter ostenditur.*

Patet nunc, polygyniam esse contra legem naturæ permissivam (§. 165. *p.* 1. *Phil. pract. univers.*), ut adeo dici nequeat, eum, qui cum pluribus fœminis simul matrimonium contrahit, hoc facere jure sibi a natura tributo.

§. 296.

Si quis cum pluribus fœminis matrimonium simul contrahit solius voluptatis percipiendæ causa, aut liberis, quos ex pluribus uxoribus tollit, educandis, prouti educari debent, non sufficit; polygynia lege naturali prohibita est. Etenim lege naturali prohibetur omnis concubitus, qui solius voluptatis percipiendæ causa appetitur (§. 240.). Eadem igitur lege etiam prohibetur, matrimonium contrahere cum pluribus fœminis simul, solius voluptatis percipiendæ causa, consequenter polygynia voluptatis percipiendæ causa contrahenda lege naturæ prohibita. *Quod erat unum.* *Quando polygynia naturaliter prohibita.*

Lege naturæ genitores liberos suos educare obligantur (§. 263.). Et quia eadem nos obligat ad recte agendum (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad recte educandum quoque liberos obligat. Cumque eadem nos obliget ad culpam quamlibet vitandam (§. 299. *part.* 1. *Jur. nat.*), eam quoque in educatione vitare debemus, consequenter omnem adhibere diligentiam ac curam, ne quicquam a nobis omittatur, quod ad educationem facit, neque fiat, quod eidem quomodocunque impedimento est (§. 757. 751. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo qui cum pluribus fœminis simul matrimonium contrahit, liberis, quos ex iis tollit, debite educandis non sufficit; polygynia utique lege naturali prohibita. *Quod erat alterum.*

Probe vero notandum est, educationem æstimandam esse non ex solis sumtibus, qui educationis causa faciendi; verum omnem illam curam ac sollicitudinem considerandam esse, quam ad educationem requiri inferius demonstrabitur & quæ aliquo modo jam elucet ex ipsa educationis definitione (§. 255.). Non minus hic perpendenda sunt impedimenta, quæ ex ipsa polygynia emergere possunt. Horum enim rationem habendam esse, etsi ex accidente tantummodo emergant, in superioribus jam monuimus (*not.* §. 290.). In hypothesi itaque propositionis præsentis si non prorsus impossibile, perquam tamen difficile erit judicium, utrum quis educationi liberorum ex pluribus uxoribus tollendorum sufficiat, nec ne. Ceterum facile patet in hypothesi propositionis præsentis polygyniam esse contra legem naturæ prohibitivam, non vero saltem contra permissivam.

BIU Cujas

§. 297.

Monogamia primis naturæ convenit. Quando nimirum ad educationem prolis requiritur tam maris, quam fœminæ opera, nonnisi marem unum fœminæ uni jungi videmus, ut adeo imago monogamiæ conspiciatur in animalibus brutis (§. 280.). Quoniam itaque prima naturæ sunt, ad quæ animalia sua natura feruntur (§. 80. *part. 2. Jur. nat.*): monogamia primis naturæ convenit.

Monogamia primis naturæ convenit.

Prima naturæ homini cum brutis communia sunt, adeoque naturali instinctu quin etiam homines ferantur sobolis procreandæ ac educandæ gratia ad societatem ineundam singuli cum singulis, non est, quod dubitemus. Stimulus enim ad concubitum, per quem natura generationem intendit, non minus, quam Στοργή, naturalis ille sobolis amor, per quem educatio intenditur a natura (§. 259.), hominibus cum brutis communis est. Quodsi ergo non accedat libido, voluptatis venereæ cupido (§. 248.); vix continget, ut quis plures uxores habere velit ideo, quod pluribus liberis gignendis ac educandis se sufficere putet.

§. 298.

Quoniam monogamia primis naturæ convenit (§. 297.), prima autem naturæ cum jure naturæ consentiunt (§. 83. *part. 2. Jur. nat.*); *monogamia* etiam *juri naturæ convenit.*

An juri naturæ.

Patet adeo, ductum naturæ sequi homines (§. 297.), & legi quoque naturæ convenienter agere *vi præs.* si nonnisi singuli mares cum singulis fœminis matrimonium contrahant, consequenter a polygynia abstineant.

§. 299.

Naturaliter obligamur monogamiam polygyniæ præferre. Quoniam naturaliter matrimonium contrahere non debent, nisi qui potentia generandi pollent (§. 272.) &, nisi potentia generandi per illicitos concubitus debilitetur, vel destructa sit, qui scilicet solius voluptatis venereæ causa fiunt (§. 240.), ex una uxore liberi haud pauci tolli possunt, experientia teste; nemo prævidere potest, quot liberi ex matrimonio cum una fœmina inito sint procreandi. Multo minus autem prævidere potest, quod liberorum educationi, sive sumtus in eam impendendos consideres, sive curam, quam requirit, vi definitionis (§. 255.), & per ea, quæ inferius prolixe demonstrabuntur, sufficere possit, consequenter admodum difficile est judicare, an non polygamia contra manifestam legis naturæ prohibitionem contrahatur (§. 296.). Præterea vix ac ne vix quidem sperare licet, ut evitentur discordiæ ac molestiæ inter liberos ac uxores, in ipsum maritum ac parentem communem redundaturæ, quæ in monogamia metuendæ non sunt, & ut ne varia cum ex parte uxorum, tum ex parte liberorum, qui marito ex iis nascuntur, oriantur impedimenta curatioris educationis, si non omnium, saltem quorundam liberorum, in quæ prolixius jam inquirere supervacaneum videtur. Quamobrem cum genus humanum abunde propagari possit per monogamiam, nec ad id opus sit polygynia (§. 293.); consequenter necessarium non sit, ut unus mas ducat plures uxores (§. 280.); melius omnino est unam nonnisi, quam plures simul ducere. Quoniam itaque lex naturæ nos obligat ad id, quod melius est, alteri præferendum (§. 19. *part. 1. Phil. pract. univ.*); naturaliter quoque obligamur polygyniæ præferre monogamiam.

De obligatione naturali præferendi monogamiam polygyniæ.

Hinc etiam Christus, optimus Juris naturæ interpres, qui rigorem ejus vindicavit adversus corruptelas Pharisæorum, urget, ut unus mas nonnisi unam ducat uxorem, ac fœmina una nonnisi mari uni nubat, moribus diversis contra intentionem ac institutionem Dei introductis. Quemadmodum vero dubium est, quotnam cum una uxore liberos procreare possit maritus; ita non minus dubium est, annon ex una tot liberos successive tollere possit, quot ex pluribus tollit. Et sane cura educandi sobolem facilitatur, si successive nascantur, quam si plures simul

BIU Cujas

simul nascantur, ut adeo præstet liberos ex una uxore successive, quam ex pluribus totidem simul, vel breviori temporis intervallo tollere. Quodsi modos omnes, quibus genus humanum propagari potest, inter se compares, modo ad singula unicuique propria animum advertas, facile perspicies, monogamiam omnium optimum esse, nec statui civili magis convenire alium, quam eandem, ut ideo, si vel maxime omnes liciti essent, monogamia tamen vi legis naturæ perfectivæ ceteris præferenda esset.

§. 300.

An polygynia per se repugnet legi naturæ.

Polygynia non repugnaret legi naturæ, si homines essent domini sui ipsius, in sensu scilicet morali: *sed pro præsenti hominum conditione ac statu sine ista repugnantia vix concipi potest*. Etenim si homines essent domini sui ipsius, in sensu scilicet morali, sensibus, imaginationi atque affectibus resistere valerent, ne adversus rationem prævalerent, eorumque usum rationi convenienter determinarent (§. 555. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), ac ideo sollicite caverent, ne in determinandis actionibus suis latum unguem a lege naturali recederent (§. 556. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Concubitum itaque nunquam appeterent solius voluptatis percipiendæ gratia (§. 240.), & per consequens mas unus abunde sufficeret uxoribus pluribus quoad actum generationis. Nulli esset animus plures gignendi liberos, quam probe educare posset (§. 263.), ac quamlibet in educanda prole omni animi sollicitudine atque diligentia evitaret culpam (§. 299. *part.* 1. *Jur. nat.*). Omnes præterea fœminæ maritum, maritus liberos promiscue eodem amore prosequerentur (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac diligerent (§. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter omni studio conjunctis viribus id agerent, ut sint cum prolibus suis felices, ac caverent, ne ullum societatis suæ membrum infelix fiat (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*). Metuendum igitur non esset, ne oriantur discordiæ ac odia, aliaque obstacula curatiori educationi prolium in universum adversa. Hoc modo conjunctis viribus unius maris atque plurium fœminarum finis matrimonii, qui procreatio & educatio sobolis est (§. 270.), legi naturæ convenienter obtineretur (§. 269.). Patet itaque polygyniam non repugnare legi naturæ, si homines sint domini sui ipsius, in sensu scilicet morali (§. 280.). *Quod erat unum.*

Enimvero ubinam reperies homines, qui tales sese sibi invicem præbent, quales sese præbere debent, siquidem polygynia legi naturæ repugnare minime debeat, *per demonstrata* & qui sunt sui ipsius domini? Quodsi ante dicta probe perpendas & homines, quales sunt, considerare velis; facile deprehendes, non eam esse eorundem conditionem, non eum statum, qualis requiritur, ut polygynia legi naturæ respondeat. Patet itaque pro præsenti hominum conditione ac statu vix concipi posse polygyniam sine repugnantia cum lege naturæ. *Quod erat alterum.*

Non est quod objicias, si homines sumamus quales sunt, in monogamia quoque committi, quæ legi naturæ adversantur, præsertim quoad educationem prolis, consequenter per eandem rationem monogamiam quoque improbandam esse. Enimvero distinguendum est inter ea, quæ ex ipsa polygynia nascuntur fini matrimonii contraria, & inter ea, quæ homines aliis de causis committunt legi naturæ adversa. Ad illa respicimus, quando affirmamus, pro præsenti hominum conditione ac statu vix concipi posse polygyniam sine repugnantia cum lege naturæ. Et ea de causa jam antea demonstravimus, lege naturæ, nos obligari ad monogyniam polygyniæ præferendam (§. 299.), quatenus scilicet & removentur obstacula, quæ ex ipsa polygynia emergunt, ac impediunt, quo minus fini matrimonii satisfiat. Accedit polygyniam non alia de causa invaluisse apud gentes nonnullas, quam voluptatis venereæ causa, & per consequens contra legem naturæ (§. 240.), & castitatem transcriptam esse ad solas fœminas, itidem contra naturæ legem (§. 253.), quas servilis conditionis suppositorum contra naturalem hominum æqualitatem (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*), etsi fœminas ad litandum libidini magis aptas esse constet, quam mares. Rarissima adeo erunt exempla eorum, qui unice sobolis procreandæ ac educandæ gratia plures uxores ducunt, aut ducere mallent, si permissum foret, viribus probe expensis, utrum fini huic sufficiant, nec ne. An vero dentur casus, in quibus necessitas exceptionem facit ac locum polygyniæ, in præsenti non disquirimus. Qui enim affirmativam defendunt, a statu civili rationem desumunt, quem hic supponere nondum permittunt methodi leges, quas sequimur.

§. 301.

BIU Cujas

§. 301.

An bigamia universalis sit possibilis.

Impossibile est, ut singuli mares ducant uxores duas. Plurimorum annorum observationibus in diversis locis multa solertia institutis comprobatum est, plures nasci pueros, quam puellas constante quadam propemodum proportione, nisi minimam differentiam in præsenti casu non attendendam urgere velis: excessus tamen puerorum exiguus est, ita ut in præsenti negotio sumi possit tot nasci puellas quot pueros. Si enim mille numeres puellas, pueri ultra mille viginti numerantur. Enimvero cum maxima pars eorum, qui nascuntur, si universos spectes, moriatur, antequam ad pubertatem perveniant, consequenter ad generandum apti evadant (§. 274.), notatu dignum est, quod successive excessus marium imminuatur, ita ut circa ætatem virilem, quæ est triginta annorum, marium ac fœminarum numerus ad æqualitatem reducatur, ac tandem plures existant vetulæ, quam senes. Quodsi ergo singuli mares duas ducere deberent uxores, dimidia fere pars marium, qui ad generandum apti sunt, vitam cœlibem transigere cogerentur. Patet itaque impossibile esse, ut singuli mares duas ducant uxores.

Angli fuere primi, qui istiusmodi observationes studiose collegerunt, & ad varios usus præsertim in determinandis reditibus vitalibus applicarunt. Primo loco hic nominandus est *Guilielmus Petty* in Tentamine Arithmeticæ politicæ quæ Londini A. 1699. in 8. prodiit. Accuratiores observationes huc spectantes conquisivit ac inter se contulit *Graunt* in libro Anglice conscripto sub titulo; Annotations of the bills of mortality, ac sæpius recuso, quibus multum tribuit *Derhamus* in Theologia Physica, secunda vice Londini 1714. in 8. idiomate patrio edita p. 176. n. 8. qui proportionem marium ad fœminas facit ut 14. ad 13. Silentio autem hic prætereundus non est, ut eas taceamus observationes, quæ passim in Transactionibus Anglicanis leguntur, *Maitland* in Historia civitatis Londinensis, quam idiomate patrio edidit. In Batavia *Nicolaus Struyck*, sermone Batavo, introductionem ad Geographiam edidit, in qua ea congessit, quæ *Petty*, *Graunt* & *Maitland* memoriæ prodiderunt. Quoniam vero libri isti in oris nostris rariores sunt, ac iis linguis conscripti, quæ a paucissimis intelliguntur; nobis hic inprimis nominandus est quidam *Joannes Petrus* nunc Præpositus ad ædem D. *Petri* Coloniæ ad Spream, qui visis, lectis ac ponderatis omnibus, quæ ab aliis de hoc argumento tradita fuerunt, multo acumine ac industria & eruditione non minore idem pertractavit, adhibitis observationibus domesticis, quas multo studio sibi comparavit. Ad illustrationem ac confirmationem propositionis præsentis facit caput quintum integrum. Non est, quod objicias exemplum Turcarum, vel aliarum quoque gentium, apud quas polygynia in usu est. Neque enim promiscue omnibus permissum est apud Turcas plures ducere uxores, sed tantummodo iis, qui plures alere possunt, ac observatum est polygamos pauciores ut plurimum gignere liberos, quam monogamos: id quod nec a ratione naturali abhorret, cum nimia venus debilitet in maribus generandi potentiam. Constat præterea ingentem mulierum multitudinem ex aliis regionibus vicinis quotannis adduci, propter mulierum in Turcia defectum.

§. 302.

An polygynia sit juris naturæ.

Quoniam impossibile est, ut singuli mares duas saltem ducant uxores (§. 301.), natura autem homines æquales sunt (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter idem jus habent (§. 78. *part.* 1. *Jur. nat.*), & genus humanum per monogamiam abunde propagari potest (§. 293.), quidni melius (*not.* §. 301.)? etiamsi educationis nullam habeas rationem, cujus tamen rationem maxime habendam esse constat (§. 263.); in natura hominum non datur ratio sufficiens polygyniæ (§. 56. *Ontol.*), consequenter *polygynia juris naturæ esse nequit* (§. 135. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *ac ideo sola monogamia eidem convenit.*).

Per observationes, ad quas modo provocavimus in demonstratione propositionis præcedentis, patet, naturam, consequenter ejus autorem Deum (§. 822. *part.* 1. *Theol. nat.*), non intendere propagationem generis humani nisi per monogamiam, consequenter polygyniam naturæ intentioni ac voluntati divinæ esse adversam. Sane si genus humanum propagari deberet per polygyniam, minimum duplo plures fœminæ nasci deberent, quam mares: id quod tamen ob-

BIU Cujas

observatione prorsus abhorret vi demonstrationis præcedentis. Immo si homines non appeterent concubitum nisi sobolis procreandæ ac educandæ causa, quemadmodum fieri debebat, & eam educationi curam impenderent, quam debebant, vi eorum, quæ inferius demonstrabuntur; vix quisquam eorum esset, qui plures una uxores habere vellet, ut dubitandum non sit, nonnisi libidinem polygyniam introduxisse contra naturæ legem (§. 240.), quæ scortationem & alios concubitus atque actus venereos illicitos peperit (§. 241. *& seqq.*). Per ea igitur, quæ hactenus abunde demonstravimus, recte concluditur, juri naturæ tantummodo convenire, ut per monogamiam genus humanum propagetur.

§. 303.

Quoniam sola monogamia juri naturæ convenit (§. 302.), monogamia vero est matrimonium unius maris cum una fœmina contractum (§. 280.), & matrimonium societas inter mares ac fœminas inita (§. 270.), *matrimonium societas est inter fœminam unam & marem unum inita.* *Quot personæ ad matrimonium requirantur.*

Vulgo definitioni inferitur, quod societas sit unius fœminæ ac maris unius; sed cum hoc demum demonstrandum fuerit ex fine, cujus gratia societas initur, qui ex definitione exulare nequit (§. 3.), ideo in definitione sumendum non erat, quod ex iis, quæ in eadem continentur, demonstrandum (*. 836. *Log.*).

§. 304.

Qui matrimonium contraxerunt, communi nomine *Conjuges* appellantur. *Conjuges quinam dicantur.*

Hinc tam maritus, quam fœmina dicuntur conjux in singulari, & nomen hoc generis communis est. In nostra tamen lingua nomen generis pro una specie poni nequit.

§. 305.

Si matrimonium contrahitur, mas fœminæ & fœmina mari promittit, quod corporis sui usum generationis causa concedere velint sibi invicem & quidem solis, & quod ambo ad educationem prolis conferre velint, quod possunt. Etenim matrimonium est societas inter marem & fœminam sobolis procreandæ ac educandæ gratia inita (§. 270.). Quamobrem cum societas pactum sit de fine, cujus gratia initur, conjunctis viribus consequendo (§. 1.); quando mas & fœmina matrimonium contrahunt, secum invicem paciscuntur, quod vires suas conjungere velint ad generandum & educandum sobolem. Pactum vero mutuas continet promissiones & earundem acceptationes (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*). Si itaque matrimonium contrahitur, mas fœminæ & fœmina mari vicissim promittit, quod conjunctis viribus sobolis procreationi ac educationi operam dare velint, consequenter quod sibi invicem procreationis causa corporis sui usum concedere & ambo ad educationem prolis conferre velint, quod possunt. *Quod erat unum.* *De mutua promissione conjugum.*

Enimvero matrimonium est societas, quæ nonnisi inter marem unum & fœminam unam iniri potest (§. 303.), nec liberos extra matrimonium generare licet (§. 269.). Uxori quoque permittere non licet ut habeat connubii adjutores (§. 292.), nec uxores licet habere communes (§. 286.), neque etiam plures mariti uxores suas sibi invicem communicare possunt (§. 290.), nec marito ex aliena uxore liberos tollere, aut uxorem suam alteri commodare permissum, ut partum sibi quærat (§. 291.) Omnis præterea concubitus solius voluptatis percipiendæ causa factus illicitus est (§. 240.). Patet itaque eos, qui matrimonium contrahunt, non posse sibi invicem promittere, nisi quod persona una alteri soli corporis sui usum concedere velit generationis causa. *Quod erat alterum.*

Pacta naturaliter licita ac valida non sunt, nisi quatenus legi naturæ conveniunt. Quamobrem promissiones paciscentium ita factæ intelliguntur, quomodo juxta legem naturæ fieri debe-

BIU Cujas

bebant. Et in Jure naturali demonſtrandum, quomodo fieri debeant, ne quicquam in iis contineatur, quod legi naturæ adverſetur, adeoque illicitum ſit (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Qui adeo matrimonium ineunt, non aliter ſibi invicem promittere poſſunt uſum corporis ſui generationis cauſa concedendum, quam ſibi invicem ſolis & qualis ad generationem prolis requiritur.

§. 306.

De jure in corpus uxoris & mariti.

Quoniam fœmina mari, mas fœminæ promittit, dum matrimonium ineunt, quod ſibi invicem ſolis generationis cauſa uſum corporis ſui concedere velint (§. 305.), promiſſor vero in promiſſarium transfert jus ad id, quod promittit (§. 361. *part.* 1. *Jur. nat.*); *fœmina in marem, mas in fœminam transfert jus in corpus ſuum, ſeu*, quod perinde eſt, *ad uſum corporis ſui, qualis ad generationem requiritur, ita ut neutri amplius liberum ſit eundem alii concedere*, conſequenter *quam primum matrimonium contractum, jus fœminæ in corpus maris & mari in corpus fœminæ competit.*

Patet itaque, juris naturæ eſſe, quod dicit Apoſtolus 1. Cor. VII. 4. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier. Quod enim nos dicimus jus in corpus, Apoſtolus vocat poteſtatem corporis. Et utroque vocabulo indigitatur jus ad uſum membrorum genitalium, qualis ad concubitum, ſine qua proles generari nequit, requiritur.

§. 307.

De injuria ab una conjuge alteri facta.

Quoniam marito competit jus in corpus uxoris, non uxori, & viciſſim uxori competit jus in corpus mariti, non marito (§. 306.); *ſi maritus uſum corporis ſui concedit alii fœminæ, quam uxori, jus perfectum uxoris violat, & viciſſim ſi fœmina uſum corporis ſui concedit alii mari, quam marito, jus perfectum mariti violat* (§. 239. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter cum violatio juris perfecti alterius injuria ſit (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*), *conjux una cum perſona extranea concumbens injuriam facit conjugi alteri.*

Naturaliter jus hoc conjux alteri remittere non poteſt, quod ex contracto matrimonio acquiſivit (§. 291. 292.). Quamvis itaque volenti injuria non fiat; manet tamen concubitus conjugis cum perſona extranea illicitus, etiamſi permiſſu conjugis alterius fiat, & uterque conjux peccat, tum qui concubitum permittit, tum qui cum extranea perſona concumbit.

§. 308.

De obligatione ad concubitum.

Quia mas fœminæ, fœmina mari promittit, dum matrimonium contrahitur, quod generationis cauſa uſum corporis ſui eidem concedere velit (§. 305.), promiſſor vero promiſſario perfecte obligatur (§. 363. *p.* 3. *Jur. nat.*); *mas fœminæ, fœmina mari perfecte obligetur ad concedendum corporis ſui uſum generationis cauſa*, conſequenter *nonniſi ad talem, qualem generatio requirit.*

Uſus omnis alius, qui tantummodo libidini inſervit, naturaliter illicitus eſt (§. 249.), qualiſcunque tandem is ſit, quem ideo conjux unus alteri promittere non potuit (§. 494. *part.* 3. *Jur. nat.*), ac ad quem alteri permittendum per conſequens ſeſe obligare non potuit (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 309.

Debitum conjugale & copula carnalis quid ſit.

Conceſſio uſus corporis ſui, qualis ad generationem requiritur, generationis cauſa *Debitum conjugale* vocatur. Ipſa autem conjunctio corporum maris ac fœminæ, qualis ad generationem requiritur, *Copula carnalis* appellatur. Reſpectu conjugum eadem *copula conjugalis* dicitur.

Voca-

BIU Cujas

Vocatur ista concessio debitum conjugale, quia conjuges ad eam obligantur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Copula vero carnalis, non simpliciter copula dicitur corporum conjunctio, ad differentiam *copulæ sacerdotalis*; qui est actus ministri Ecclesiæ, quo is in cœtu fidelium sponsum sponsæ jungit, moribus christianorum.

§. 310.

Quoniam conjux conjugi obligatur concedere corporis sui usum generationis causa, qualis ad eandem requiritur (§. 308.), in hac autem concessione debitum conjugale consistit (§. 309.); *conjux conjugi obligatur ad debitum conjugale præstandum*, consequenter *id denegare non licet, & denegatio ejusdem peccatum est* (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *De præstando debito conjugali.*

Debitum conjugale naturaliter non extendendum est ultra finem, cum sit medium consequendi finem: unde & in definitione finis mentionem fecimus (§. 309.). Imaginem hujus juris, quam prima naturæ exhibent (§. 81. *p.* 2. *Jur. nat.*), conspicimus in animantibus, quæ non coire videmus, nisi quantum sufficit, ut fœtus concipiatur, aut fœmella fœcundetur. Absit itaque, ut tibi persuadeas, maritum nimia venere vigorem corporis sui ac sanitatem destruere debere, ut uxoris libidini satisfaciat. Lex enim naturæ, quæ ad sui conservationem & sanitatem conservandam obligat in universum omnes (§. 349. 393. *part.* 1. *Jur. nat.*), non potest sibimetipsi esse contraria, ut obliget maritum ad corpus destruendum in gratiam uxoris libidinosæ. Eadem mutatis mutandis tenenda sunt de debito conjugali ex parte uxoris. Concubitus, qui solius voluptatis percipiendæ gratia appetitur, naturaliter illicitus est (§. 240.): eum igitur matrimonium licitum efficere nequit. Constat nimia venere corrumpi potentiam generandi, ut ea de causa polygamia non fœcundior deprehendatur monogamia. Matrimonium vero, quod sobolis procreandæ gratia iniri debet (§. 270.), dare nequit jus ad potentiam generandi destruendam, ut ad idem ineptus efficiaris (§. 272.). Ideo *Hieronymus*, approbante D. *Thoma*, damnat in conjuge voluptates, quæ de meretricibus capiuntur, quando scilicet maritus nihil aliud in uxore attendit, quam quod in meretrice, etsi D. *Thomas*, cum peccata utique omnia non sint ejusdem gradus, delectationem in casu præsenti inter peccata venialia referat, & tunc demum eandem peccatum mortale pronunciet, si quis ita utitur conjuge sua, ut paratus esset idem facere, si non esset sua: quo inprimis pertinet, si quis cum uxore cojens sibi imaginatur se rem cum alia muliere habere, ut in coeundo fiat ardentior.

§. 311.

Quoniam debitum conjugale non præstatur nisi generationis causa (§. 309.), castus vero est, qui concubitum non appetit, nisi sobolis procreandæ gratia (§. 251.); *conjuges* quoque *casti esse debent*. *De castitate conjugum.*

Castitas itaque virtus est, quæ non tantummodo cælibes decet, verum etiam conjuges. Absit, ut tibi persuadeas, matrimonium per se eidem adversari.

§. 312.

Venus præpostera dicitur abusus membrorum genitalium, qui alius quam usus eorundem ad generationem requisitus. *Venus* itaque *præpostera diversa est a copula carnali* (§. 309.). *Venus præpostera quid sit.*

Non opus, neque consultum est, ut distincte exponamus, quot modis venus præpostera committi possit. Nemo enim est, qui nesciat, quid sit copula carnalis (§. 309.). Vi igitur definitionis hujus facile agnoscet venerem præposteram in quolibet casu, qualiscunque tandem ea sit, seu quocunque modo committatur, ut adeo neminem ignorantia excusare possit.

BIU Cujas

§. 313.

An sit naturaliter illicita. Quoniam Venus præpostera nihil facit ad generationem prolis (§. 312.), consequenter nonnisi voluptatis percipiendæ causa exerceri potest, omnis autem concubitus, qui solius voluptatis causa appetitur, naturaliter illicitus est (§. 240.); *venus præpostera naturaliter illicita*, ac ideo *nec marito licet venerem præposteram exercere cum uxore*, consequenter *uxor pati non debet, ut maritus secum eam exerceat* (§. 308.).

Venus præpostera dicitur esse contra naturam, quia usus membrorum corporis convertitur in alium, quam ea per naturam suam habere debent. Nimirum mas abutitur membro genitali, fœmina vero in præposteram venerem consentiens membro alio corporis, vel subinde etiam genitali. In omni adeo venere præpostera usus aliquis membri genitalis ex parte maris contra naturam adesse debet, aut, rectius abusus. A Jctis venus præpostera maris cum fœmina, etiam mariti cum uxore sua exercita, refertur ad Sodomiam. Ceterum patet, venerem præposteram etiam exerceri posse cum meretrice.

§. 314.

De concubitu cum fœmina mortua. *Concubitus cum fœmina mortua, etiam mariti cum uxore mortua illicitus est.* Etenim per se patet, qui concubitum cum fœmina mortua appetit, eundem appetere non posse sobolis procreandæ gratia. Enimvero nemo, consequenter nec maritus, concubitum appetere debet, nisi sobolis procreandæ gratia (§. 239.). Ergo concubitus cum fœmina mortua, etiam mariti cum uxore mortua, illicitus est.

Concubitus cum fœmina mortua ad eos concubitus refertur, qui sunt contra naturam, quia adversatur instinctui naturali hominum ac brutorum communi. Quamobrem a JCtis, qui omnem concubitum contra naturam ad Sodomiam referunt; idem quoque ad eandem referri solet. Sodomia in significatu strictiori est concubitus cum bestia (§. 244.), a qua homo potissimum anima rationali differt. Quamobrem cum cadaver fœminæ anima rationali destituatur, concubitus cum eadem a Sodomia parum abit. Ast nostrum in præsenti non est gravitatem delictorum determinare, ubi saltem inquirimus, quinam concubitus naturaliter illiciti sint.

§. 315.

Fides conjugalis quid sit. *Fides conjugalis* dicitur constantia voluntatis a conjugibus sibi invicem, cum matrimonium contraherent, declaratæ, quod sibi invicem solis usum corporum suorum generationis causa concedere velint.

Applicatur nimirum ad conjuges definitio fidei in genere (§. 757. *p. 3. Jur. nat.*).

§. 316.

Quando violetur. *Si conjux usum corporis sui altero inscio, vel invito alii cuidam concedit; fidem conjugalem violat.* Quoniam enim conjuges sibi invicem promiserunt, quod corporis sui usum generationis causa sibi invicem solis concedere velint, nec liberum esse debeat eundem alii concedere (§. 306.); si conjux unus eum altero inscio, vel invito alii cuidam concedit, promissum non servat (§. 430. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter fidem fallit (§. 759. *p. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum fides conjugalis consistat in constantia dictorum de usu corporum nonnisi sibi invicem solis concedendo (§. 315.); conjux fidem conjugalem fallit, seu, quod perinde est, violat, qui altero inscio, vel invito usum corporis sui alii cuidam concedit.

Promissio illa, qua fides conjugalis nititur (§. 315.), mutua est (§. 306.), ac ideo non minus vir, quam mulier fidem violat conjugalem, si usum corporis sui extraneæ cuidam personæ

sonæ concedit. Absonum itaque est, si fidei conjugalis violationem ad uxorem restringere velis, quasi eidem non idem jus sit in corpus mariti, quod huic competit in corpus ipsius.

§. 317.

Persona conjugata dicitur, quæ conjugem habet: *soluta* vero, quæ conjugem non habet. Unde *persona* etiam *soluta est*, *quæ conjugem habuit*, *nunc vero non habet*. *Persona conjugata & soluta quænam.*

§. 318.

Concubitus conjugis cum persona alia sive conjugata, sive soluta, altero conjuge inscio, vel invito, dicitur *Adulterium*. Quamobrem *adulterium committit vel maritus cum aliena uxore*, *vel maritus cum fœmina soluta*, *vel uxor cum mare soluto*. *Adulterium duplicatum* vocatur, quod persona conjugata cum conjugata, seu maritus cum uxore aliena committit. *Simplex* autem *adulterium* appellatur, quod persona conjugata cum soluta, veluti maritus cum fœmina soluta, aut mas solutus cum uxore alterius committit. *Adulterium quid sit.*

Differentia non minor intercedit inter adulterium soluti cum uxore alterius & adulterium mariti cum fœmina soluta, quam inter adulterium personæ conjugatæ cum conjugata & personæ solutæ cum conjugata. Etenim si uxor concumbit cum soluto, partus alienus infertur in familiam; minime autem si maritus cum soluta concumbat. In adulterio duplicato utraque persona fidem conjugalem violat; in simplici nonnisi una. Sed differentiæ istæ attendendæ non sunt, nisi ubi agitur de gravitate delicti, vel quando turpitudo ejus demonstranda, veluti in moralibus, vel quando pœna eidem decernenda, veluti in politicis. Adulterii adeo simplicis recte constituuntur duæ species, etsi nomina sibi propria nondum fuerint sortitæ.

§. 319.

Uxorum communicatio & commodatio adulterium non est. Etenim si uxores communicantur, maritus unus cum uxore alterius ipso consentiente concumbit (§. 289.), & si quis uxorem suam commodat personæ sive conjugatæ, sive solutæ, concubitus uxoris cum persona alia itidem fit consensu mariti (§. 418. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero cum uxore alterius adulterium non committitur, nisi hoc fiat inscio ac invito marito (§. 318.). Uxorum adeo communicatio & commodatio adulterium non est. *An uxorum communicatio & commodatio sit adulterium.*

Uxorem in utroque casu consentire in concubitum cum alio, quam marito suo, tacite supponitur. Alias vis inferretur pudicitiæ ipsius & maritus uxorem suam prostitueret, quod in utroque casu propositionis præsentis minime contingit. Sine consensu uxorum nec communicatio, nec commodatio earundem concipitur. Etsi vero negemus, communicationem & commodationem uxorum esse adulterium; manet tamen utraque actus naturaliter illicitus (§. 290. 201.). Cum adulterio autem neutra confundenda, ne per errorem ad uxorum communicationem, vel commodationem applicentur, quæ de adulterio demonstrantur.

§. 320.

Adulterium ex parte personæ conjugatæ est contra pactum conjugale & violatio fidei conjugalis. Quando enim matrimonium contrahitur, mas & fœmina sibi invicem promittunt, ideoque paciscuntur (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod sibi invicem solis corporis sui usum ad eum actum, qui ad generationem requiritur, concedere velint (§. 306.), consequenter quod neuter conjux concumbere velit cum persona quadam alia, sive conjugata, sive soluta. Quamobrem cum hoc faciat conjux adulterium committens (§. 318.); adulterium contra pactum conjugale est ex parte personæ conjugatæ. *Quod erat unum.* *Quomodo adulterium adversetur matrimonio.*

Et quoniam fides conjugalis violatur, si conjux altero inscio ac invito usum corporis

ris sui alii personæ concedit (§. 316.), id autem fit in adulterio (§. 318.); persona conjugata, dum adulterium committitur, fidem conjugalem violat, seu adulterium ex parte ipsius violatio fidei conjugalis est. *Quod erat alterum*.

Ideo adulterium a nonnullis definitur, quod sit concubitus contra pactum conjugale, vel etiam quod sit violatio fidei conjugalis. Et utroque modo idem definiri posse videtur, cum ex utraque definitione deducatur, adulterium esse concubitum conjugis cum persona alia sive conjugata, sive soluta, inscio ac invito conjuge altero, quemadmodum nos adulterium definivimus. Quoniam tamen in adulterio simplici vi istiusmodi definitionis tantummodo persona conjugata adulterium committere videri poterat, ideo consultius est eam retinere quam dedimus.

§. 321.

Quomodo duplicatum.

Quoniam in adulterio persona conjugata concubitum contra pactum conjugale committit & fidem conjugalem violat (§. 320.), in adulterio autem duplicato persona utraque conjugata est (§. 318.); *in adulterio duplicato utraque persona contra pactum conjugale concubitum committit & fidem conjugalem violat*.

Quando adulterium duplicatum confertur cum simplici, id etiam perpendendum est, quod persona una conjugata non modo fidem conjugalem violet, sed etiam alteram ad violandum eandem inducat: id quod in simplici non obtinet. In omni tamen adulterio persona altera fit particeps violationis pacti & fidei conjugalis, quæ fit ab altera, quatenus ad eandem concurrit. Et hoc modo sustineri possunt definitiones adulterii, quod sint concubitus contra pactum conjugale, vel quod sit violatio fidei conjugalis.

§. 322.

Quale sit adulterium ex parte ejus qui cum alterius uxore concumbit.

Qui adulterium cum alterius uxore committit, ei injuriam facit. Etenim marito competit jus perfectum ad usum corporis uxoris suæ, nec huic liberum est eundem alii concedere (§. 306.). Quodsi ergo quis cum uxore alterius concumbit, consequenter adulterium committit (§. 318.), jus perfectum mariti violat (§. 239. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum violatio juris perfecti alterius injuria sit (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui cum uxore alterius adulterium committit, ei injuriam facit.

Aufert adulter marito jus suum in corpus uxoris, aut saltem partem ipsius ipso inscio ac invito. Et hactenus quodammodo convenit cum furto (§. 498. *part.* 2. *Jur. nat.*): id quod notasse usui est, quando de gravitate adulterii statuendum.

§. 323.

Quale ex parte fœminæ, quæ cum marito alterius concumbit.

Fœmina adultera injuriam facit uxori, cum cujus marito concumbit. Ostenditur eadem prorsus modo, quo propositionem præcedentem demonstravimus (§. 322.).

Et quæ modo annotavimus de adultero (*not.* §. 322.); eadem quoque valent de fœmina adultera. Nimirum quod jus marito in corpus uxoris, idem etiam uxori est in corpus mariti.

§. 324.

An mariti fornicatio sit adulterium.

Fornicatio mariti adulterium est. Fornicatio enim est concubitus cum meretrice, hoc est, fœmina pluribus sese prostituente (§. 241.). Fornicatio igitur mariti est concubitus cum persona alia, quam uxore sua. Quoniam itaque concubitus mariti cum persona alia, quam uxore sua adulterium est (§. 318.); fornicatio mariti adulterium est.

Qui fornicationem pro licita habent, eam tacite exceptam arbitrantur in pacto conjugali, ac ideo fornicationem negant esse concubitum contra pactum conjugale, nec ea violari putant fidem conjugalem, consequenter eam perperam pro adulterio haberi (§. 320.). Enimvero cum supe-

BIU Cujas

superius ostenderimus, fornicationem naturaliter illicitam esse (§. 241.); pactum conjugale de non concedendo usu corporis sui nisi conjugi suæ ita restringi nequit, ut fornicatio excepta intelligatur. Mores quibus fornicatio toleratur & exceptio ista probatur, legi naturæ adversantur, nec moralitatem actus immutant.

§. 325.

De adulterio cum propria uxore commisso.

Si quis cum uxore sua concumbit, quam putat esse fœminam aliam, adulterium committit. Qui enim putat, fœminam, cum qua concumbit, esse aliam, quam uxorem suam, is habet animum adulterium committendi (§. 318.), & propositum suum exequitur, cum ea concubiturus, etiamsi non esset uxor sua. Quamobrem quoad ipsum perinde est, ac si cum fœmina alia, quam uxore sua rem haberet, consequenter concubitus ex parte ipsius aliter spectari nequit quam concubitus cum fœmina alia, quam uxore sua. Quoniam itaque maritus adulterium committit, si cum fœmina alia, quam uxore sua concumbit (§. 318.); si quis cum uxore sua concumbit, quam putat esse fœminam aliam, quam uxorem suam, adulterium committit.

Pertinet hæc propositio ad casus conscientiæ, quos tractant casuistæ, qui dicuntur. Et demonstratio insinuat modum, quo in aliis istiusmodi casibus definiendis sit procedendum. Casum autem propositionis præsentis non esse impossibilem facile agnoscitur, ut opus non sit eum per circumstantias particulares determinari.

§. 326.

De adulterio cum uxore aliena non commisso.

Si quis cum uxore aliena, quam solutam esse præsumit, concumbit; adulterium non committit. Qui enim putat, fœminam, cum qua rem habet, esse solutam, is non habet animum concumbendi cum uxore aliena, consequenter ex parte ipsius perinde est, ac si cum fœmina soluta concumberet. Quoniam itaque concubitus cum fœmina soluta adulterium non est (§. 318.); qui cum uxore aliena, quam solutam esse præsumit, concumbit, adulterium non committit.

Casus esto talis. Uxor Sempronii in lupanari substernitur ei, qui fornicandi animo huc accedit. Recte is præsumit, eam esse fœminam solutam, quales meretrices esse solent (§. 248. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 327.

An in communione uxorum locum habeat adulterium.

Si uxores communes sunt, adulterium committi nequit. Etenim si uxores communes sunt, unicuique liberum est concumbere cum fœmina, cum qua libuerit (§. 285.), consequenter nulla contrahuntur matrimonia (270.), & ideo nec conjuges dantur (§. 304.). Quoniam itaque adulterium committi nequit nisi a conjuge vel cum conjuge, altero inscio ac invito (§. 318.); si uxores communes sunt, adulterium committi nequit.

Stante rerum communione nullum committi potest furtum, quippe quod supponit dominia esse introducta (§. 498. *p. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum adulterium ex parte ejus personæ, quæ torum alienum vitiat, cum furto conveniat (*not.* §. 322.); communio quoque uxorum locum non permittit adulterio. Quemadmodum vero furtum non tollitur nisi posita communione negativa; ita quoque nisi communio uxorum negativa arcet adulterium. Et hac vigente proprie loquendo nec fœminæ, cum quibus coitur, uxores dici possunt (§. 282.). Uxores enim esse debere communes idem est ac nullas habere uxores, nisi quatenus consensu fœminæ ac maris in concubitum, sobolis procreandæ causa matrimonium momentaneum concipitur iniri.

§. 328.

BIU Cujas

§. 328.

Zelotypia quid sit. *Zelotypia* dicitur ægritudo ex eo, quod alter potiatur eo, quod ipse concupiverit. Hinc *zelotypia conjugalis* est ægritudo conjugis unius ex eo, quod persona quædam alia concupiscat conjugem alterum, vel rem habeat cum ea. Ita maritus dicitur *zelotypus* ob ægritudinem ex eo, quod alius concupiscat uxorem suam, vel cum ea rem habeat: *uxor* dicitur *zelotypa* ob ægritudinem ex eo, quod maritus personam aliam concupiscat, vel cum ea rem habeat.

Definitionem zelotypiæ dedit *Cicero* lib. 4. Tusc. c. 8. Constat autem affectum vehementissimum esse zelotypiam conjugum, qui difficulter sedatur & cui difficillime resistitur, quamvis non semper sit ejusdem gradus. Quænam vero sint hujus diversitatis rationes, in præsenti non disquirimus, cum hæc disquisitio non sit præsentis instituti. Experientia docet, zelotypiam esse multorum malorum fegetem, etsi quemadmodum affectus ceteri in se mala non sit, & legi naturæ convenienter ad bonum usum dirigi possit: id quod de affectibus ostendetur in universum in Philosophia morali.

§. 329.

An in communione uxorum locum habeat zelotypia. *Si uxores fuerint communes, nulla datur zelotypia conjugalis.* Quodsi enim uxores fuerint communes, unicuique liberum est, concumbere cum fœmina, cum qua libuerit (§. 285.), ideoque fieri non potest, ut quis ægritudinem sentiat ex eo, quod alius concumbat cum fœmina, cum qua ipse solus rem habere voluit ac debuit, nulla quippe societate conjugali contracta (270.). Quamobrem cum zelotypia conjugalis non concipiatur sine conjugio, in quo mari uni ad fœminam unam jus quoddam proprium est (§. 228. 306. *h.* & §. 2. *part.* 2. *Jur. nat.*); si uxores fuerint communes, nulla datur zelotypia conjugalis.

Equidem adhuc concipi potest aliqua zelotypia, quatenus quis ægre fert, quod quis concumbat cum fœmina, quam sibi solus habere mallet & contra; ea tamen diversa est a zelotypia conjugali, nec differt ab ea, quæ quoad res locum habet in communione rerum. Qui communionem uxorum matrimonio præferunt, lege naturæ repugnante (§. 286.), eam quoque hoc nomine commendant, quod adulterium & zelotypia per eam tollantur. Quamobrem cum Stoici voluerint affectus omnes eradicari & sapientem esse debere ab omni affectu liberum; mirum sane non est, quod voluerint, sapientum uxores communes esse debere, ita ut quis coeat cum ea, quæ prima occurrit.

§. 330.

De zelotypia ad prima naturæ referenda. *Zelotypia inter prima naturæ referenda, & juri naturæ convenit.* Videmus enim in animantibus brutis, quod ægre ferant nec admittere velint coitum cum fœmellis, cum quibus coire consueverunt, vel quas procreandæ ac educandæ sobolis socias sibi elegerunt. In casu priori exemplo sunt galli gallinacei; in posteriori passeres. Quoniam itaque prima naturæ sunt ea, ad quæ animalia instinctu quodam naturali feruntur (§. 80. *part.* 2. *Jur. nat.*); quin zelotypia inter prima naturæ referenda sit, dubitandum non est. *Quod erat unum.*

Quoniam prima naturæ cum jure naturæ consentiunt (§. 83. *part.* 2. *Jur. nat.*), zelotypia vero ad prima naturæ referenda, *per demonstrata*; eadem quoque per se juri naturæ convenit. *Quod erat alterum.*

Zelotypia conjugalis instinctus naturalis est, qui tendit ad fidem conjugalem sartam tectamque conservandam, & hæc ratio affectum hunc dirigere debet. Maritus pati non debet, ut uxor fidem conjugalem violet, nec uxor, ut violet maritus. Utriusque cum sit æquale jus, cumque utrumque teneat eadem obligatio (§. 306.); quod maritus sibi fieri non vult ab uxore sua, id nec eidem facere debet & contra (§. 98. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quemadmodum vero omnium affectuum datur abusus per se usdem non tribuendus; ita etiam zelotypiæ per se tribuendum non est, quod ab abusu venit.

§. 332.

BIU Cujas

§. 331.

Pellices dicuntur fœminæ, quas maritus præter uxorem concubitus causa habet. Atque ideo *Pellicatus* est pactum, quod maritus, qui adhuc uxorem habet, cum fœminis aliis init de usu corporis sui ad concubitum sibi concedendo. *Pellicatus quid sit.*

Differt itaque pellicatus a polygynia, quod fœminæ, quas quis concubitus causa habet, non æquiparentur uxori, nec liberi ex iisdem nati illis, qui ex uxore nascuntur, cum in polygynia uxores ac liberi omnes æquales sint, quia idem pactum conjugale cum omnibus ac singulis initur. Pactum vero, quod cum pellice initur, conjugale non est, neque enim eodem sine contrahitur pellicatus, quo matrimonium.

§. 332.

Quoniam pellices alit, qui uxorem habet (§. 331.), per concubitum cum iisdem non sobolis procreationem, sed primario voluptatis venereæ perceptionem intendit, consequenter cum omnis concubitus, qui solius voluptatis causa appetitur, illicitus sit (§. 240.); *pellicatus illicitus est.* *An sit licitus.*

Qui pellices habet, non aliter iis utitur, quam meretricibus: meretrices tamen proprie dici nequeunt pellices, cum non plures ad secum concumbendum admittant, quemadmodum meretrices (§. 241.), sed tantummodo rem habeant cum uno.

§. 333.

Concubitus cum pellice adulterium est. Est enim concubitus mariti cum fœmina alia, vel fœminis pluribus solutis (§. 331.). Enimvero concubitus mariti cum fœmina quadam soluta adulterium est (§. 318.). Concubitus itaque cum pellice adulterium est. *Num sit adulterium*

Non obstat, quod cum pellice ineatur pactum de corporis sui usu sibi concedendo, quod assimulatur pacto conjugali (§. 305.). Cum enim pactum hoc illicitum sit (§. 332.); naturaliter nullum est, consequenter si quis cum pellice sua coit, perinde est, ac si cum fœmina alia soluta coiret. Quodsi excipias ubi pellicatus moribus receptus maritum uxori non promittere, quod ipsi soli usum corporis sui concedere velit, consequenter concubitum cum pellice non esse contra matrimonium, nec fidem violari conjugalem per eundem, ac ea de causa pro adulterio habendum non esse, respondetur hanc rationem non cohærere cum (§. 320.). Etenim naturaliter promissio facta intelligitur, nec nisi lege naturæ invita maritus sibi reservare potest jus usum corporis sui concedendi etiam fœminis aliis. Sane sicuti fornicatio mariti adulterium est (§. 324.), nec maritus sibi reservare potest jus fornicandi; ita quoque concubitus cum pellice adulterium est, nec maritus sibi reservare potest jus habendi pellices: jus, quod non datur, nec reservari potest.

§. 334.

Stuprum est concubitus cum fœmina soluta, sive virgine, sive vidua, quæ pluribus sese non prostituit, consequenter *virgo, vel vidua stuprata meretrix non est* (§. 241.). Dicitur ideo ad differentiam meretricis *Virgo*, vel *vidua defiorata* vel etiam *stuprata*. Est autem *stuprum voluntarium*, in quod fœmina consentit: *Stuprum* vero *violentum* appellatur, quando virgo, vel vidua vi stupratur. Qui puellam, vel viduam stuprat, *stuprator* vocatur, sive voluntarium fuerit stuprum, sive violentum. *Stuprum quid sit & ejus species.*

Vulgo dici solet stuprum esse concubitum cum virgine, vel vidua honesta: tum vero honesta censetur ea, quæ sive quæstus, sive voluptatis venereæ percipiendæ causa pluribus sese non prostituit, sed nonnisi persuaderi sese patitur, ut in concubitum consentiat.

§. 335.

BIU Cujas

§. 335.

An ſtuprum ſit licitum. Quoniam facile patet, ſtuprum non committi ſobolis procreandæ ac educandæ cauſa, cum tunc naturaliter matrimonium contraheretur (270.), ſed ſolius voluptatis venereæ percipiendæ cauſa, præſertim cum plerumque fœminæ concubitus perſuadeatur, quod verendum non ſit, ut concipiat prolem, ſive voluptas iſta tantummodo intendatur a ſtupratore, ſive etiam a fœmina, quæ ſe ſtuprari patitur, omnis autem concubitus, qui voluptatis venereæ percipiendæ cauſa tantummodo appetitur, illicitus eſt (§. 240.); *ſtuprum omne, tam voluntarium, quam violentum illicitum eſt, violentum tamen fœminæ imputari nequit* (§. 586. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Notandum vero fieri poſſe, ut ſtuprum inchoatum ſit violentum, ſed ut voluntarium conſummetur: id quod fit, ſi virgo voluptatem in concubitu percipiens in ipſo actu tandem conſentit & ſtuprum conſummatum approbat, minime autem de eo conqueritur ac luget. Nec ſtuprum erit violentum, ſi fœmina vi ſuppreſſa in ipſo actu ſe præbet minime reſiſtentem. Etenim aut ab initio diſſenſum ſaltem ſimulat, aut dum ad actum venitur, mutata mente, in eum conſentit. Diſſenſus ex actibus externis fœminæ colligendus, vis vero, cui fœmina reſiſtere nequit, ex actibus ſtupratoris. Sed quomodo actus iſti innoteſcant, cum ſolus cum ſola rem habeat, noſtrum jam non eſt inquirere.

§. 336.

An ſtuprum violentum in meretricem committatur. *Si quis meretricem vi ſupprimit, vel quia de mercede convenire nequit, vel quia ipſum admittere non vult, cum tamen concubitum non recuſet cum aliis; ſtuprum violentum non committitur.* Patet enim in hypotheſi propoſitionis præſentis fœminam, quæ pluribus ſeſe proſtituit (§. 241.), non tam cogi ad coitum, quem averſatur, quam reſiſtentia lucrum, vel aliud quid intendere, in quod conſentire, vel quod pati non vult fornicator. Quamobrem cum ſtuprum non committatur niſi in virginem, vel viduam, quæ pluribus ſeſe non proſtituit (§. 334.), nec violentum ſit ſtuprum, niſi in quod fœmina conſentire non vult, ac quæ ideo vi ſtupratur (§. *cit.*); ſi quis meretricem vi comprimit, vel quia de mercede convenire nequit, vel quia ipſum admittere non vult, cum tamen concubitum cum aliis non recuſet, ſtuprum violentum non committitur.

Si vel maxime in ſtatu civili, ubi fornicationi pœna ſtatuitur, ratio aliquando habenda ſit vis a fornicatore meretrici illatæ ad impetrandum coitum; violenta tamen fornicatio plurimum differt a ſtupro violento, quippe cum virgo & vidua ſtupratori reſiſtendo defendat pudicitiam, cui vis infertur, minime autem meretrix, quæ pudicitiæ nullam rationem habet. Oblæſam autem pudicitiam ſtuprum violentum a voluntario diſtinguitur.

§. 337.

Quando venus præpoſtera meretrici imputari nequeat. *Si meretrix vi opprimitur, ut venus præpoſtera cum eadem exerceri poſſit; hæc ipſi imputari nequit.* Etenim cum venus præpoſtera diverſa ſit a copula carnali (§. 312.), quæ in conjunctione corporum maris ac fœminæ conſiſtit, qualis ad generationem requiritur (§. 309.), meretrix ideo, quod pluribus ſeſe proſtituit (§. 241.), ſi vel maxime quæſtus cauſa id fiat, non tamen habet animum patiendi, ut venus præpoſtera ſecum exerceatur. Quodſi ergo vi opprimatur, ut eadem cum ipſa exerceri poſſit; coacte patitur, ut exerceatur & actio privativa ejus coacta eſt (§. 579. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum actio etiam privativa coacta nemini imputari poſſit (§. 586. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); meretrici imputari nequit venus præpoſtera, quæ cum vi oppreſſa exercetur.

Quamvis meretrices caſtæ non ſint (§. 241. 251.), non tamen propterea pronæ ſunt ad omnes actus caſtitati adverſos. Vis igitur adhuc locum habet in iis, quæ a fornicatione proprie ſic dicta recedunt.

§. 338.

BIU Cujas

§. 338.

De meretrice præsumta & donatione stupri causa.

Si fœmina de mercede pro concubitu solvenda cum fornicatore paciscitur, nec eum admittit, nisi ubi de eadem fuerit conventum; meretrix præsumitur & concubitus fornicatio est: non tamen fornicatio, sed stuprum est, si virgo, vel vidua donis se permoveri patitur, ut in concubitum consentiat, vel eodem peracto donum sponte oblatum accipit. Quando enim fœmina pro mercede fornicatorem ad concubitum admittit; cum quæstum corporis sui faciat, nulla sane ratio est, cur non etiam alios admissura sit eandem mercedem solvere paratos. Quamobrem cum meretrix sit, quæ plures ad secum concumbendum admittit (§. 241.); si fœmina de mercede pro concubitu solvenda cum fornicatore paciscitur, nec eum admittit, nisi ubi de mercede fuerit conventum, meretrix præsumitur (§. 244. *part.* 2. *Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Quoniam itaque qui cum ea concumbit, tanquam cum meretrice rem habet, qui vero cum meretrice concumbit fornicatur (§. 241.); fœmina fornicatorem non admittente ad concubitum nisi pro certa mercede, de qua conventum fuerat, concubitus fornicatio est. *Quod erat secundum.*

Enimvero cum virgini, vel viduæ stuprum sit persuadendum, consequenter opus sit motivis ad consensum ejus impetrandum (§. 889. *Psych. empir.* & 659. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si virgo, vel vidua donis se permoveri patitur, ut in concubitum consentiat, propterea quæstus gratia non pluribus sese prostituit, multo minus autem hoc facit, si concubitu peracto donum sponte oblatum accipit, ob quod in eum minime consensit, consequenter concubitus non fornicatio (§. 241.), sed stuprum est (§. 334.). *Quod erat tertium.*

Differunt omnino merces & munuscula ac munera sive ante coitum, sive post eundem data. Merces enim solvitur pro concubitu & de quantitate ejus convenitur. Munus vel munusculum, etsi detur propter concubitum, non tamen datur pro eodem, ac in arbitrio dantis est, quantum dare velit. Si detur, vel promittatur ante concubitum, benevolentia captatur: si detur post concubitum, animo remunerandi vel amorem significandi datur. Distinguendæ vero sunt meretrices a virginibus, vel viduis, quæ stuprantur. Quamvis enim non minus stuprum, quam fornicatio actus illicitus sit, non tamen idem, quoad fœminam præsertim, vitium reputari debet. Sed vitii utriusque turpitudo intrinseca rectius in Philosophia morali declaratur.

§. 339.

De obligatione stupratoris ratione prolis.

Stuprator prolem educare naturaliter obligatur. Est enim generator prolis, quod per se patet. Quamobrem cum lex naturæ obliget generatorem ad prolem suam educandum (§. 263.); stuprator quoque prolem educare naturaliter obligatur.

Lex naturæ non tantummodo obligat stupratorem ad alimenta præstanda, verum etiam ad omnem curam reliquam, quam educatio requirit (§. 255.).

§. 340.

Quando stuprator stupratam ducere obligetur.

Qui virginem vel viduam stuprat sub spe matrimonii, naturaliter eam ducere obligatur. Quodsi enim quis virginem, vel viduam stuprat sub spe matrimonii, is eidem promittit, quod eam ducere velit, nec fœmina cum eo concumbit, nisi quia ducere vult, *per hypothesin*. Enimvero naturaliter obligamur promissa servare (§. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam stuprator virginem, vel viduam ducere naturaliter obligatur, quam sub spe matrimonii stupravit (§. 439. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Limitationes, quæ adjici solent, si sint æqualis conditionis, aut fœmina melioris, sunt juris positivi: natura enim homines omnes æquales sunt (§. 81. *part.* 1. *Jur. nat.*), inæqualitas demum nascitur ex statu civili. Neque excipere licet, stupratorem non habuisse animum promitten-

BIU Cujas

tendi, sed falsis saltem persuasionibus usum, ut fœmina consentiret in concubitum; naturaliter enim contra promissorem pro vero habetur, quod promissor sufficienter indicat (§. 428. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 341.

Quando non. *Qui virgini, vel viduæ stupratæ matrimonium non promisit, nec eam ducere obligatur.* Quoniam enim nemo sese alteri perfecte obligare potest nisi promittendo (§. 393. *part. 3. Jur. nat.*); si stuprator fœminæ stuprandæ matrimonium non promittat, neque hac promissione consensum in stuprum impetret, nulla sane ratio est, cur ad eam ducendam sit obligatus (§. 56. *Onrol.*), consequenter eam ducere non obligatur (§. 70. *Ontol.*).

§. 342.

De liberis spuriis, vulgo quæsitis & legitimis. *Liberi Spurii* dicuntur, qui extra matrimonium prognati sunt, veluti ex stupro, aut adulterio. Et in specie *vulgo quæsiti* dicuntur, qui ex meretrice pluribus eodem tempore sese prostituente nati sunt, consequenter quorum pater incertus est. Ex matrimonio autem nati *legitimi* vocantur.

In statu naturali originario vix attendenda est differentia inter liberos spurios atque legitimos. In jure autem civili usum habet distinctio hæc.

§. 343.

An fœnicator prolem vulgo quæsitam educare teneatur. *Fornicator non obligatur educare prolem vulgo quæsitam.* Liberi enim vulgo quæsiti nascuntur ex meretrice (§. 342.), quæ cum plures ad concubitum admittat (§. 241.), & quidem eodem tempore (§. 342.), ipsa ignorat, ex quonam conceperit, consequenter generator prolis incertus est. Quoniam itaque qui prolem genuit lege naturæ eam educare obligatur (§. 263.), propterea vero quis generator non est, quia cum fœmina pluribus sese prostituente fornicatus; ideo nec fornicator prolem vulgo quæsitam educare obligatur.

Facile patet, fieri etiam posse, ut ex meretrice nascatur proles, cujus pater certus est, si primum per istud tempus cum uno solo rem habeat, quo eam concepisse patet. Cessat nimirum tum ratio, cur fornicator prolem, quæ tunc vulgo quæsita dici nequit, nec ab aliis spuriis distinguitur (§. 342.), educare non debeat, per consequens a naturali obligatione prolem suam educandi minime liberatur (§. 263.). Etsi adeo fœmina, cum qua quis fornicatur, jam ante passa fuerit viros alios, & quamvis etiam postquam se gravidam esse novit, alios ad concubitum admittat, salva tamen manet obligatio ejus, ex quo eam concepisse certum est.

§. 344.

Pudicus & impudicus quinam sit. *Pudicus* dicitur, qui alienam libidinem non est perpessus, seu usum corporis sui ad concubitum illicitum nulli concessit. Ex adverso autem *Impudicus* appellatur, qui usum corporis sui ad concubitum illicitum concessit, seu alienæ libidini obtemperavit. Dicitur tam de mare, quam de fœmina, sive soluta fuerit, sive uxor. *Uxor* itaque *pudica est*, quæ adulterium non commisit; *impudica* vero, quæ adulterium commisit. Ceterum facile patet, *pudicum multo magis abhorrere a concubitu omni, qui fit contra naturam, & venere præpostera*, & ex adverso *magis impudicum esse, qui concubitu contra naturam ac venere præpostera delectatur.* Nec minus patet, *pudicum aversari omnes actus, qui ad concubitum illicitum sollicitant, seu venereos* (§. 248.), *impudicum* vero *iisdem delectari.*

BIU Cujas

Ita pudicus erat *Josephus*, qui concubitum cum uxore *Potipharis* aversabatur, ad quam ab ea sollicitabatur: uxor vero hæc impudica erat.

§. 345.

Pudicitia dicitur animus ab omni concubitu illicito alienus: ex adverso vero *Impudicitia* animus in concubitum illicitum pronus. Utraque tam mari, quem fœminæ tribuitur. *Pudicitia & Impudicitia quid sit.*

Quoniam animus ex actibus externis colligendus, qui per se in sensum non incurrit; pudicitia tamdiu tribuitur fœminæ, quamdiu usum corporis sui ad concubitum nemini concessit.

§. 346.

Virgo vocatur fœmina, quæ nunquam cum mare concubuit. A Patribus Ecclesiæ *Virgines* quoque dicuntur mares, qui nunquam cum fœmina concubuerunt: id quod nec a patrio loquendi usu abhorret. Unde *Virginitas* appellatur non usus membrorum genitalium ad coeundum cum mare. Itaque *virginitas tamdiu retinetur, quamdiu membrorum genitalium nullus factus est usus & amittitur in primo concubitu*. A Patribus virginitas etiam tribuitur maribus. *Virgo & virginitas quid sit.*

Differt itaque virginitas a pudicitia, quia hæc refertur ad concubitum illicitum, illa autem ad omnem, sive is licitus fuerit, sive illicitus. Unde etiam amittitur virginitas per copulam carnalem uxoris atque mariti, & quam primum uxor cum marito concubuit, virgo esse desinit. Hinc porro intelligitur, quod perperam virginitatem voveat, qui Deo pollicetur, quod nunquam usum facere velit membrorum genitalium (§. 960. *part.* 3, *Jur. nat.*). Non tamen satis apte dicitur is vovere perpetuam castitatem, quia castitati non obest concubitus licitus conjugum (§. 251. 269.). Quando vero votum virginitatis & votum perpetuæ castitatis pro synonymis habentur, votum perpetuæ castitatis sumi debet tanquam terminus complexus, qui vocabuli unius vicem sustinet, & cui ideo pro arbitrio significatus certus attribui potest, ut hic valeat, quod recte statuitur, necesse non esse, ut nomina conveniant rebus suis.

§. 347.

Quoniam virginitas amittitur in primo concubitu (§. 346.), stuprator vero virginis cum ea concumbit (§. 334.); *stuprator virginis eam virginitate orbat*. *De virginitate orbata.*

Contingit hoc, sive stuprum sit voluntarium, sive violentum, quamvis hæc intercedat differentia, quod stuprator violentus orbando virginem virginitate sua eidem injuriam faciat, quippe quam invitæ eripit, in stupro autem voluntario virgini volenti injuria non fiat.

§. 348.

Fœminæ ac mares obligantur pudicitiam conservare. Obligantur enim abstinere ab omni concubitu illicito (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*, consequenter habere animum ab omni concubitu illicito alienum. Quamobrem cum pudicitiam conservet, qui retinet animum ab omni concubitu illicito alienum (§. 345.), fœminæ ac mares pudicitiam conservare tenentur. *De pudicitia conservanda.*

Quoniam tam personis solutis, quam conjugatis pudicitia convenit (§. 345.); propositio præsens non minus de conjugibus, quam personis solutis intelligitur. Sunt equidem qui sibi persuadent, conservationem pudicitiæ tantummodo convenire sexui fœmineo, mares autem, præsertim solutos, de ea conservanda non debere esse sollicitos: verumtamen qui vim demonstrationis vi antecedentium percipit, quantum iidem fallantur, abunde perspicit.

BIU Cujas

§. 349.

De vitanda impudicitia. Quoniam pudicitiam conservare tenemur (§. 347.), adeoque conservatio pudicitiæ præcepta (§. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *impudicitia prohibita est* (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*), *adeoque vitanda.*

Impudicitiam & studium conservandi pudicitiam sibi invicem contrariari, ex definitionum collatione patet (§. 345.). Poterat idem ex ipsa definitione impudicitiæ demonstrari.

§. 350.

De virginitate erepta & pudicitia violata. *Stuprator violentus virgini virginitatem vi eripit, virginis atque viduæ pudicitiam violat.* Etenim stuprator violentus vi comprimit virginem (§. 334.), consequenter cum invita concubitum illicitum celebrat (§. 235.). Quamobrem cum in primo concubitu virginitas amittatur (§. 346.); stuprator violentus virgini virginitatem vi eripit. *Quod erat unum.*

Quando virgo & vidua vi stupratur, in concubitum illicitum minime consentit (§. 334. 335.), sed animum retinet ab eo alienum in ipso actu (§. 345.). Quoniam itaque stuprum violentum pudicitiæ repugnat, eandem vero violat, qui vim ei infert, quod per se patet; stuprator violentus pudicitiam virginis ac viduæ violat. *Quod erat alterum.*

Pudicitia cum ad animam pertineat (§. 345.) non perinde ac virginitas eripi potest invitæ. Vi tamen obtineri potest, ut fœmina patiatur fieri, quod pudicitiæ ipsius repugnat, quatenus resistere nequit actui alterius, quem aversatur. Et hoc pacto vis infertur animo ipsius. Quamobrem cum violatio non concipiatur nisi vim inferendo, pudicitia vero sit animus a concubitu illicito alienus (§. *cit.*); pudicitia omnino violatur, quando fœmina vi comprimitur, ut secum concumbenti resistere minime possit, etsi maxime vellet.

§. 351.

An uxor vi compressa adulterium committat. *Si quis uxorem alienam vi comprimit, concubitus cum ea ex parte ipsius stuprum violentum est, non adulterium.* Etenim si uxor aliena vi comprimitur, in concubitum minime consentit, consequenter ex parte ipsius concubitus contra pactum conjugale non est (§. 305.), cumque in ipso actu retineat voluntatem non concedendi usum corporis sui nisi marito, fidem conjugalem minime violat (§. 315.). Quoniam itaque ex parte personæ conjugatæ adulterium non est concubitus, qui non est contra pactum conjugale, nec violatio fidei conjugalis (§. 320.); si quis uxorem alienam vi comprimit, concubitus cum ea ex parte ipsius adulterium non est. *Quod erat unum.*

Quoniam uxor vi compressa nil facit, quod est contra pactum conjugale, nec fidem conjugalem violat *per demonstrata;* concubitus ex parte ipsius non differt a concubitu, qui committitur cum persona soluta vi compressa. Quamobrem cum concubitus cum persona soluta vi compressa stuprum violentum sit (§. 334.); si quis uxorem alienam vi comprimit, concubitus cum ea ex parte ipsius stuprum violentum est. *Quod erat alterum.*

Si uxor aliena vi comprimitur, in concubitu ex parte ipsius ratio non habenda est matrimonii. Hoc sepposito, ex parte ipsius concubitus eodem prorsus modo se habet, quam qui committitur cum fœmina soluta vi compressa. Nulla igitur ratio est, cur non in utroque casu concubitus ad eandem speciem referatur.

§. 352.

BIU Cujas

§. 352.

An uxori vi compressæ concubitus imputari possit.

Quoniam concubitus cum uxore aliena vi compressa ex parte ipsius stuprum violentum est (§. 351.), stuprum autem violentum fœminæ imputari nequit (§. 335.); *concubitus uxoris vi compressæ cum mare alio, quam marito suo, ipsi imputari nequit.*

Poterat idem independenter a propositione præcedente demonstrari ex eo, quod actio coacta privativa nemini imputari possit (§. 586. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Concubitus iste nihil vitii habet a subjecto patiente; sed quicquid vitiosi inest, id omne venit ab agente.

§. 353.

De violatione pudicitiæ uxoris alienæ.

Quia stuprator violentus fœminæ, quam vi stuprat, pudicitiam violat (§. 350.), uxor autem aliena, quæ vi comprimitur, vi stupratur (§. 351.); *Si quis uxorem alienam vi comprimit, pudicitiam ipsius violat.*

Poterat idem eodem modo ostendi, quo idem de virgine ac vidua vi stuprata demonstravimus (§. 350.).

§. 354.

De jure defendendi pudicitiam.

Fœminæ, quæ vi comprimitur, competit jus pudicitiam defendendi & hoc jus infinitum est. Etenim quælibet fœmina pudicitiam conservare obligatur (§. 348.). Quamobrem cum vi fœminam comprimens eam impedire conetur, quo minus eam conservet, consequenter eandem lædere conetur (§. 676. *part.* 1. *Jur. nat.*), lex naturæ eidem dat jus resistendi læsionem intentanti (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero actio, qua resistitur læsionem intentanti, ut quis eam, quantum in se est, avertat, defensio est (§. 972. *part.* 1. *Jur. nat.*). Lex igitur naturæ fœminæ, quæ comprimitur, dat jus pudicitiam suam defendendi. *Quod erat unum.*

Enimvero hoc jus defendendi esse infinitum, eodem modo demonstratur, quo ostendimus jus defendendi se (§. 978. *part.* 1. *Jur. nat.*), & res suas infinitum esse (§. 694. *part.* 2. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Defensio pudicitiæ primis naturæ convenit; videmus enim feris insitum, copulam suam extrema ratione defendere. Exemplo sunt tauri, arietes, equi. Vulgo hæc redditur ratio, pudicitiam vitæ adæquari communi æstimatione, sed non ostenditur, æstimationem hanc recte fieri. Non satis itaque evidens est, utrum a defensione vitæ ad defensionem pudicitiæ recte argumentemur. Jus igitur defendendi pudicitiam ex evidentibus Juris naturæ principiis deducere maluimus.

§. 355.

An violentum stupratorem occidere liceat.

Quoniam jus pudicitiam defendendi infinitum est (§. 354.), in genere eidem limites præscribi non possunt, sed iidem demum ex circumstantiis præsentibus præfiguntur (§. 977. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter *in stupratorem violentum tantundem licet, quantum ad violationem pudicitiæ avertendam sufficit*, adeoque *pudicitiæ defensio licita etiam cum interfectione stupratoris violenti, si aliter periculum evitari non possit.*

Interfectio stupratoris violenti ad homicidium necessarium refertur, quod sui defendendi gratia committitur (§. 1021. *part.* 1. *Jur. nat.*). Posset *homicidium necessarium* in genere definiri, quod sit illud, quod defensionis causa committitur. Ubi ergo defensio cum interfectione periculum intentantis licita; ibi quoque homicidium necessarium locum habet.

§. 356.

BIU Cujas

§. 356.

Defensio pudicitiæ quatenus æquiparetur defensioni vitæ.

Quia jus defendendi pudicitiam perinde infinitum est (§. 354.), ac jus se defendendi (§. 978. *part. 1. Jur. nat.*), *jus defendendi pudicitiam suam juri se defendendi æquiparatur, ac in primis juri defendendi vitam & corpus suum* (§. 1013. *part. 1. Jur. nat.* & §. 355. *h.*).

Quæ igitur de defensione sui, ac in specie corporis sui demonstrata sunt in parte prima, ea etiam ad defensionem pudicitiæ applicari possunt, ut ideo de hac plura dicenda non sint. Ceterum hinc patet defensionem pudicitiæ defensioni vitæ æquiparari; non tamen hinc inferre licet pudicitiam æquiparari vitæ.

§. 357.

De jure & obligatione defendendi pudicitiam alienam.

Cuilibet homini non modo competit jus pudicitiam alienam defendendi; verum quilibet etiam obligatur ad eam defendendam, quantum in potestate sua est, si fœmina, cui vis infertur, ipsa sibi non sufficit. Ostenditur eodem modo, quo idem de defensione alterius demonstravimus (§. 990. *part. 1. Jur. nat.*), modo notes, violationem pudicitiæ esse læsionem.

Defensor pudicitiæ alienæ induit personam fœminæ, cui vis intentatur, ut perinde sit ac si se adversus aggressorem violentum defenderet, cum jus defendendi pudicitiam juri se defendendi æquiparetur. Unde haud difficulter determinatur ex circumstantiis præsentibus, quantum eidem liceat in casu dato.

§. 358.

De jure ac obligatione defendendi pudicitiam uxoris, matris, filiæ, sororis.

Quoniam homini cuilibet non modo competit jus defendendi pudicitiam alienam, verum etiam is obligatur ad eam defendendam, quantum in potestate sua est, si fœmina sibi non sufficit (§. 357.); *multo minus dubitari potest, quin etiam marito ac filio competat jus defendendi pudicitiam uxoris & matris, & patri ac fratri jus defendendi pudicitiam filiæ ac sororis, immo maritus ac filius obligatur ad pudicitiam uxoris & matris, pater atque frater ad pudicitiam filiæ & sororis defendendam, quantum in potestate est.*

Addimus restrictionem, quantum in potestate est: neque enim obligamur ad ea, quæ vires nostras excedunt, aut prorsus impossibilia sunt (§. 109. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ergo si milites nefanda in bello licentia uxorem in præsentia mariti, filiam vel sororem in præsentia patris, vel fratris stuprent; facile patet, inermes vi armatæ resistere non posse, consequenter defensionem pudicitiæ uxoris, vel filiæ, ac sororis non esse in potestate mariti, vel patris, aut fratris. In istiusmodi igitur casu patienter ferenda, quæ mutari non possunt (§. 593. *p. 1. Jur. nat.*).

§. 359.

De jure puniendi stupratorem violentum.

Fœminæ vi stupratæ naturaliter competit jus puniendi stupratorem violentum. Quoniam enim fœmina pudicitiam suam conservare tenetur (§. 348.), stuprator violentus pudicitiam ejus violando (§. 353.) ipsam lædit (§. 676. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque cuilibet homini natura competit jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part. 1. Jur. nat.*); fœminæ quoque vi stupratæ naturaliter competit jus puniendi stupratorem violentum.

Si fœmina vi stupratur, desunt ei vires ad pudicitiam defendendam adversus stupratorem violentum, & non adest alius, qui eam defendere possit, aut velit. Pati igitur cogitur, ut stuprum ipsi inferatur. Non tamen æquo animo id ferre tenetur, cum nemo pati teneatur, ut

alius

BIU Cujas

alius ipsum lædat (§. 913. *part.* 1. *Jur. natur.*), consequenter nec fœmina, ut pudicitia ipsius violetur. Stupratione violenta jus securitatis fœminæ cuilibet natura competens violatur (§. 917. 918. *part.* 1. *Jur. nat.*), quod aliter nisi pœnis defendi nequit, quemadmodum abunde patet per ea, quæ de jure puniendi demonstrata sunt (§. 1061. *& seqq. part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 360.

Quando stuprator violentus puniri possit ab alio.

Quoniam fœminæ vi stupratæ naturaliter competit jus puniendi stupratorem violentum (§. 359.), si quis vero ei, qui ipsum læsit, puniendo non sufficit, alii cuicunque jus est ejus loco pœnam sumendi, vel in puniendo altero ipsum adjuvandi, qui potest (§. 1069. *part.* 1. *Jur. nat.*); *si fœmina vi stuprata stupratori violento puniendo non sufficit, alii cuicunque jus est ejus loco eundem puniendi, vel in puniendo illam adjuvandi, qui potest.*

Jus puniendi stupratorem violentum ob violatam pudicitiam in hoc convenit cum jure pudicitiam alienam defendendi (§. 357.).

§. 361.

Quod puniri possit a marito, patre, filio, fratre.

Quia naturaliter *stupratorem violentum* puniendi jus habet, qui punire potest (§. 360.); *multo minus dubitandum est, quod* eundem quoque *punire possit naturaliter maritus uxor; filius, si mater; pater, si filia; frater, si soror, vi fuerit compressa.*

Hoc jus competit in statu naturali: quid vero conveniat statui civili, suo ostendetur loco.

§. 362.

De jure mariti defendendi jus in uxorem adversus adulterum.

Marito competit jus defendendi jus suum in corpus uxoris adversus adulterum in ipso actu deprehensum. Marito competit jus proprium in corpus uxoris (§. 306. *b.* & §. 2. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter adulterium committitur contra jus ipsius (§. 239. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero unicuique competit jus perfectum non patiendi ut alter ipsum lædat (§. 913. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter ut quid faciat contra jus ipsius (§. 920. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam marito competit jus non patiendi, ut adulterium cum uxore sua committatur. Competit ergo ipsi jus impediendi, ne adulterium committatur (§. 726. *Ontol.*). Quamobrem cum jus suum defendat, qui impedire conatur, ne quid contra id fiat (§. 972. *part.* 1. *Jur. nat.*); marito competit jus defendendi jus suum in corpus uxoris adversus adulterum in ipso actu deprehensum.

Defensio ista locum habet non minus in adulterio voluntario, quam violento, in hoc autem concurrit cum jure defendendi pudicitiam uxoris, de quo modo diximus (*not.* §. 358.). Adulterium vel intentatur, vel inchoatum est, vel consummatum, dum maritus adulterum deprehendit. Si adulterium jam consummatum, jus suum marius defendere amplius nequit: quicquid igitur fatit, adulterio consummato ad defensionem non pertinet. Quando adulterium intentatur, defensio tendit ad impediendum, ne inchoari possit, veluti si adulter in eo est, ut penem in vaginam immittat, ne possit immittere; vel si in eo est, ut lectum conscendat, ne possit conscendere. Adulterium inchoatur cum copula carnali (§. 309.). Quando itaque adulterium inchoatum est, defensio tendit ad dissolvendam copulam carnalem & ad impediendum, ne semen intra vaginam ejaculetur: facta nimirum ejaculatione, adulterium consummatum, etiamsi copula carnalis nondum dissoluta. Hinc vero dijudicandi sunt actus ad defensionem juris requisiti pro circumstantiis datis, ne in ea excedatur: zelotypia enim facile suadet excessum (§. 328.).

§. 363.

De jure uxoris defendendi jus

Uxori naturaliter competit jus defendendi jus suum in corpus mariti adversus adulteram in actu deprehensam. Etenim uxori perinde competit jus in corpus mariti, quemad-

BIU Cujas

Suum in maritum adversus adulteram.

madmodum marito in corpus uxoris, idque proprium (§. 306. *h.* & §. 2. *part.* 2. *Jur. nat.*). Unde porro eodem prorsus, quo ante (§. 362.) modo ostenditur, uxori naturaliter competere jus defendendi jus suum in corpus mariti adversus adulteram in actu deprehensam.

Quæ modo annotavimus ad propositionem præcedentem, ea quoque de præsenti notanda sunt. Loquimur autem hic de jure uxori competente, non vero de executione juris, consequenter minime attenduntur difficultates, quæ in eadem objiciuntur, nec de eo jam quæstio est, utrum uxor eadem facilitate jus suum adversus adulteram defendere possit; quo maritus adversus adulterum, nec ne. Zelotypia incitat ad defensionem juris sui adversus adulteram, ne tamen in ea excedatur, ratio affectum moderari debet. Justa vero defensio, quam ratio dictitat, æstimanda ex iis, quæ ad propositionem præcedentem annotavimus.

§. 364.

De jure puniendi adulterum.

Marito competit jus puniendi adulterum; uxori autem jus puniendi adulteram. Adulter enim injuriam facit marito (§. 322.), adultera vero uxori (§. 323.). Enimvero natura homini competit jus puniendi eum, qui ipsi injuriam facit (§. 549. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ergo marito competit jus puniendi adulterum, uxori autem jus puniendi adulteram.

Hoc jus puniendi adulterum, vel adulteram concurrit cum jure defendendi jus suum adversus adulterum, vel adulteram, si adulter, vel adultera deprehenditur in actu attentato, vel inchoato, nondum vero consummato (§. 362. 363.). Quamobrem vis, quæ tunc infertur adultero, vel adulteræ, æstimanda est ex utroque jure, vi eorum, quæ in parte prima de jure defendendi atque puniendi demonstrata fuerunt.

§. 365.

Lenocinium quid sit.

Leno dicitur, qui quæstus causa stupra, fornicationes & adulteria promovet. Unde *Lenocinium* est studium quæstum sibi faciendi ex stupris, fornicationibus & adulteriis promovendis.

Ubi fornicatio habetur pro re licita, lenones quoque tolerantur, qui ex fornicationibus quæstum sibi faciunt. Alunt nimirum meretrices, quas pro mercede conventa fornicatoribus prostituunt. Ita Sinensium lenones, referente *Nieuhovio* in Legat. Batav. ad Sinæ Imperat. part. ult. f. 24. 25. universam Sinam meretricio comitatu peragrant, & ubi conductorem certo pretio repererunt, scortum asino impositum facie serico velata ad eum adducunt. Juvenculas formosas parentibus e plebe auro eblandiuntur, & saltando, cantando aliisque lasciviis erudiunt & alunt, ut procis sint gratiores. Prostibula quoque sua lenones inter se velut mercem permutant. Ex definitione autem patet, lenonibus quoque accensendos esse maritos atque parentes, qui uxores & filias suas quæstus causa prostituunt.

§. 366.

Lenocinium an sit licitum.

Lenocinium naturaliter illicitum. Quoniam stupra (§. 335.), fornicationes (§. 241.) & adulteria naturaliter illicita sunt (§. 320. *& seqq.*); stupra, fornicationes & adulteria promovere (§. 711. 713. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter quæstum ex iis promovendis sibi facere non licet. Quamobrem cum leno ex stupris, fornicationibus & adulteriis promovendis quæstum sibi faciat (§. 365.); lenocinium naturaliter illicitum est.

Lenocinia plurimum a se invicem differunt, sive personas spectes, quæ prostituuntur, sive modum, quo corrumpuntur, ut se prostitui patiantur, sive etiam modum, quo quæstum sibi facit leno. Ast hæc differentia attendenda non venit, ubi tantummodo ostendendum, quod lenocinium sit illicitum, non vero quæritur, quænam sit ejus turpitudo naturalis, nec an & quomodo id sit puniendum, sicuti in Philosophia morali, sicuti in Philosophia civili, aut jure positivo criminali.

§. 367.

BIU Cujas

§. 367.

Quamprimum mas & fœmina sibi invicem declararunt voluntatem suam de sobole conjunctis viribus procreanda & educanda; matrimonium naturaliter perfectum est, seu idem perficitur mutuo maris ac fœminæ consensu: consummatur vero per copulam carnalem. Matrimonium enim pactum est, quod mas & fœmina ineunt de sobole procreanda & educanda (§. 270.), mare fœminæ & fœmina mari promittente, quod corporis sui usum generationis causa sibi invicem concedere velint, & quod ambo ad educationem prolis conferre velint, quod possunt (§. 305.). Quamobrem cum ex promissione nascatur obligatio mutua sibi invicem concedendi usum corporis ad prolis generationem (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*); quamprimum mas & fœmina sibi invicem voluntatem suam de eo declararunt, matrimonium naturaliter perfectum est, atque ideo idem mutuo maris ac fœminæ consensu perficitur (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.* *Quomodo matrimonium perficiatur & consummetur.*

Quando vero copula carnalis accedit, mas & fœmina sibi invicem actu concedunt corporis sui usum promissum (§. 309.), atque ideo utraque pars patitur, ut altera jus in se translatum tradere intelligitur (§. 39. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem matrimonium mutuo consensu perfectum *per demonstrata*, per copulam carnalem consummatur. *Quod erat alterum.*

Jure Saxonico matrimonium consummatur per conscensionem thalami, vel quia copula carnalis ex ea præsumitur, vel quia thalamo conscenso copulæ carnalis physica potentia adest, ut scilicet jure suo uti possint personæ conjugatæ, & hujus causa thalamus conscenditur.

§. 368.

Quoniam naturaliter matrimonium statim perfectum est, quamprimum consensus mutuus declaratus, per copulam vero carnalem idem consummatur (§. 367.), nihil vero obstat, quo minus perfectum statim consummetur, quod per se patet; *naturaliter copula carnalis ad declarationem consensus mutuam statim accedere potest, immo si quis concubitum petit sub conditione matrimonii & fœmina in eundem consentit*, cum concubitum acceptet sub conditione matrimonii, consequenter ipso facto consensum in matrimonium declaret (§. 2. *part.* 3. *Jur. nat.*), *eodem actu matrimonium & perficitur, & consummatur.* *Quando matrimonium consummandum.*

Hæc nimirum ita obtinent in statu naturali. Juris itaque mere positivi est, quod mutuo consensu in matrimonium declarato copulæ carnali non statim sit locus, nec matrimonium uno actu & perfici, & consummari possit. Rationes hujus juris desumuntur a statu civili, de quibus suo loco. Ex. gr. Si in statu naturali Sempronius dicat ad Cleliam: concumbe mecum, eris mihi uxor, & Clelia concubitum cum Sempronio celebrat, promissione ipso facto acceptata & conditione adimpleta, Clelia est uxor Sempronii, & matrimonium perfectum est atque consummatum.

§. 369.

Sponsalia dicuntur pactum de matrimonio ineundo. Quamobrem cum sine mutuo consensu pactio nulla fiat (§. 819. *part.* 3. *Jur. nat.*); *si sponsalia celebrantur, mas & fœmina sibi invicem declarant, quod matrimonium inire velint.* Iisdem celebratis mas dicitur *sponsus*, fœmina *sponsa* vocatur. *Sponsalia quid sint.*

In statu civili opus sponsalibus, quatenus matrimonium contaahi nequit nisi publica declaratione consensus, legibus definita aut moribus probata, quemadmodum suo loco videbimus. Quoniam itaque in statu naturali matrimonium perficitur mutuo maris & fœminæ consensu sibi invicem declarato (§. 367.), & statim copula carnalis accedere, immo per eandem uno eodemque

BIU Cujas

que momento & matrimonium perfici & consummari potest (§. 368.); sponsalibus vix locus esse videbatur in statu naturali. Enimvero cum pactio etiam fieri possit de pacto alio ineundo, veluti de vendendo sibi prædio; nil sane obstat, quo minus etiam pactio fiat de matrimonio ineundo.

§. 370.

Effectus sponsaliorum. Quoniam sponsalia sunt pactum de matrimonio ineundo (§. 369.), pacta vero naturaliter obligant (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); *sponsus sponsæ & sponsa sponso obligatur ad matrimonium ineundum, prouti conventum fuerit*, nimirum *si promissio pure facta, statim obligatur; si in diem, ubi dies venerit* (§. 501. *part.* 3. *Jur. nat.*); *si conditionata, conditione existente* (§. 478. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Sponsalia pura parum differunt a pacto conjugali, nisi in eo, quod si matrimonium fuerit contractum, ejus consummatio statim exigi possit, nisi de ea specialiter quid fuerit conventum, aut si sponsalia pura fuerint celebrata, exigi saltem possit, ut matrimonium perficiatur: quod ubi fit, de ejus consummatione demum conveniri potest. Qui matrimonium contraxit, obligatur ad idem consummandum; qui sponsalia contraxit, ad matrimonium contrahendum. Consensu mutuo efficitur conjunctio animorum, copula autem carnali fit conjunctio corporum (§. 309.).

§. 371.

Tractatus sponsalitii quid sint. *Tractatus sponsalitii* sunt deliberationes de matrimonio ineundo.

Nimirum tractatus in genere sunt deliberationes de pacto aliquo ineundo (§. 906. *part.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum sponsalia sint pactum de matrimonio ineundo (§. 369.); tractatus sponsalitii dicuntur deliberationes de matrimonio ineundo.

§. 372.

An sint obligatorii. Quoniam tractatus sponsalitii sunt deliberationes de matrimonio ineundo (§. 371.), per consequens tractatus (§. 906. *part.* 5. *Jur. nat.*), ex tractatibus autem nulla nascitur obligatio (§. 908. *part.* 5. *Jur. nat.*), nec quisquam jus aliquod acquirere valet, quod ante non habet (§. 909. *part.* 5. *Jur. nat.*): *ex tractatibus sponsalitiis nulla nascitur obligatio, nec ex iis jus aliquod acquirit mas in fœminam, nec fœmina in marem*, consequenter *tractatus minime obstant, quo minus iis nondum absolutis mas vel fœmina matrimonium cum alia persona ineant, immo in statu naturali per copulam carnalem idem statim consummare possit* (§. 368.), *vel etiam sponsalia celebrare* (§. 369.); *matrimonio autem cum alia persona perfecto, vel sponsaliis celebratis tractatus abrumpuntur* (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat. & 370. h.*).

Nimirum quando tractatibus adhuc durantibus persona alterutra pactum conjugale, vel sponsalitium init cum persona alia, nihil fit contra jus alterius (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); & per consequens nullam ei injuriam facit (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 373.

De binis sponsalibus celebratis. *Si bina sponsalia celebrantur, priora præferuntur posterioribus.* Celebratis enim sponsalibus, sponsus sponsæ obligatur ad matrimonium ineundum, & contra (§. 370.). Quamobrem cum nemo ab obligatione sua, quam contraxit, seipsum liberare possit (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*); personæ desponsatæ liberum non est, alii sese obligare ad matrimonium ineundum, consequenter cum ea sponsalia celebrare (§. 369. *h.* & §. 788. *part* 3. *Jur. nat.*). Sponsalia igitur posteriora nullo jure facta valida non sunt, consequenter priora posterioribus præferuntur.

Nimi-

BIU Cujas

Nimirum persona desponsata sponsalia adhuc cum alia celebrans promittit, quod promittere non potest, cum quod promittit præstare non possit. Tenetur enim matrimonium contrahere cum persona sibi jam ante desponsata (§. 370.), cum duabus autem matrimonium contrahere nequit (§. 283. 302.). Perinde igitur est, si persona jam desponsata sponsalia adhuc cum alia celebrat, ac si promitteret factum, quod vires suas transcendit: qualis promissio invalida est (§. 636. *v.* 3. *Jur. nat.*).

§. 374.

Si persona, in cujus præjudicium bina sponsalia celebrata, jus suum remittere velit; sponsalia posteriora valida fiunt. Etenim cum sponsus sponsæ obligetur ad matrimonium ineundum & contra (§. 370.), sponsæ competit jus cogendi sponsum, ut matrimonium cum ipsa ineat & contra (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero quilibet jus suum remittere potest, quando nihil fit contra jus tertii (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum jus tertii hic nullum adsit, persona quoque desponsata, in cujus præjudicium alia sponsalia fuerunt celebrata, jus suum remittere potest. Enimvero quamprimum jus tuum remittis, debitor ab obligatione sua liberatur (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem persona tibi desponsata ab obligatione matrimonium tecum ineundi liberatur, si jus tuum remittis. Nihil itaque amplius cum obstet, quo minus cum alia persona sponsalia celebrare possit; sponsalia posteriora utique valida fiunt, quamprimum jus tuum remittis. *Quando ea valida fieri possint.*

Nimirum jus tuum ex sponsalibus prioribus acquisitum unice obstat, quo minus posteriora valida sint. Hoc igitur obstaculo remoto, valida utique esse debent. Sane si quis velit, ut posteriora sponsalia valida sint, obstaculum istud removere tenetur, impetrando scilicet remissionem juris a persona jam antea sibi desponsata, quocunque tandem modo eandem ipsi persuadeat. Invitæ enim jus auferri nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 375.

Si bina sponsalia fuerint celebrata, persona desponsata, in cujus præjudicium fuerunt celebrata, a sponsalibus recedere potest. Sponsalia enim pactum sunt, quod mutuas præstationes continet (§. 369.). Quando vero persona desponsata adhuc alia sponsalia celebrat, ipso facto declarat, quod præstare nolit, ad quod præstandum per priora sponsalia sese obligaverat (§. *cit.*). Ast si pacta mutuas præstationes contineant, & unus paciscentium præstare nolit, quod debet, nec alter ad præstandum tenetur, quod ipse debet, consequenter a pacto recedere licet, si alter recedit (§. 827. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi itaque bina sponsalia fuerint celebrata, persona desponsata, in cujus præjudicium fuerunt celebrata, a sponsalibus recedere potest. *Quando ob bina sponsalia a prioribus recedere liceat.*

Differt hæc propositio a præcedente. Neque enim hic remittitur jus, quod personæ invitæ auferri nequit, quemadmodum in propositione præcedente; sed facto alterius, quæ jus ipsius violat, eidem acquiritur jus de jure alterius pro arbitrio suo statuendi, consequenter pactum parte altera etiam invita dissolvendi.

§. 376.

Quoniam *persona desponsata*, in cujus præjudicium bina sponsalia fuerunt celebrata, a sponsalibus recedere potest (§. 375.); *quæ bina sponsalia celebravit, eandem cogere nequit ad matrimonium secum ineundum.* *An persona, cum qua priora sponsalia celebrata, cogi possit ad matrimonium ineundum.*

Dispar adeo est ratio personæ, quæ bina sponsalia celebravit, & alterius, in cujus præjudicium ea celebrata fuerunt. Hujus jus integrum est, quod ex sponsalibus acquisivit: sed jus illius, quod acquisiverat, factum jam est dependens ab arbitrio alterius. Illa obligata manet ad matrimonium ineundum, hujus vero obligatio extincta est, ut jam ipsi liberum sit, utrum matrimonium inire velit, nec ne. Injuria, quam facit personæ sibi desponsatæ primum, quæ bi-

BIU Cujas

na ſponſalia celebravit; hanc illa facit inferiorem, cum antea eſſent æquales (§. 78. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 370. *h.*). Quod hic de binis ſponſalibus dicitur, valet etiam mutatis mutandis de paciſcentibus, quorum unus invito altero a pacto recedit.

§. 377.

Effectus copulæ carnalis perſonarum deſponſatarum.

Si perſonæ deſponſatæ in copulam carnalem conſentiunt, naturaliter matrimonium contraxiſſe & conſummaſſe intelliguntur. Perſonæ enim deſponſatæ ſibi invicem obligantur ad matrimonium ineundum (§. 370.), conſequenter etiam conſummandum. Quamobrem cum matrimonium perficiatur mutuo conſenſu & per copulam carnalem conſummetur (§. 367.); dum in hanc conſentiunt, matrimonium perficere ac conſummare velle intelliguntur. Facta igitur copula carnali naturaliter matrimonium contraxiſſe ac conſummaſſe cenſentur.

Supponimus in copulam carnalem pure conſentiri, non in diem, nec ſub conditione, quæ eam adhuc ſuſpendit, conſequenter copulam carnalem utriuſque perſonæ deſponſatæ conſenſu ad ſponſalia accedere. Si perſonæ ſibi mutuo fuerint deſponſatæ, ut perficiatur matrimonium, naturaliter nil amplius requiritur, quam ut utraque declaret, ſe nunc matrimonium perficere velle; ut perfectum conſummetur, copula carnalis accedere debet (§. 367.). Conſenſus ideo in copulam carnalem continet conſenſum in matrimonium jam perficiendum, conſequenter ex copula carnali perſonarum ſibi mutuo deſponſatarum recte infertur matrimonii perfecti conſummatio. Fraudem faceret virgini (§. 147. *part.* 5. *Jur. natur.*), qui ſponſalia cum eadem celebraret eo animo, ut ſub hoc prætextu eandem virginitate orbare (§. 347.) & pudicitiam ejus violare poſſet (§. 345.): quæ cum a ſponſalibus procul abeſſe debeat (§. 149. *part.* 5. *Jur. nat.*), conſenſum perſonarum deſponſatarum in copulam carnalem aliter interpretari non licet, quam quomodo mutuæ ipſarum obligationi convenit.

§. 378.

De matrimonio perſonæ deſponſatæ cum alia inito.

Si perſona deſponſata cum alia matrimonium actu contrahit ac conſummat; matrimonium ſubſiſtit, parti tamen læſæ tenetur ad id, quod intereſt. Quoniam enim ſponſalia tantummodo continent promiſſionem de matrimonio ineundo (§. 369.), conſequenter de jure in corpus ſuum in alteram perſonam transferendo (§. 306.); perſona deſponſata jus, quod adhuc habet, in aliam transferre poteſt, conſequenter matrimonium cum ea valide contrahit contractumque conſummat. Matrimonium itaque perſonæ deſponſatæ cum alia actu contractum ac conſummatum ſubſiſtit. *Quod erat unum.*

Enimvero perſona deſponſata alteri, cui deſponſata eſt, ad matrimonium cum ea ineundum obligatur (§. 370.), conſequenter ſi cum alia matrimonium actu contrahit & conſummat obligationi ſuæ non ſatisfacit. Quodſi vero quis damnum quoddam incurrit, vel lucrum ejus ceſſat, propterea quod obligationi tuæ non ſatisfeciſti, ad id quod intereſt teneris (§. 629. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem perſona etiam deſponſata tenetur parti læſæ ad id, quod intereſt, ſi matrimonium actu contrahit & conſummat cum alia. *Quod erat alterum.*

Non diffiteor, difficulter determinari id, quod intereſt, matrimonium cum parte læſa non fuiſſe contractum. Non tamen propterea ceſſat ejus præſtatio, cum in ſtatu naturali de eo tranſigi (§. 879. *p.* 5. *Jur. nat.*), vel id mediatorum (§. 923. *part.* 5. *Jur. nat.*), aut arbitrorum opera definiri poſſit (§. 945. *part.* 5. *Jur. nat.*), vel etiam ſorti committi ejus determinatio (§. 296. *part.* 5. *Jur. nat.*). In ſtatu civili arbitrio judicis committitur.

§. 379.

De copula carnali ad poſteriora ſponſalia accedente.

Quoniam matrimonium perſonæ deſponſatæ cum alia actu contractum ac conſummatum ſubſiſtit, parti tamen læſæ præſtandum eſt id, quod intereſt (§. 378.), copula autem carnali ad ſponſalia accedente matrimonium actu contrahitur & conſummatur (§. 377.); *ſi ad ſponſalia poſteriora accedat copula carnalis, priora diſſolvuntur, parti tamen læſæ pars ea quæ bina ſponſalia celebravit præſtare tenetur id, quod intereſt.*

Bre-

BIU Cujas

Brevitatis causa jam non distinguo casus, utrum posteriora sponsalia celebrentur cum sciente, an cum ignorante. Facile enim patet, si cum sciente celebrentur, hanc quoque injuriam facere personae, cum qua priora fuerunt contracta (§. 859. *p.* 1. *Jur. nat.*), consequenter huic tanquam parti laesae naturaliter competere jus illam puniendi (§. 549. *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 380.

De sponsalibus errantis.

Si error dat causam sponsalibus, ea valida non sunt. Sponsalia enim pactum sunt (§. 369.). Quamobrem cum promissio, consequenter & pactum (§. 800. *part.* 3. *Jur. nat.*) validum non sit, si error eidem causam det (§. 569. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec valida sunt sponsalia, si error det causam iisdem.

Nimirum si error det causam sponsalibus, ea unice contrahuntur ob id, in quo erratur, nec nisi hoc suppositum fuisset, ea contraxisset errans (§. 504. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 381.

De sponsa stuprata & sponso stupratore.

Quoniam error dat causam sponsalibus, si quis putat foeminam sibi desponsatam esse virginem, cum non sit, vel esse pudicam, cum tamen se stuprari patiatur ab alio, antequam matrimonium perficiatur (§. 504. *part.* 3. *Jur. nat.*), sponsalia vero valida non sunt, si error det causam iisdem (§. 380.); *si quis virginem esse putat, cum qua sponsalia celebrat, quae non est, aut si sponsa se ab alio stuprari patitur, antequam matrimonium perficiatur & consummetur, sponsalia valida non sunt*, consequenter *in utroque casu qui sponsalia celebravit, matrimonium inire cum foemina sibi desponsata non tenetur* (§. 370.). Facile patet, *nec virginem ac viduam nubere teneri stupratori, quem talem non esse putabat, vel pudicum praesumebat.*

Nulla sane est ratio, cur mas jure potior esse debeat, quam foemina, cum utrobique eadem sit ratio, cur sponsalia non subsistant, scilicet quia error eadem vitiat. Quaelibet foemina, quae marito conjuncta nondum fuit, virgo praesumitur, donec contrarium probetur, quaelibet etiam praesumitur pudica. Qui itaque sponsalia cum foemina celebrat, is putat esse virginem, quae non est, & pudicam, quam talem non esse stuprum probat post sponsalia commissum, consequenter errat (§. 623. *Log.*). Similiter quilibet non praesumitur stuprator, aut impudicus, quamdiu hoc probatum non fuerit. Atque ideo patet, eodem modo errare foeminam, quae cum mare sponsalia celebrat, quem stupratorem esse, vel impudicum postea intelligit.

§. 382.

Idem porro expenditur.

Quia error non dedit causam sponsalibus, *si quis uxorem ducere velit foeminam, quam fuisse stupratam ignorabat, cum sponsalia celebraret, vel quae post sponsalia ab alio se stuprari patitur* (§. 504. *part.* 3. *Jur. nat.*), sublata ratione, cur *sponsalia* invalida sint (§. 381.), *valida manent, vel ex post facto valida efficiuntur.* Et *idem* eodem modo *intelligitur de mare, qui ante vel post sponsalia virginem, vel viduam stupravit.*

Nec est, quod excipias, non necessario sequi, ut, qui post sponsalia comperit, foeminam, cum qua ea celebravit, non esse virginem, eadem etiam celebrasset, si antea sciviisset. Error enim tantummodo tollit jus foeminae, ne marem cogere possit ad matrimonium ineundum; non vero marem obligat ad non ineundum. Qui enim agnito errore pactum adhuc servare vult, ei liberum est ut servet, & quia pactum ratihabet, a quo recedere poterat, seu quod adimplere non tenebatur, eo ipso id efficit validum. Quodsi recedere velit, quemadmodum poterat, se autem persuadere patitur, ne faciat; sponsalia cum non virgine redintegrat, consequenter si vel maxime error sponsalibus ab initio causam dedisset, non tamen dat redintegratis. Pendet primum a voluntate errantis, utrum non obstante errore pactum servare velit, nec ne.

§. 383.

BIU Cujas

§. 383.

Quomodo sponsalia dissolvantur.

Sponsalia dissolvuntur mutuo dissensu. Sponsalia enim pactum sunt (§. 369.). Quoniam itaque pacta dissolvuntur mutuo dissensu (§. 840. *part.* 3. *Jur. nat.*); sponsalia quoque mutuo dissensu dissolvi possunt.

Jus pariter canonicum ac civile sequitur Jus naturæ. Juris itaque mere positivi est, quod apud Protestantes mutuo dissensu dissolvi sponsalia prohibeantur, cujus prohibitionis rationes adducit *Carpzovius* in Jurisprud. Consist. lib. 2. tit. 10. def. 173. quas trutinare velle a præsenti instituto alienum est. Naturaliter non quæritur, quænam vel quales sint dissensus rationes, hæ enim minime attenduntur, quemadmodum nec quæritur, quænam sint consensus rationes, dum sponsalia contrahuntur. Vi enim libertatis naturalis permittendum est unicuique, ut faciat quid velit, quamdiu nil facit contra jus tertii: quale nihil committitur, dum mutuo dissensu sponsalia dissolvuntur.

§. 384.

Sponsaliorum dissolutio ob impotentiam generandi.

Sponsalia dissolvuntur, si impotentia generandi superveniat: si vero per errorem cum impotente contrahuntur, statim invalida sunt. Etenim sponsalia sunt pactum de matrimonio ineundo (§. 369.). Quamobrem cum matrimonium contrahere nequeant, qui potentia generandi destituuntur (§. 272.), si celebratis sponsalibus impotentia generandi superveniat, sponsalia dissolvantur necesse est. *Quod erat unum.*

Quoniam matrimonium contrahere nequit, qui potentia generandi destituitur (§. 272.), sponsalia vero sunt pactum de matrimonio ineundo (§. 369.); cum impotente sponsalia celebrari nequeunt. Quodsi ergo per errorem cum eodem contrahantur, statim invalida sunt. *Quod erat alterum.*

Facile patet, etsi difficillimum videatur de impotentia generandi judicare, antequam matrimonium consummetur, dari tamen casus, in quibus impotentia sua manifesta est, veluti si quis casu jacturam faciat testiculorum. In fœminis exemplo esse potest prolapsus uteri, seu procidentia, conceptionem impediens, de qua vide *Sennertum* Med. pract. lib. 4. part. 1. sect. 2. c. 16. f. m. 652. a. Huc etiam referri potest casus ex epistolis medicis *Horstii* sect. 19. de meatu pudendi per curationem vulneris clauso, quod sibi inflixerat fœmina quædam ludens, ligno ex improviso in pudenda impacto.

§. 385.

De furore superveniente & morbis contagiosis.

Sponsalia dissolvuntur ob furorem supervenientem, & ob morbos contagiosos ac graviores non sanabiles. Etenim matrimonium initur sobolis procreandæ ac educandæ gratia (§. 270.), & uterque parens ad sobolem suam educandum obligatur (§. 263.). Quoniam itaque furiosus non aptus est ad finem matrimonii consequendum, quemadmodum ex sola furoris notione facile patet; cum furioso matrimonium contrahi nequit. Quamobrem cum sponsalia sint promissio ac repromissio matrimonii ineundi (§. 369. *h.* & §. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*); ob furorem supervenientem sponsalia dissolvuntur (§. 836. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 370. *h.*). *Quod erat primum.*

Si pars una morbo contagioso laboret, periculum est, ne altera eodem inficiatur. Quamobrem cum quilibet morbos evitare debeat, quantum in potestate sua est (§. 394. *part.* 1. *Jur. nat.*), sponsalia vero obligent ad matrimonium ineundum (§. 370.); obligatio naturalis & ex sponsalibus contracta colliduntur (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero cum obligatio naturalis sit prorsus immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), contracta vero per pactum a voluntate contrahentium pendeat; naturalis contractam vincit (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Persona igitur sana non tenetur contrahere matrimonium cum persona, quæ morbo contagioso laborat, consequenter sponsalia ob morbum contagiosum dissolvuntur. *Quod erat secundum.*

Quodsi

BIU Cujas

Quodsi denique persona una morbo graviori insanabili, veluti epilepsia, laboret, cum nemo præsumatur matrimonium inire velle cum persona morbo graviori insanabili laborante, sponsalia non intelliguntur contracta nisi sub tacita hac conditione, si persona ista, cum qua contracta sunt, sit sana, aut, antequam matrimonium perficiatur ac consummetur, non incidat in morbum graviorem insanabilem, veluti in epilepsiam, consequenter contracta censentur sub conditione negativa (§. 489. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum conditio negativa non existat, si persona, cum qua sponsalia celebrata, morbo graviori insanabili laboret, vel, antequam matrimonium consummetur, in eundem incidat (§. 490. *part.* 3. *Jur. nat.*), promissio autem pro non facta habenda, quamprimum certum est deficere conditionem (§. 534. *p.* 3. *Jur. nat.*); si persona una morbo graviori insanabili laboret sponsalia dissolvuntur (§. 836. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat tertium.*

Naturaliter sponsalia non differunt a pactis aliis. Quæ igitur de omni pacto in genere valent, ad sponsalia quoque recte applicantur. Hic vero quæritur, quid circa sponsalia juris naturalis sit & cum omnis obligatio in sponsalibus nascatur ex promisso (§. 393. *p.* 3. *Jur. nat.*); nemo ex iis alteri parti ulterius obligatur, quam sese eidem obligare voluisse intelligitur.

§. 386.

In genere si casus contingit, qui si tempore sponsaliorum adfuisset, pars alterutra in sponsalia non consensisset; sponsalia dissolvuntur. Quodsi enim casus contingit, qui tempore sponsaliorum si adfuisset, pars alterutra in sponsalia non consensisset, status rerum præsens continetur in ratione sufficiente promissionis (§. 56. *Ontol.*). Enimvero si status rerum præsens continetur in ratione sufficiente promissionis promissa in se habent tacitam conditionem, si res maneant, quo sunt loco (§. 534. *part.* 6. *Jur. nat.*). Quamobrem sponsalia, quæ sunt promissio matrimonii ineundi (§. 369.), tacitam hanc habent conditionem, si casus non contingat, qui si jam adesset, sponsalia non contracta fuissent. Patet igitur porro, ut in demonstratione partis tertiæ propositionis præcedentis, sponsalia dissolvi, si casus quidam contingat, qui si tempore sponsaliorum adfuisset, pars alterutra in sponsalia non consensisset.

Principium generale de dissolutione involuntaria sponsaliorum.

Principium hoc generale dudum agnoverunt Canonistæ. In Jure autem naturæ, ne minimum quidem difficultatis habet, quod objici possit. Ceterum ex eodem per modum corollariorum deduci possunt multæ rationes particulares, cur sponsalia dissolvantur, immo ex eodem inferri poterant ea, quæ in propositione præcedente demonstrata sunt. Sed demus etiam exemplum aliud. Quæritur, an inimicitia implacabilis sponsalia dissolvat? Nemo non videt, si inimicitia implacabilis, quæ supervenit, tempore sponsaliorum adfuisset, personam offensam in sponsalia non consensuram fuisse. Vi igitur propositionis præsentis sponsalia per eam dissolvuntur. Quamvis vero principium gunerale sufficiat ad dissolutionem sponsaliorum demonstrandam; non tamen propterea inconsultum est, in casibus particularibus animum quoque attendere ad rationes particulares, quæ vel exercitio officiorum, quemadmodum in parte secunda propositionis præcedentis, vel fini matrimonii contrariantur, sicuti in illius parte prima. Rationes enim particulares magis nos trahunt ad assensum generalibus, consequenter nos fortius convincunt. Quamvis itaque brevitatis causa in demonstratione generali acquiescamus; absit tamen ut quis existimet, nos propterea demonstrationes particulares rejicere. In rebus moralibus, ubi assensus influere debet in voluntatis ac noluntatis determinationem, quo is fortior, eo melior.

§. 387.

Naturaliter sponsalia contrahi nequeunt nisi per verba futuri temporis; verbis autem præsentis temporis personæ nondum desponsatæ matrimonium statim contrahunt. Etenim cum sponsalia sint pactum de matrimonio ineundo (§. 369.), qui sponsalia contrahere vult promittere tenetur, quod fœminam, cum qua paciscitur, sit uxorem ducturus, hac repromittente, quod eidem nubere velit, seu nuptura sit (§. 788. *p.* 3. *Jur. nat.*).

Quibus verbis sponsalia contrahantur.

Patet

BIU Cujas

Patet itaque naturaliter sponsalia contrahi non posse nisi per verba futuri temporis. *Quod erat unum.*

Enimvero si quis verbis præsentis temporis declarat animum fœminam, cum qua pacisci tur, ducendi in uxorem, & hæc vicissim animum eidem nubendi, cum naturaliter matrimonium statim perfectum sit, quando mutuum in idem consensum sibi invicem declarant personæ contrahentes (§. 367.), personæ nondum desponsatæ matrimonium statim contrahunt. *Quod erat alterum.*

Nimirum si quis dicat: promitto, quod ducam te in uxorem, is sponsalia contrahit, quippe quæ sunt promissio & repromissio futuri matrimonii (§. 369. *h.* & §. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*); si vero dicat: Duco te in uxorem, matrimonium contrahit. In priori enim casu animum declarat de futuro, scilicet quod matrimonium cum ea contrahere velit; in posteriori autem de præsenti, scilicet quod matrimonium contractum esse debeat. Non abhorrent hæc a Jure Romano, quippe in quo sponsalia dicuntur promissio & repromissio futurarum nuptiarum, quæ ideo nonnisi verbis futuri temporis contrahi possunt.

§. 388.

An nuptias præcedere debeant.

Quoniam naturaliter sponsalia contrahi nequeunt nisi per verba futuri temporis, verbis autem præsentis temporis matrimonium statim contrahitur (§. 387.), nihil autem obstat in statu naturali, quo minus personæ nondum desponsatæ consensum suum in matrimonium verbis præsentis temporis sibi invicem declarent, immo ad hanc declarationem copula carnalis, per quam mutuo consensu perfectum consummatur (§. 367.), statim accedere potest (§. 368.); *naturaliter opus non est ut contractum matrimonii præcedant sponsalia.*

Cur vero in statu civili præcedere debeant, suo demum loco constabit.

§. 389.

De sponsalibus de præsenti & de futuro.

In Jure Canonico sponsalia de præsenti distinguuntur a sponsalibus de futuro. Dicuntur nimirum *sponsalia de præsenti*, quæ contrahuntur verbis præsentis temporis; *sponsalia* vero *de futuro*, quæ contrahuntur verbis futuri temporis. Quoniam naturaliter sponsalia contrahi nequeunt, nisi verbis futuri temporis, si vero verbis præsentis temporis personæ nondum desponsatæ consensum suum sibi invicem declarent, matrimonium statim contrahitur (§. 387.); *jure mere naturali nulla dantur sponsalia de præsenti, sed quæ ita dicuntur, matrimonium sunt.*

Hinc & Canonistæ sponsalia de præsenti matrimonio æquiparant, etsi vi legis positivæ pro matrimonio contracto haberi nequeant, nec matrimonium per copulam carnalem, antequam hoc fiat, consummari possit. Jure civili non dantur sponsalia nisi de futuro (*not.* §. 387.). Enimvero antequam constet, quamnam differentiam introducat Jus civile ob rationes a statu civili desumtas; quid sentiendum sit de ista distinctione, non dici potest.

§. 390.

An sponsalia inter absentes contrahi possint.

Sponsalia contrahi possunt inter absentes. Sponsalia enim pactum sunt de matrimonio ineundo (§. 369.), consequenter promissionem & repromissionem futuri matrimonii continent (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero promissiones validæ sunt, si quis absenti in literis quid promittit & hic promissum acceptet (§. 711. *part.* 3. *Jur. nat.*). Valida igitur etiam sunt sponsalia, quæ inter absentes per literas contrahuntur. Et quoniam perinde est, sive per epistolam, sive per internuncium quendam, qui mandatum promittendi a te habet, aliquid promittas; eodem modo patet, valida quoque esse sponsalia, quæ per internuncium celebrantur. Quamobrem evidens est, sponsalia quoque contrahi posse inter absentes.

Spon-

BIU Cujas

Sponsalia non requirunt, ut perficiantur, nisi declarationem mutuam consensus (§. 369.). Ecquis vero est, qui ignoret, non minus per epistolam aut internuncium, quam viva voce consensum declarari posse. Quoniam vero inter absentes sponsalia aliter contrahi nequeunt, nisi vel per epistolam, vel internuncium; de sponsalibus inter absentes contrahendis eadem valent, quæ in parte tertia de promissione absenti facta demonstrata sunt.

§. 391.

Quinam sponsalia contrahere nequeant.

Qui matrimonium inire non possunt, nec sponsalia contrahere possunt. Qui enim sponsalia contrahere volunt, sibi invicem promittere debent, quod matrimonium inire velint (§. 369.). Quamobrem cum nemo promittere, consequenter ad faciendum alteri sese obligare possit (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod facere nequit; qui matrimonium *inire* non possunt, nec sponsalia contrahere possunt.

Istiusmodi itaque sponsalia statim nulla sunt, cum obligationem ad matrimonium ineundum, qui effectus sponsaliorum est (§. 370.), producere nequeant. Dubium oriri poterat circa sponsalia impuberum. Quamvis enim impuberes matrimonium contrahere nequeant, quamdiu impuberes sunt (§. 274.), puberes tamen facti possunt, consequenter cum sponsalia etiam contrahi possint in diem (§. 370.), nil obstare videtur impuberibus, quo minus sponsalia contrahant, etsi demum puberes facti matrimonium inire possint. De impuberum itaque desponsatione addenda est propositio sequens.

§. 392.

De desponsatione impuberum.

Quoniam sponsalia contrahere non possunt, qui matrimonium inire nequeunt (§. 391.), impuberes autem matrimonium inire nequeunt, quamdiu impuberes manent (§. 370.); *impuberes* quoque *sponsalia pure inire nequeunt*, scilicet *ut matrimonium statim seu durante pubertate ineatur*. Quoniam vero impuberes, quando sponsalia contrahunt, promittunt, quod nunc non est in potestate ipsorum, aliquando tamen esse poterit, istiusmodi autem promissio fit sub tacita hac conditione, si res in potestatem venerit (§. 327. *part.* 3. *Jur. nat.*); *sponsalia impuberum, modo intelligant, quod promittunt*, cum in rem sibi ignotam vel non satis intellectam nemo consentire posse intelligatur (§. 658. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *contracta censentur sub tacita hac conditione, quod matrimonium inire velint, quando ad pubertatem pervenerint.*

Quoniam judicium cum ætate demum maturescit, & matrimonium cum persona quadam inire sit res maxime ardua, quod utrumque experientia obvia confirmat; consultius omnino est, ut a sponsalibus abstineant impuberes, nec ea contrahant, nisi ubi puberes fuerint facti. Accedit, quod voluntas hominum sit ambulatoria, nec quod hodie placet, cras æque placeat. Cum talia perpendere prudentiæ sit (§. 257. *part.* 1. *Jur. natur.*), ad quam lege naturali obligamur (§. 258. *part.* 1. *Jur. nat.*); lex naturæ omnino probat, ut desponsatio differatur, donec ad pubertatem quis pervenerit. Qui jura positiva de impuberum desponsatione accuratius examinat, haud difficulter perspiciet, legislatores non minus animum attendisse ad ea, quæ in propositione præsente enunciantur, quam ad hæc, quæ ad eandem annotantur: id quod apertius docere nostri jam instituti non est.

§. 393.

De arrhis & muneribus sponsalitiis.

Arrhæ sponsalia dicuntur arrhæ, quas sponsus sponsæ & sponsa sponso dat: *Munera* autem *sponsalitia* sunt dona, quæ persona desponsata una alteri dat ad declarandum amorem suum (§. 116. *part.* 4. *Jur. nat.*).

Differunt arrhæ & munera sponsalitia fine. Illæ enim dantur sponsaliorum probandorum & confirmandorum gratia (§. 987. *p.* 4. *Jur. nat.*); hæc autem, quemadmodum ipsa definitio loquitur, amoris declarandi causa.

BIU Cujas

§. 394.

An arrhæ datio ad sponsalia contrahenda requiratur.

Quoniam arrhæ datio, si ad contractum accedit, per se nihil in eodem immutat (§. 990. *part.* 4. *Jur. nat.*), in sponsalibus vero obligatio nascitur ex promissione mutua personarum ea contrahentium (§. 369. *h.* & §. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*); *sponsalia sine arrhæ datione valida sunt.*

Moribus itaque introductum, ut arrhæ dentur sponsalitiæ, & per dationem annuli perficiatur contractus, cum arrhæ in pecunia vel re quacunque alia consistere possint (§. 987. *part.* 4. *Jur. nat.*), siquidem in dationem consentiunt sponsalia contracturi. Et propter hanc aliasque solennitates admittendum est, quod dicunt Jcti, sponsalia esse juris civilis, tum etiam quod jure civili sponsalia matrimonium præcedere necessario debeant, cum naturaliter matrimonium statim contrahi & consummari possit (§. 367.). Sunt itaque sponsalia juris civilis quoad necessitatem, & quoad solennitates, ad quas etiam refertur convivium sponsalitium.

§. 395.

An munera sponsalitia sint licita.

Quia munera sponsalitia dantur ad declarandum amorem suum (§. 393.), donationes autem amoris declarandi causa facta legi naturæ conveniunt (§. 117. *part.* 4. *Jur. nat.*); *munera* quoque *sponsalitia naturaliter licita sunt.*

Cum munera sponsalitia dentur post sponsalia contracta, per se patet, quod ad sponsalia ipsa nihil conferant, consequenter adesse & abesse possint salvis sponsalibus. Nulla est necessitas, ut amor declaretur munerum datione, cum aliis adhuc modis significari possit, si vel maxime re videatur, ut persona una desponsata alteram reddat amoris sui certiorem.

§. 396.

De probatione sponsaliorum per arrhas.

Quoniam arrhæ dantur contractus probandi gratia (§. 987. *part.* 4. *Jur. nat.*), arrhæ autem sponsalitiæ arrhæ sunt (§. 393.); *per arrhas sponsalitias probari potest sponsalia fuisse contracta.*

Arrham nimirum sibi dari petit, qui vult certus esse, quod alter serio contraxerit & habeat animum contractum adimplendi. Unde qui arrham dat sponsalitiam, alterum certum facere vult, quod non modo habeat animum matrimonium ineundi ac consummandi in præsenti, verum etiam quod in eodem constanter sit perseveraturus. Quamobrem arrha sufficienter probat sponsalia fuisse serio contracta.

§. 397.

De modo, sub quo dantur arrhæ.

De modo, sub quo dantur arrhæ sponsalitiæ, convenire licet sponso ac sponsæ, quomodo visum fuerit. Quoniam arrhæ datio contractus est (§. 987. *part.* 4. *Jur. nat.*), a voluntate autem dantis pendet, quodnam jus ad arrham vel in eadem & quo modo idem in accipientem transferre velit (§. 11. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*); de modo, sub quo dantur arrhæ sponsalitiæ, convenire licet sponso ac sponsæ, quomodo visum fuerit.

Contrahentibus legem dare licet contractui, quam voluerint, prouti ex doctrina contractuum abunde patet. Quamobrem cum arrhæ datio contractus sit (§. 987. *part.* 4. *Jur. natur.*); eidem quoque legem dare possunt contrahentes, quam voluerint. Cumque pactis sit standum (§. 789. *p.* 3. *Jur. nat.*), consequenter eo, quod conventum (§. 788. *p.* 3. *Jur. nat.*); arrhæ datio valebit, prouti conventa fuerit.

§. 398.

BIU Cujas

§. 398.

Quid valeat naturaliter, si de arrhis nihil fuerit expresse conventum.

Quoniam de modo, sub quo dantur arrhæ sponsalitiæ, convenire licet sponso ac sponsæ, quomodo visum fuerit (§. 397.), sponsus vero ac sponsa tacite consensisse intelliguntur id, quod moribus introductum, nisi expresse aliter convenerint, vel ex qualitate arrhæ contrarium præsumatur (§. 248. *part.* 2. *Jur. nat.*); *si de modo, sub quo dantur arrhæ sponsalitiæ, nihil expresse fuerit conventum, naturaliter standum erit moribus, vel eo, quod ex ipsa qualitate arrhæ præsumitur.*

Ita moribus nostris introductum est, ut sponsus sponsæ det annulum & contra, & in annulis reciproce transferatur dominium, quamvis non in omni casu irrevocabiliter. Annulorum itaque dominium a dantibus in accipientes transisse intelligitur. Enimvero ponamus sponsum sponsæ dare chirographum, ex quo debentur aliquot millia thalerorum; non videtur sponsus in sponsam dominium transtulisse, ut debitum istud tanquam suum exigere possit. Idem intelligitur, si res data, quæ fœminæ nullius usus est.

§. 399.

Quando naturaliter in arrha dominium non transfertur.

Si arrha simpliciter detur, ut scilicet nihil certi de ea conveniatur, nec moribus quicquam fuerit introductum, nec ex qualitate arrhæ colligi possit, qua lege data fuerit; naturaliter dominium in datione non transfertur. Etenim arrha datur probandi ac confirmandi contractus sponsalitii causa (§. 396.), consequenter opus non est, ut accipiens dominium in ea habeat. Quodsi ergo nihil certi de ea fuerit conventum, nec moribus quicquam introductum, in quod tacite consensisse sponsus atque sponsa intelligantur, neque etiam ex ipsa qualitate arrhæ colligi possit, qua lege data fuerit, nonnisi probandi ac confirmandi contractus sponsalitii causa data intelligitur, & per consequens dominium in datione non transfertur naturaliter.

Quodsi ergo quæsiveris, quodnam jus in arrhæ datione transferatur, cum arrhæ datio actus temerarius esse nequeat; ex ipsa definitione arrhæ patet (§. 987. *part.* 4. *Jur. nat.*), transferri jus arrham detinendi, donec matrimonium fuerit contractum & consummatum, ut, si dans contractum sponsalitium adimplere recuset, per arrham probari possit sponsalia revera fuisse contracta & sponsum declarasse, quod ab hoc contractu recedere nolit.

§. 400.

Quando arrha matrimonio consummato restituenda.

Quoniam *si arrha simpliciter detur, ut scilicet nihil certi de ea conveniatur, nec moribus quicquam fuerit introductum, nec ex qualitate arrhæ colligi possit, qua lege data fuerit*, naturaliter dominium in datione non transfertur (§. 399.), per arrham vero probatur, sponsalia fuisse firmiter contracta (§. 396.), consequenter *matrimonio* perfecto & consummato usus hic cessat; eodem *perfecto & consummato arrha danti restituenda.*

Moribus itaque debetur, quod apud nos arrha sponsalitia maneat accipientis matrimonio perfecto & consummato, ac ideo detur annulus, quo uti potest accipiens. Quemadmodum vero naturaliter sponsalia sine arrhæ datione valida sunt (§. 394.), etsi per eam firmentur (§. 987. *p.* 4. *Jur. nat.*), quatenus scilicet signum sunt constantiæ voluntatis de matrimonio perficiendo & consummando (§. 990. *part.* 4. *Jur. nat.*); ita etiam nil obstat, quo minus contractu sponsalitio adimpleto restituantur.

BIU Cujas

§. 401.

Quando arrha simul munus sponsalitium est.

Si arrhæ sponsalitiæ dominium transfertur, ea simul rationem muneris sponsalitii habet. Etenim arrha qua talis non exigit dominii translationem (§. 987. *part.* 4. *Jur. nat.* & §. 394. *h.*). Quodsi ergo dominium transferatur, necesse est ut adsit aliqua ratio, cur transferatur. Quamobrem cum gratis detur (§. 18. *p.* 4. *Jur. nat.*), ac ideo donum sit (§. 48. *part.* 4. *Jur. nat.*) dona vero dari possint ad significandum amorem (§. 116. *part.* 4. *Jur. nat.*); facile patet, arrhæ dominium transferri ad significandum amorem. Quoniam itaque donum sponsæ a sponsa & contra datum ad significandum amorem munus sponsalitium est (§. 393.); si arrhæ sponsalitiæ dominium transfertur, ea simul rationem muneris sponsalitii habet.

Munera dari possunt reciproce, tumque dici nequit, quod non dentur gratis, cum munus unum considerari non possit tanquam pretium pro altero solutum. Quamobrem nec obstat, quo minus arrhæ simul munera sponsalitia esse possint, licet & a sponso sponsæ & vicissim a sponsa sponso dentur. Et quamvis regulariter arrhæ dentur in ipso desponsationis actu, munera vero post desponsationem; nil tamen obstat, quo minus una cum arrhis dentur etiam munera, ac propterea una eademque res & arrhæ, & muneris sponsalitii locum tueri possit.

§. 402.

Quænam res ut arrha dari possit.

Arrhæ sponsalitiæ nomine dari potest res quæcunque. Etenim arrhæ sponsalitiæ dantur, ut per eas probari possint sponsalia firmiter contracta (§. 987. *part.* 4. *Jur. nat.* & §. 393. *h.*). Quoniam vero necesse non est, ut dominium in arrha transferatur (§. 399.), ad probandum vero sponsalia firmiter contracta sufficit, ut res quæcunque detur, sive eadem usum quendam præstare possit accipienti, sive nullum; ideo arrhæ sponsalitiæ nomine dari potest res quæcunque.

Ita sponsus sponsæ arrhæ nomine dare potest ensem, vel baculum, aut vestem quandam suam, vel chirographum. Nec hic attenditur, an res sit multi, an exigui pretii. Probatio enim, cujus causa datur, eodem modo subsistit, modo constet, desponsationis causa rem datam fuisse, qualiscunque tandem ea sit & quantumcunque sit ejus pretium.

§. 403.

Sub qua conditione dentur munera sponsalitia.

Munera sponsalitia dari intelliguntur sub tacita conditione, ut restituantur, si matrimonium non consummari contingat, nisi aliter conveniatur, vel aliunde contrarium appareat. Etenim persona desponsata obligatur alteri ad matrimonium perficiendum ac consummandum (§. 370.), consequenter patet, datorem hac spe fretum, matrimonium consummatum iri, dare munera, nec daturum fuisse, si prævidere potuisset, matrimonium consummatum non iri. Quamobrem facile ulterius patet, munera sponsalitia dari sub tacita hac conditione, ut restituantur, si quidem matrimonium non consummari contingat. *Quod erat primum.*

Quoniam vero pactis, consequenter eo, quod fuit conventum (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), standum (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); si ita conventum fuerit, ut maneant accipientis, veluti si dator expresse dicat, se non dare intuitu vel spe matrimonii consummandi, sed unice ad significandum amorem suum de præsenti, aut quanti faciat personam sibi desponsatam, nulla quoque ratio est, cur sint restituenda, siquidem matrimonium consummari minime contingat. *Quod erat secundum.*

Perinde vero cum sit, sive expresse hoc declaret dator, se non dare spe matrimonii consummandi, sive aliunde hoc colligatur; nec hoc in casu restituenda sunt munera sponsalitia, etiamsi matrimonium non consummari contingat. *Quod erat tertium.*

Non

BIU Cujas

Non est, quod excipias, difficillimum esse probatu, munus sponsalitium non fuisse datum spe matrimonii consummandi, in casu enim dubio data non præsumuntur nisi hac spe (§. 248. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 404.

An sponsalia sub pœna contrahere liceat.

Naturaliter sponsalia sub pœna contrahere licet. Quando enim sub pœna contrahuntur sponsalia; ea contrahuntur sub hac conditione, ut, si persona alterutra promisso stare nolit, consequenter inire matrimonium, alteri certi quid debeat, de quo convenitur (§. 606. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum unicuique liberum sit, quantum se alteri obligare velit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), nec aliquis sibi alterum obligare possit *ultra id*, quod voluit, nec plus juris ab eo acquirere, quam is in ipsum transferre voluit (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); naturaliter quoque sponsalia sub pœna contrahere licet.

Juris itaque mere positivi est, si sponsalia sub pœna contrahi prohibeantur.

§. 405.

De arrhis & muneribus sponsalitiis in pœnam imputatis.

Quoniam naturaliter sponsalia sub pœna contrahere licet (§. 404.), sub pœna autem contrahuntur sponsalia, si ita conveniatur, ut, nisi matrimonium consummetur, pars nocens perdat arrham & munera sponsalitia, quæ vero ipse accepit, ea restituere innocenti teneatur (§. 606. *part. 3. Jur. nat.*); *si matrimonium non consummetur, & ita fuerit conventum, pars nocens arrham & munera sponsalitia restituere tenetur, innocens vero, quæ sponsaliorum nomine accepit, retinet.*

Hæc notanda sunt, ut intelligatur, quid lege positiva recte constituatur. Quando sub pœna contrahuntur sponsalia, pœna contrahentium consensu definienda. Quodsi ergo placuerit, arrham & munera sponsalitia in pœnam imputari; id valebit. Diximus in superioribus (*not.* §. 378.), difficulter determinari id, quod interest, matrimonium cum parte læsa non fuisse contractum, quando id præstandum. Præstat igitur sponsalia contrahi sub pœna: tum enim constat, quid dari debeat (§. 611. *p. 3. Jur. nat.*), cum reus promittendi non amplius teneatur ad id, quod interest.

§. 406.

Effectus sponsaliorum pœnalium naturalis.

Si quis a sponsalibus pœnalibus recedere vult, recedere licet, nec parti alteri ultra pœnam ad quicquam tenetur. Quando enim sponsalia sub pœna contrahuntur, ita convenitur, ut, nisi matrimonium consummetur, pars nocens pœnæ nomine quid dare debeat innocenti (§. 606. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem tacite in hoc consentitur, ut, si pœnam det, recedere liceat (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo quis a sponsalibus pœnalibus recedere velit, recedere licet. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam promissario promissum pœnale acceptante reus promittendi non amplius tenetur ad id, quod interest (§. 611. *part. 3. Jur. nat.*), & sponsalia contrahentes in hoc consenserunt, ut, si detur pœna, ab iis recedere liceat *per demonstrata*; si quis a sponsalibus pœnalibus recedere vult, ultra pœnam ad quicquam parti alteri non tenetur. *Quod erat alterum.*

Posterius etiam ostenditur hoc modo. Si sponsalia pœnalia contrahuntur, in hoc consentiunt contrahentes, ut, si pœna detur, ab iis recedere liceat *per demonstrata*. Quamobrem cum nemo sibi alterum obligare possit ultra voluntatem suam (§. 382. *part. 3. Jur. nat.*); qui a sponsalibus pœnalibus discedit, parti alteri ultra pœnam ad nihil tenetur.

Quoniam paciscentes legem contractui dare possunt, quam voluerint; libertatem a sponsalibus recedendi restringi posse nemo non videt. Ita pœna tantummodo restringi potest ad eum casum,

BIU Cujas

casum, quo sponsalia culpa unius dissolvuntur, veluti si persona desponsata cum alia matrimonium actu contraxerit, & consummaverit (§. 378.), vel ad sponsalia posteriora copula carnalis accesserit (§. 379.), vel si ob stuprum solvantur sponsalia (§. 381.), & quæ sunt his gemina. In hoc itaque casu a sponsalibus recedere non licet, etiamsi pœnam quis dare velit, parte altera invita, cum huic per consensum in pœnam non ademtum fuerit jus exigendi, ut matrimonium ineatur, sed reservatum. Similiter ita convenire potest, ut a sponsalibus data pœna recedere liceat nonnisi intra certum tempus, quo itaque elapso pœna tantummodo restringitur ad eum casum, quo sponsalia culpa unius dissolvuntur, ut ante. Immo etiam conveniri potest, ut sponsalia elapso termino non amplius sint pœnalia, sed ab eo sine pœna contracta intelligantur.

§. 407.

De eo, quod restituendum, si sponsalia mutuo dissensu dissolvantur.

Si sponsalia mutuo dissensu dissolvantur, arrhæ & munera sponsalitia utrinque sunt restituenda, nec, si sub pœna contracta, pœnæ nomine quid dandum, nisi expresse aliter fuerit conventum. Quando enim sponsalia mutuo dissensu dissolvuntur, personæ desponsatæ inter se conveniunt, quod neutra ab altera exigere velit, quod ex pacto debebatur (§. 844. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum perinde esse debeat, ac si sponsalia nunquam fuissent celebrata, si vero nulla celebrata fuissent, nec arrhæ, nec munera sponsalitia data fuissent (§. 393.), nec etiam pœnæ nomine quicquam promissum fuisset (§. 404.); ideo si sponsalia mutuo dissensu dissolvantur, arrhæ ac munera sponsalitia utrinque restituenda, nec, si sub pœna contracta fuerint, pœnæ nomine quid dandum. *Quod erat primum.*

Enimvero cum fieri possit, ut pars una in dissolutionem sponsaliorum consentire nolit, nisi certi quid ipsi detur, nemo autem gratis jus suum, quod remittere potest (§. 117. *part. 3. Jur. nat. & §. 383. h.*), remittere tenetur, naturaliter autem ad præstandum interesse tenetur, qui obligationi suæ satisfacere non vult (§. 629. *part. 3. Jur. nat.*); nihil quoque obstat, quo minus certi quid detur, ut consensus in dissolutionem impetretur. Quamobrem si expresse de eo conventum fuerit, quod dandum, ut sponsalia sint dissoluta, cum pactis sit standum (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*); dandum quoque hoc erit. *Quod erat tertium.*

Arrhæ dantur, nisi aliter conveniatur, tantummodo sponsaliorum probandorum & confirmandorum gratia (§. 987. *part. 4. Jur. natur.*), consequenter nulla ratio est, cur maneant apud accipientes, dissolutis sponsalibus ac ideo restituendæ. Munera sponsalitia dantur sub tacita conditione, ut restituantur, si matrimonium non consummari contingat (§. 403.). Iis igitur dissolutis, restituendâ utique sunt. Arrhæ, si dominium in iis transferatur, rationem munerum sponsalitiorum habent (§. 404.). Idem igitur de iis valet, quod de muneribus dictum. Si sponsalia pœnalia dissolvantur, pœna remittitur, consequenter quod pœnæ nomine debetur non præstandum (§. 97. *part. 3. Jur. nat.*). Rationes hasce particulares in medium afferre libuit, ut dispellantur nebulæ, si quæ forsitan circa demonstrationem alicui offundantur.

§. 408.

Quidnam de arrhis & muneribus sponsalitiis convenire liceat, si sponsalia dissolvuntur.

Quoniam sponsalia mutuo dissensu dissolvi possunt ea lege, ut parti uni ab altera certi quid detur (§. 407.); *sponsalia quoque dissolvi mutuo dissensu ea lege, ut pars una arrhas & munera sponsalitia retineat, altera vero restituat, aut ut pars utraque retineat quod sponsaliorum nomine accepit*, vel etiam *ut quod sponsaliorum nomine acceptum imputetur in partem ejus, quod dandum, ut consensu partis alterius parti uni a sponsalibus discedere liceat.*

Quando pars una in dissolutionem sponsaliorum non consentit, nisi certi quid detur, aut conveniatur, ne arrha & munera sponsalitia sint restituenda, perinde omnino est ac si sub pœna sponsalia contracta fuissent (§. 606. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum naturaliter sub pœna sponsalia contrahere liceat (§. 404.); quidni etiam liceat, non consentire in dissolutionem sponsaliorum, nisi ut certi quid detur ab eo, qui primus discedere vult? Nihil in hoc iniqui deprehenditur, modo pars, quæ quid dare debet, non nimium gravetur: id quod ex circumstantiis æstimandum.

§. 409.

BIU Cujas

§. 409.

An sponsalia coram testibus celebranda.

Naturaliter non opus est, ut sponsalia celebrentur coram testibus. Quoniam testes adhibentur ad fidem faciendam de re gesta (§. 1013. *part.* 5. *Jur. nat.*); non alia de causa sponsalia coram testibus celebrantur, quam ut per eos probari possit, eadem contracta fuisse. Quoniam igitur sponsalia per testium præsentiam non efficiuntur valida, consequenter nullis præsentibus personæ desponsatæ sibi invicem obligentur (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*); naturaliter opus non est, ut sponsalia coram testibus celebrentur.

Quamvis per arrham probari possint sponsalia (§. 396.), non tamen ideo superfluum est, ut celebrentur coram testibus & arrhæ in præsentia testium dentur, non modo quia testimonium testium subinde certus est probatione per arrhas, verum etiam de arrhis ipsis lis non una moveri potest, ad quam dirimendam facit testimonium eorum, in quorum præsentia arrhæ fuerunt datæ. Etsi itaque necesse non sit sponsalia coram testibus celebrari, ut tamen hoc fiat, haud raro, immo tantum non semper consultum est.

§. 410.

De sponsalibus publicis & clandestinis.

Sponsalia publica dicuntur, quæ coram testibus fidé dignis contrahuntur: *clandestina* vero, quæ nullo teste præsente contrahuntur. Quoniam naturaliter non opus est, ut sponsalia coram testibus celebrentur (§. 409.); *naturaliter sponsalia clandestina æque valida sunt, ac publica, modo alias valide contrahantur.*

Juris itaque mere positivi est, si sponsalibus clandestinis detrahatur validitas. Subinde clandestina vocantur sponsalia, quæ sine consensu eorum contrahuntur, quorum consensus ad eadem requiritur, etiamsi vel centum testes adfuerint, & ea demum publica vocantur, quæ accedente isto consensu celebrata fuerunt. Sed cum definitiones nominales arbitrariæ sint, unicuique liberum est, quo sensu sponsalia publica & clandestina accipere velit, ut propterea litem nemini moveamus, si aliter ea distinguere velit.

§. 411.

An pendente conditione sponsalia contrahere liceat.

Si sponsalia sub conditione fuerint contracta, hac pendente cum persona alia sponsalia pure contrahere non licet. Ex sponsalibus conditionatis persona desponsata spem habet alteram sibi obligatum iri ad matrimonium ineundum (§. 471. *p.* 3. *Jur. nat.* & §. 370. *h.*) quæ cum invitæ adimi non possit (§. 477. *part.* 3. *Jur. nat.*), adimeretur vero, si pendente conditione sponsalia pure contraherentur cum persona alia (§. 462. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 370. *h.*); si sponsalia sub conditione contracta, hac pendente cum persona alia sponsalia pure contrahi nequeunt.

§. 412.

An sponsalia posteriora pura præferenda prioribus conditionalibus.

Quoniam sponsalia pure contrahere non licet cum persona alia, contractis jam conditionalibus (§. 411.); *Si bina fuerint contracta sponsalia, quorum priora sunt conditionalia, posteriora pura, pura non præferenda sunt conditionalibus.*

Valet hoc non tantummodo de sponsalibus, verum etiam de omni pacto, qualecunque tandem fuerit, cum idem de sponsalibus non demonstretur, nisi quatenus pactum sunt, prout apparet, si principia demonstrandi in propositione præcedente considerentur.

§. 413.

BIU Cujas

§. 413.

Sub quanam conditione contrahi possint bina sponsalia conditionata.

Si quis sponsalia celebravit sub conditione, cum persona alia sponsalia celebrare licet sub hac conditione negativa, si prior non existat. Etenim si conditio, sub qua sponsalia priora celebrata, non existit, sponsalia priora evanescunt (§. 534. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque nulla sunt. Enimvero si conditio ista non existat, conditio negativa existit, sub qua sponsalia posteriora celebrata (§. 490. *part. 3. Jur. nat.*), adeoque posteriora valida sunt (§. 467. *part. 3. Jur. nat.*). Nihil itaque obstat, quo minus is, qui sponsalia sub conditione celebravit, cum alia persona sponsalia contrahat sub hac conditione, si prior non existat, consequenter ea sub hac conditione negativa contrahere licet, antequam constare possit, utrum conditio ista, sub qua sponsalia priora contracta, sit extitura, nec ne.

Facile patet spem ex sponsalibus prioribus quæsitam personæ, cum qua contracta fuerunt (§. 471. *part. 3. Jur. nat.*), per sponsalia posteriora non adimi, consequenter posteriora contrahendo nullam injuriam eidem fieri (§. 475. *part. 3. Jur. nat.*). Salva manet spes ista perinde, ac si posteriora contracta non fuissent.

§. 414.

De consummatione matrimonii, conditione sponsaliorum nondum existente.

Si sponsalia sub conditione fuerint contracta, conditione nondum existente matrimonium perficere & consummare licet. Si personæ, quæ sponsalia sub conditione contraxerunt, inter se conveniunt, quod conditione nondum existente matrimonium perficere ac consummare velint; evidens est, quod mutuo consensu conditionem tollant, seu pro non adjecta declarent, consequenter sponsalia conditionata in pura convertant (§. 462. *p. 3. Jur. nat.*), seu, quod perinde est, conditionata mutuo dissensu dissolvant, & pura mutuo consensu contrahant. Quoniam itaque mutuo dissensu sponsalia dissolvere licet (§. 383.) conditionatis vero dissolutis nil obstet, quo minus sponsalia pure contrahant, ex sponsalibus autem puris nascitur obligatio matrimonium perficiendi & consummandi (§. 370.); si sponsalia sub conditione fuerint contracta, conditione nondum existente matrimonium perficere ac consummare licet.

Ostenditur etiam hoc modo. Per se patet, eas personas, quæ sponsalia sub conditione contraxerunt, eadem quoque pure contrahere potuisse, siquidem voluissent. Quamobrem cum unicuique permittendum sit, ut voluntatem suam mutet, quamdiu nil agit, quod est contra jus alterius (§. 377. *part. 3. Jur. nat.*); personis quoque, quæ sponsalia sub conditione contraxerunt, liberum est, in pura consentire, consequenter matrimonium perficere ac consummare (§. 370.).

Cum naturaliter non opus sit, ut sponsalia contractum matrimonii præcedant (§. 388.), immo eodem actu matrimonium & perfici, & consummari possit (§. 368.); naturaliter nihil obstat, quo minus personæ, quæ sponsalia sub conditione contraxerunt, parum sollicitæ, utrum conditio aliquando sit extitura, nec ne, matrimonium statim perficiant ac consumment.

§. 415.

De copula carnali ad sponsalia conditionata accedente.

Si ad sponsalia sub conditione contracta accedat copula carnalis, naturaliter matrimonium consummatum intelligitur. Etenim quando sponsalia sub conditione contrahuntur, contrahentes sese sibi invicem obligant ad matrimonium ineundum (§ 370.), consequenter & corporis sui usum sibi invicem concedendum generationis causa (§. 305.). Quamobrem cum concessio hujus usus copula carnalis sit (§. 309.) & per eam matrimonium consummetur (§. 367.), si vero sponsalia sub conditione contracta fuerint, conditione nondum existente, matrimonium consummare liceat (§. 414.), stuprum autem illicitum sit (§. 334.); si ad sponsalia sub conditione contracta accedat copula carnalis, naturaliter matrimonium consummatum intelligitur.

Quia

BIU Cujas

Quia jure positivo ad perficiendum matrimonium requiruntur certæ solennitates, veluti apud nos copula sacerdotalis, sine qua perfectum non intelligitur; ideo sponsalia conditionata accedente copula carnali habentur pro puris, ut adeo hæc tollat conditionem (§. 464. *p.* 3. *Jur. nat.*), & sic nascatur obligatio matrimonium perficiendi more lege præscripto (§. 370.). Non est, quod excipias, personas sub conditione desponsatas consentire posse in copulam carnalem salvis sponsalibus sub conditione contractis. Hæc enim conventio cum illicita sit (§. 334.), non valet, consequenter nullum effectum juris producit.

§. 416.

Sponsalia sub conditione turpi facta invalida sunt & illicita. Sunt enim sponsalia pactum (§. 369.). Quamobrem cum promissio, consequenter & omne pactum (§. 800. *part.* 3. *Jur. nat.*), sub conditione turpi factum statim invalidum sit (§. 495. *part.* 3. *Jur. nat.*) ac illicitum (§. 494. *part.* 3. *Jur. nat.*); sponsalia sub conditione turpi facta invalida sunt & illicita. *De sponsalibus sub conditione turpi contractis.*

Istiusmodi conditiones turpes complures enumerant Canonistæ & cum iis Theologi, veluti ducam te, si generationem prolis evitabis; si sterilitatis medicamenta sumseris, si pro quæstu adulterandam dabis, si te nudam conspiciendam præbueris; si furatus fueris; si alterum occideris; si Deo maledixeris, & quæ sunt his geminæ.

§. 417.

Sponsalia sub conditione impossibili facta nulla sunt. Promissio enim nulla est, quæ fit sub conditione impossibili (§. 484. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter & pactum nullum est, quod sub tali conditione fit (§. 800. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum sponsalia pactum sint (§. 369.); sponsalia quoque sub conditione impossibili facta nulla sunt. *De sponsalibus sub conditione impossibili factis.*

Sunt equidem qui contendunt, sponsalia perinde ac pacta quæcunque alia, sub conditione impossibili facta valida esse, quod conditio impossibilis pro non adjecta habenda sit, quia Jure Romano in testamento conditio impossibilis pro non adjecta habetur. Quodsi vero conditio non adjecta ponatur, promissio non amplius erit conditionata, sed pura (§. 464. *p.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero ex notione promissionis conditionatæ & conditionis impossibilis hoc minime demonstratur, consequenter nec naturaliter admitti potest. Quodsi quis sciens adjiciat conditionem impossibilem, quando serio contrahendum, jocabitur in re seria (§. 287. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod minime ferendum (§. 289. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 418.

Sponsalia contrahere licet sub hac conditione, ducam te, vel nubam tibi, si dederis centum aureos. Qui enim vult sibi dari ab altero centum aureos, cum gratis dari debeant, *per hypoth.*), is vult centum aureos sibi donari (§. 48. *part.* 4. *Jur. nat.*), & cum velit eos sibi dari eo fine, ut matrimonium cum dante contrahat, donum dari debet ad consequendum finem licitum (§. 269.). Quoniam itaque donationes in se illicitæ non sunt (§. 122. *part.* 4. *Jur. nat.*), nec reddantur illicitæ finis alicujus consequendi gratia factæ, nisi is malus, seu illicitus fuerit (§. 123. *part.* 4. *Jur. nat.*); nil sane obstat, quo minus sub hac conditione contrahantur sponsalia, ducam te, vel nubam tibi, si dederis mihi centum aureos. *De sponsalibus sub conditione certi quid dandi contractis.*

Qui contrarium statuunt, conditionem vel pro turpi habent, vel saltem pro non honesta, vel cum *Melanchtone* pro otiosa, utpote ad substantiam matrimonii non pertinente. Rectius vero *Canonistæ* eam inter honestas referunt, sub qua licite contrahuntur sponsalia. Quod enim quidam JCti dicant, eam esse contra bonos mores, cum præ se ferat amorem venalem: id etsi subinde locum habere possit, non tamen semper obtinet: possunt enim esse causæ maxime honestæ, cur quis uxorem ducere velit fœminam, si ipsi dederit certam pecuniæ summam, veluti si

BIU Cujas

ære alieno laboret, vel si eandem in usum honestum impendere velit, ex. gr. ut studiis operam dare possit in Academia & pariter, cur qua fœmina nubere velit viro diviti, sub hac conditione, ut ipsi det centum aureos, nimirum ut hos tanquam bona sua inferat & mortuo marito habeat, unde vivat. Cum vero motiva non attendantur, ubi de jure agitur, quod ex pacto acquiritur; hæc non alio fine a nobis in medium afferuntur, quam ut pateat, conditionem præsentem omnino talem esse, sub qua sponsalia contrahi minime repugnet.

§. 419.

Effectus illorum sponsaliorum. Quoniam sponsalia contrahere licet sub hac conditione, ducam te, vel nubam tibi, si dederis centum aureos (§. 418.), sponsalia vero conditionata valida non sunt, nisi existente conditione (§. 370.); *antequam conditio fuit adimpleta, matrimonium inire tenetur persona, cui donatio promissa.* Et quoniam promissio conditionata non est servanda propter juramentum accedens conditione non existente (§. 951.); *nec sponsalia contracta sub conditione, si centum aurei dentur, licet juramento confirmata, obligant ad matrimonium ineundum, si centum aurei dati non fuerint.*

Naturali juri conformem sententiam per omnia tuentur Canonistæ, qui matrimonium contrahere recusantem ante conditionem impletam a perjurii reatu recte absolvunt. Notandum vero in casu præsenti sermonem non esse de dote conventa, de qua inferius dicendum; sed de donatione, quæ sponsalibus tanquam conditio potestativa adjicitur & præter dotem stipulatur sibi pars una, seu nulla facta dotis mentione.

§. 420.

De adimpletione promissi sponsalitii in arbitrium alterutrius collata. *Si matrimonium promittatur ab una parte, ab altera vero acceptetur sub ea conditione, ut liceat promittenti matrimonium contrahere cum alia persona, si meliorem aut talem, quæ quacunque de causa magis placuerit, reperiat; promittenti liberum est matrimonium cum persona alia contrahere, conditionem vero offerens, seu sub ea promissionem acceptans contrahere tenetur, si ex verbis ejus vel aliunde appareat, eam consensisse sub hac conditione, si promissor in eadem voluntate perseveraturus sit, non tenetur, si appareat, eam in declarando consensu adhuc hæsisse, tuncque & ipsi liberum est matrimonium pendente adhuc conditione cum alia persona contrahere.* Etenim si matrimonium promittatur ab una parte, ab altera vero hoc acceptetur sub ea conditione, ut liceat promittenti matrimonium contrahere cum persona alia, si meliorem aut talem reperiat, quæ quacunque de causa magis placuerit; acceptans adimpletionem promissi in arbitrium promittentis confert, ut statuere possit, quid visum fuerit. Liberum itaque eidem est matrimonium cum alia persona contrahere. *Quod erat primum.*

Enimvero si ex verbis partis alterius, vel aliunde appareat, eam in matrimonium consensisse sub hac conditione, si promissor in eadem voluntate sit perseveraturus; sponsalia sub conditione contracta sunt, consequenter ubi promissor urget, ut matrimonium contrahatur, contrahere tenetur (§. 370.). *Quod erat secundum.*

Quodsi vero ex verbis conditionem offerentis vel aliunde appareat, quod in declarando consensu adhuc hæserit, sponsalia, quæ tanquam pactum (§. 369.), promissionem & repromissionem continere debent (§. 788. *part. 3. Jur. nat.*), nondum perfecta intelliguntur, consequenter omne id, quod actum est, ad tractatus sponsalitios referendum (§. 371.), qui cum non sint obligatorii (§. 372.), ad matrimonium contrahendum persona ista, quæ conditionem obtulit, non tenetur & quia tractatus sponsalitii minime obstant, quo minus matrimonium cum alia persona contrahi possit (§. *cit.*), pendente adhuc conditione cum alia contrahere potest. *Quod erat tertium & quartum.*

Casum hunc non esse impossibilem, facile patet; esse autem dabilem, ipse novi, & noverunt dubio procul etiam Canonistæ ac Casuistæ, qui de eodem agunt.

§. 421.

BIU Cujas

§. 421.

De conditione, ducam te, nisi meliorem reperiam.

Si quis matrimonium promittat fœminæ sub hac conditione, ducam te, nisi meliorem reperire potuerim, nec conditioni adjiciatur dies, nihil agitur; si vero dies adjectus fuerit, sponsalia conditionata intelliguntur contracta. Etenim si quis matrimonium promittat fœminæ sub hac conditione, ducam te, nisi meliorem reperire potuerim, nec conditioni adjiciatur dies; quando fœmina urget, ut matrimonium contrahatur, is semper excipere valet, se adhuc quærere meliorem, consequenter conditionem nondum extare (§. 490. *part.* 3. *Jur. nat.*). Perinde igitur est, ac si dixisset: Ducam te, si voluero. Enimvero si tibi quid promitto sub hac conditione, si mihi placuerit, vel quod perinde est, si voluero, promissio nulla est (§. 520. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem nihil quoque agitur, si quis matrimonium promittat fœminæ sub hac conditione, ducam te, nisi meliorem reperire potuerim, nec conditioni adjiciatur dies. *Quod erat unum.*

Enimvero si conditioni adjiciatur dies, & dies venerit, cum die veniente vel cum persona alia contracta sint sponsalia vel matrimonium jam initum sit, vel non; utrum conditio existat, nec ne, manifestum est (§. 490. *part.* 3. *Jur. nat.*). Nihil itaque obstat, quo minus sub hac conditione sponsalia utiliter contrahantur, ut scilicet ex iis nascatur obligatio matrimonium contrahendi (§. 370.). Quamobrem in hoc casu sponsalia conditionata contracta intelliguntur. *Quod erat alterum.*

Facile patet, in casu priori pendente conditione fœminæ liberum esse matrimonium, consequenter & sponsalia (§. 369.), contrahere cum persona alia; in posteriore hoc non licere: mari autem matrimonium contrahere licere quocunque tempore cum alia in casu priore, in posteriori autem nonnisi antequam dies conditioni adjectus venerit, ut opus non sit ea prolixius demonstrari. Qui omnem Juris naturæ amplitudinem animo comprehenderit, in dubium minime revocabit istiusmodi casuum decisionem ad Jus naturæ pertinere. Immo ipsæ demonstrationes hoc aperte loquuntur, cum casus non decidantur nisi ex iis, quæ in Jure naturæ demonstrata sunt. Et quamvis fieri non possit, nec consultum sit, ut casus omnes possibiles decidantur; exempla tamen dare debuimus, ut intelligatur, quomodo hic sit procedendum. A nostro enim instituto minime alienum est monstrare viam, qua ulterius progredi datur, & docere modum, quo principia Juris naturæ ad casus obvios sint applicanda.

§. 422.

Res domesticæ quænam dicantur & quid sit œconomia.

Rerum domesticarum nomine nobis veniunt res omnes, quibus utimur ad vitæ necessitatem, utilitatem ac jucunditatem. Et rerum domesticarum administratio *Oeconomia* dicitur.

Homo non modo obligatur ad corpus suum vitamque (§. 349. 350. *part.* 1. *Jur. nat.*) atque sanitatem conservandum (§. 393. *p.* 1. *Jur. nat.*), consequenter ad prospiciendum necessitati vitæ; verum etiam operam dare tenetur, ut, quantum fieri potest, vitam commode (§. 466. *p.* 1. *Jur. nat.*), ac jucunde transigat (§. 471. *part.* 1. *Jur. nat.*). Opus igitur habet cum rebus necessariis (§. 499. *part.* 1. *Jur. nat.*), tum utilibus & voluptuariis (§. 500. 501. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac de iis sibi comparandis sollicitus esse debet. Inde est, quod homines habeant res tam necessarias, quam utiles ac jucundas, atque operam dent, ut, postquam dominia rerum introducta sunt, ac per consequens res propriæ factæ, pecuniam acquirant, pro qua sibi eas comparare possunt. Res igitur istas omnes, quas ad vitæ necessitatem, utilitatem ac jucunditatem nobis comparavimus, vel quomodocunque acquisivimus, simul sumtas res domesticas appellare solemus. Earum vero administratio tum quatenus comparandæ, tum quatenus utendæ, tum quatenus conservandæ, œconomia appellatur.

BIU Cujas

§. 423.

De cohabitatione & œconomia conjugum.

Conjuges cohabitare & œconomiam communem habere debent. Etenim operam dare debent procreationi ac educationi prolis (§. 270.). Enimvero prolem ſine coitu procreari non poſſe conſtat, conſequenter prolis procreandæ cauſa corporis ſui uſum ſibi invicem concedere tenentur. Et quoniam proles educari nequit, niſi eidem proſpiciatur de iis, quibus ad conſervationem ſui indiget, & actiones ipſius juxta legem naturæ determinentur, quas ipſamet ſic determinare nondum novit (§. 255.); ideo neceſſe eſt, ut prolem penes ſe habeant. Quamobrem cum utrumque commode fieri nequeat, niſi conjuges cum prole ſua habitent in eadem domo, quod experientia quotidiana abunde docet; conjuges cohabitare debent. *Quod erat unum.*

Enimvero non modo ipſi conjuges, qui non modo iis indigent, quæ ad vitæ neceſſitatem requiruntur, verum etiam aliis opus habent, quæ utilitati ac jucunditati vitæ ſerviunt, res vero iſtas habere debent in domo, in qua habitant, quod per ſe patet; verum etiam proli ſuæ, quam educare tenentur conjunctis viribus (§. 305.), de iiſdem rebus proſpicere debent (§. 255.). Quamobrem neceſſe eſt, ut res ad vitæ neceſſitatem, commoditatem ac jucunditatem ſpectantes, conſequenter domeſticas (§. 422.) habeant, & de iis comparandis ac utendis communem curam adhibeant, adeoque res domeſticas communi cura adminiſtrent. Quoniam itaque rerum domeſticarum adminiſtratio œconomia eſt (§. *cit.*); conjuges quoque communem œconomiam habere debent. *Quod erat alterum.*

Quamprimum homines in ſocietates conjugales conſenſerunt; res ipſa eoſdem docuit, quod cohabitare ac œconomiam communem habere debeant. Atque ideo moribus receptum eſt, ut cohabitent ac communem œconomiam habeant. Quæ vero natura ipſis dictitavit, ea omnino juris naturæ ſunt, quippe quod in ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura rationem ſufficientem habet (§. 135. *p.* 1. *Phil. pract. univerſ.*). Et poſtquam moribus hoc invaluit, qui in matrimonium conſentiunt, tacite quoque conſentiunt in cohabitationem & œconomiam communem, & ipſa lex naturæ conſentire jubet, ſeu conſenſum imperat. Quamvis vero rerum domeſticarum adminiſtratio communis ſit, non propterea neceſſe eſt, ut rerum omnium uſus ſit promiſcue utrique conjugi communis, cum quædam ſint, quæ tantummodo uſui unius inſerviunt, neque etiam neceſſe eſt, ut res omnes, etiam quoad uſum communes, ſint quoad proprietatem communes, uſus enim communis ſubſiſtere poteſt, etiamſi proprietas ſit penes unum, immo uſus uni proprius ſubſiſtere poteſt cum dominio, quod in ea re alteri competit.

§. 424.

In quo communis œconomia conjugum conſiſtat.

Quoniam conjuges communem œconomiam habere debent (§. 423.), & per conſequens rerum domeſticarum adminiſtrationi communem curam adhibere (§. 422.), res vero domeſticæ ſunt, quibus utuntur ad vitæ neceſſitatem, utilitatem ac jucunditatem (§. *cit.*), conſequenter tam neceſſariæ (§. 499. *part.* 1. *Jur. nat.*), quam utiles & voluptuariæ (§. 500. 501. *part.* 1. *Jur. nat.*); *conjuges uſum rerum neceſſariarum, utilium ac voluptuariarum ſibi invicem communicare & uterque conjux ad eas acquirendas, comparandas & conſervandas conferre debet, quantum poteſt.*

Conjuges ſocii ſunt (§. 270.), quorum unuſquiſque facere tenetur, quod ad finem ſocietatis conſequendum facere poteſt (§. 7.). Sine rebus neceſſariis, utilibus ac voluptuariis ſocietas conjugalis ſubſiſtere nequit, cum finis ſocietatis hujus, qui procreatio & educatio ſobolis eſt (§. *cit.*), requirat, ut una vivant & ſibi ac ſoboli de iis proſpiciant, quæ vitæ neceſſitas & jucunditas exigit, obſervata tamen differentia, quæ inter uſum rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum obſervanda (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*). Officia enim, quæ unuſquiſque ſibimetipſi naturaliter debet, inter conjuges communicantur, non minus ac officia, ad quæ proli ſuæ tenentur communi cura educandæ (§. 263.).

§. 425.

BIU Cujas

§. 425.

Quinam conjugum plus acquirere debeat.

Quia uterque conjux ad res necessarias, utiles ac jucundas acquirendas conferre debet, quantum potest (§. 424.); *si uxor plus acquirere potest marito, acquirere debet, & contra.*

Ad ea quæ acquiruntur, referendi utique sunt reditus ex bonis, quæ conjux habet, veluti fructus ex rebus immobilibus ac usuræ ex pecunia fœnori exposita perceptæ. Unde patet, fieri posse, ut uxor dives plus acquirat quam maritus, etiamsi insuper habeamus operas, quibus aliquid acquiritur.

§. 426.

Cujusnam sint quæ a conjugibus acquiruntur.

Quoniam vero conjuges usum tantummodo rerum necessariarum, utilium ac voluptuariarum sibi invicem communicare & ad has res acquirendas conferre debent, quantum possunt (§. 424.); *quæ ab iis acquiruntur, naturaliter communia non sunt, sed quatenus acquisita vel sunt in rerum necessariarum, utilium ac voluptuariarum numero, quarum usum exigit societas conjugalis, vel in has comparandas impenduntur, illorum usus communis est.* Cum tamen per pacta jura, quæ quis habet, remittendo (§. 117. p. 1. *Jur. nat.*), eadem immutari possint; *quin de eo, quod acquiritur, conveniri possit, cuinam acquirere debeant, dubitandum non est.*

Hic vero non quæritur, quid juris ex pacto, sed quid ex societate conjugali nascatur. Atque hoc ante constare debet, quam judicium fieri possit, quid pactis conveniat, ut sint æqua, non iniqua: sit ita, quod jure externo pactis validitatem non semper detrahat iniquitas. Utile quoque est talia nosse, ut constet, quid lege positiva recte constituatur, prouti suo loco elucescet.

§. 427.

Operarum, quas uxor præstat, divisio.

Operæ obsequiales, seu officiales dicuntur, quarum ratio sufficiens in fine matrimonii continetur, cur ab uxore præstandæ sint, veluti ad œconomiam & liberorum educationem spectantes. *Artificiales* vero appellantur, quarum ratio sufficiens ex sola matrimonii notione reddi nequit. Sunt hæ vel ministeriales, vel simplices. Nimirum *operæ artificiales ministeriales* sunt, quæ fiunt in ministerium mariti, veluti si maritum juvet uxor in opificio, vel mercatura. *Operæ artificiales simplices* vocantur, quæ in ministerium mariti non fiunt, veluti si lotrix fuerit, netrix aut obstetrix, vel si mercaturam suo nomine exerceat.

Operæ, quæ rationem sufficientem in fine matrimonii habent, ad uxorem omnes promiscue spectant, cum quilibet, qui societatem contrahit, obligetur & ad ea facienda, quæ finis hujus societatis imperat (§. 7.). Enimvero quæ in fine matrimonii rationem sufficientem non habent, sed ut ratio sufficiens adsit, aliæ præterea determinationes eidem superaddendæ sunt, cum nonnisi posita ratione sufficiente ponatur id, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol.*), uxorum omnium communes esse nequeunt. Sane non quælibet uxor maritum juvare potest in opificio, vel mercatura, atque ideo hoc particulare quid est, sine quo finis matrimonii subsistere potest. Similiter non quævis uxor artem quandam callet, quam exercendo pecuniam acquirere potest. Unde sicuti ante patet, finem matrimonii sine illa subsistere posse.

§. 428.

De obligatione uxoris quoad operas obsequiales.

Quoniam ex fine matrimonii ratio sufficiens reddi potest, cur operæ obsequiales ab uxore præstari debeant (§. 427.), quilibet autem socius facere obligatur, quæ ad finem societatis consequendum facere potest (§. 7.); *uxor* quoque *ad operas obsequiales præstandas obligatur* (§. 270.), consequenter *eas negligere non debet* (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Operæ

BIU Cujas

Operæ obsequiales seu officiales ad officium uxoris ita pertinent, ut ab ea separari minime possint. Eas si omittit, in officio suo negligens est, nec facit, quæ uxori incumbunt. Et quoniam omnes obligationes sociorum ex fine æstimandæ veniunt (§. 10.), finis autem ad determinationes essentiales pertinet (§. 3. *h.* & §. 252. *Ontol.*); operæ obsequiales sunt de essentia matrimonii.

§. 429.

Quando operæ ministeriales debeantur.

Si uxor apta est ad operas ministeriales & per obsequiales vacaverit, ad illas marito obligatur. Etenim maritus per operas suas acquirere studet, quæ ad res domesticas comparandas requiruntur. Quamobrem cum etiam uxor ad eas comparandas conferre obligetur, quantum potest (§. 424.), operas quoque in ministerium mariti conferre debet, si apta fuerit, consequenter operas ministeriales marito debet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam vero operas obsequiales negligere minime debet (§. 428.); operas ministeriales, si ad eas apta fuerit, non debet, nisi per obsequiales vacaverit.

Cum nemo obligetur ad impossibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); facile patet, uxorem ad operas ministeriales minime obligari, si ad eas apta non fuerit. Atque hinc porro liquet, cur non quælibet uxor ad eas præstandas obligetur, consequenter earum ratio sufficiens in fine matrimonii non contineatur: tales enim esse debent operæ, quibus maritus acquirit necessaria vitæ præsidia, ut eas etiam fœmina præstare possit, cumque habitus istiusmodi operas præstandi acquirendus sit, porro necesse est, ut eodem polleat uxor.

§. 430.

Quando artificiales simplices.

Si uxor operas artificiales simplices præstare possit & per obsequiales vacaverit; naturaliter ad has quoque obligatur. Etenim per operas acquiritur pecunia, quibus res domesticæ comparari possunt, quod per se patet. Quamobrem cum uxor ad eas comparandas conferre debeat, quantum potest (§. 424.); si per operas sibi proprias, quæ non fiunt in ministerium mariti, pecuniam acquirere potest, ad hoc obligatur. Quoniam tamen obsequiales negligere minime debet (§. 428.), per istiusmodi operas nec acquirere pecuniam tenetur, nisi quatenus per operas obsequiales vacaverit. Quamobrem cum operæ, quæ non fiunt in ministerium mariti, sint artificiales simplices (§. 427.); naturaliter quoque uxor ad operas artificiales simplices obligatur, si eas præstare possit & per obsequiales vacaverit.

Probe tenendum est, sermonem hic esse non tantummodo de potentia physica, verum etiam morali, quæ posterior in statu potissimum civili attendenda venit, ubi quivis labor non convenit dignitati conjugum, quamvis etiam in statu naturali non quivis labor deceat omnes. Cavendum itaque, ne propositionem præsentem latius interpretemur, quam par est. Quid enim fieri ab uxore possit, ex circumstantiis dijudicandum.

§. 431.

Quid lucri nomine veniat in societate conjugali.

Lucrum appellatur, quod per operas conjugum acquiritur, deductis impensis, quæ matrimonii causa fiunt.

Nimirum lucrum in genere appellatur res, qua fimus locupletiores (§. 613. *p. 3. Jur. nat.*). Conjuges itaque cum ex eo, quod acquirunt, non fiant locupletiores, nisi quatenus, deductis impensis quas matrimonii causa facere tenentur, quid relinquitur; pro lucro reputandum non est, nisi quod deductis impensis fuit acquisitum.

§. 432.

BIU Cujas

§. 432.

An uxor propter operas ministeriales fiat particeps lucri.

Naturaliter uxor participat lucrum pro rata operarum ministerialium. Etenim si uxor operas ministeriales præstat marito, quod per eas acquiritur, non minus ab ipsa, quam a marito acquiritur, consequenter cum lucrum sit, quod deductis impensis, quæ matrimonii causa fiunt, supereſt (§. 431.), lucrum conjugum commune est, si operas ministeriales marito præstitit uxor. Quoniam vero non æquales operas præstiterunt uxor atque maritus; ideo lucrum commune pro rata operarum dividendum, consequenter uxor naturaliter participare debet lucrum pro rata operarum ministerialium.

Naturali huic æquitati conveniunt mores Hassorum. In Hassia enim uxor plebeja partem bonorum in matrimonio per operas acquisitorum accipit, marito mortuo. Nec ab ea abeunt aliæ leges positivæ, quas sub examen revocare præsentis instituti non est.

§. 433.

De iis, quæ per operas artificiales simplices acquirantur.

Quæ uxor per operas artificiales simplices acquirit, ea ipsius sunt, de iis tamen in res domesticas comparandas impendere tenetur, quantum pro datis circumstantiis requiritur. Etenim operas artificiales simplices nec finis matrimonii per se, nec ministerium mariti exigit; sed contingit fœminas tales præstare ac per eas aliquid acquirere posse. Quodsi ergo per eas aliquid acquirit; nulla sane ratio est, cur quod acquiritur, vel mariti, vel commune esse debeat. Quamobrem cum id, quod nec mariti, nec commune esse potest, ipsi proprium esse debeat, quæ per operas artificiales simplices acquirit, ea ipsius sunt. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam uterque conjux ad res domesticas comparandas conferre debet, quantum potest (§. 424.), quin de eo, quod per operas artificiales simplices acquirit uxor, illis comparandis impendere teneatur, quantum pro datis circumstantiis requiritur, dubitandum non est. *Quod erat alterum.*

In genere dici nequit, quantum in res domesticas comparandas de eo, quod per operas artificiales acquirit uxor, impendi debeat. Quoniam enim naturaliter uxor plus impendere debet, quam maritus, si plus acquirit, non tantum, quantum maritus, si non tantum, quantum ille acquirit; ex circumstantiis utique dijudicandum, quantum ipsa conferre teneatur. Quamobrem fieri potest, ut, quicquid acquirit, ad ferenda onera matrimonii conferre teneatur; fieri quoque potest, ut omne sit in lucro ipsius, consequenter meri arbitrii, quid facere constituerit. Non est, quod difficultates urgeas, quæ hinc oriri possunt. Hic enim tantummodo quæstio est de jure, non quid fieri pro casu emergente suadeat prudentia.

§. 434.

Quinam per operas artificiales simplices lucretur.

Quoniam per operas artificiales simplices uxor sibi acquirit (§. 433.), lucrum vero est, quod deductis impensis, quæ matrimonii causa fiunt, a conjugibus fuit acquisitum (§. 431.); *ex iis, quæ uxor per operas artificiales simplices acquirit, lucri nihil maritus percipere potest, sed lucrum omne manet uxoris.*

Nihil in hisce difficultatis est, modo consideres, cum eadem teneat conjuges obligatio, tam quoad educationem prolis, quam quoad seipsos, prouti ex iis, quæ passim demonstrata sunt, manifestum est, uxorem perinde per operas artificiales simplices sibi acquirere, quam maritum per operas, quibus ipse acquirit. Et quemadmodum ex eo, quod maritus acquirit, nihil lucri percipit uxor, ita similiter nihil lucri percipere potest maritus de eo, quod per operas suas acquirit uxor. Ex pacto conjugali, qua tali, si nimirum nullum aliud pactum adjiciatur, nulla sequitur inæqualitas inter maritum & uxorem.

§. 435.

BIU Cujas

§. 435.

De dominio uxoris in bonis suis. ***Uxor naturaliter dominium retinet in bonis, quæ habet, dum nubet, vel quæ durante matrimonio quomodocunque eidem obveniunt.*** Quæ enim a conjugibus acquiruntur naturaliter communia non sunt, sed quatenus acquisita vel sunt in rerum numero, quarum usum exigit societas conjugalis, vel in has comparandas impenduntur, illorum usus communis est (§. 426.). Quamobrem si uxor, dum nubet, bona quædam habeat, vel etiam quædam durante matrimonio quomodocunque eidem obveniant, ea communia non sunt, consequenter uxoris propria manent, cumque fructus ex iis percepti ad ea pertineant, quæ ipsa acquirit, hi quoque ipsius sunt. Patet itaque uxorem naturaliter dominium retinere in bonis, quæ habet, dum nubet, vel quæ durante matrimonio quomodocunque eidem obveniunt.

Non est, quod objicias, uxorem de iis, quæ acquirit, ad ferenda onera matrimonii conferre debere, quod potest (§. 424.). Hoc enim pertinet ad rectum dominii usum (§. 167. *part.* 2. *Jur. nat.*). Obligatio autem dominio recte utendi non minuit ipsum dominium, quemadmodum obligationem non tollit libertas naturalis (§. 159. *part.* 1. *Jur. nat.*). De marito nemo est, qui dubitet, quod dominium in bonis, quæ habet, dum uxorem ducit, & in iis, quæ durante matrimonio acquirit, habeat. Nulla igitur ratio est, cur non idem jus competere debeat uxori, quod competit marito, sed hic melioris conditionis esse debeat, quam uxor. Recolenda animo hic sunt, quæ modo ad propositionem præcedentem annotavimus (*not.* §. 434.).

§. 436.

De jure in bonis conjugum sibi invicem constituendo. ***Uxor per pactum marito constituere potest jus in bonis suis, quale voluerit, & vicissim quoque maritus uxori in suis.*** Dominus enim alteri jus quodcunque constituere potest in re sua (§. 982. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum bonorum nomine veniant res, quæ sunt in dominio, universim spectatæ (§. 448. *part.* 2. *Jur. nat.*), & jus alteri in re sua constituatur naturaliter pacto (§. 988. *part.* 3. *Jur. nat.*), uxor quoque marito & vicissim maritus uxori jus in bonis suis constituere potest, quale voluerit.

Absit itaque tibi persuadeas juri naturæ repugnare, ut marito competat aliquod jus in bonis uxoris, vel contra.

§. 437.

Quid hic tribuendum sit moribus. Quoniam uxor marito & maritus uxori jus quoddam constituere potest in bonis suis, quale voluerit (§. 436.), matrimonium autem contrahentes in id tacite consensisse præsumuntur, quod moribus obtinet (§. 248. *part.* 2. *Jur. nat.*), nisi expresse aliter fuerit conventum; *si moribus obtinet, ut marito competat aliquod jus in bonis uxoris, vel uxori in bonis mariti, id pacto tacito in iisdem constitutum intelligitur, dum matrimonium fuit contractum.*

Nullam hic mentionem facimus juris positivi, quippe quod non obtinet nisi in statu civili, de quo hic nondum agitur.

§. 438.

De usufructu mariti in bonis uxoris. Quia uxor marito constituere potest jus in bonis suis, qualecunque voluerit (§. 436.), ususfructus vero est servitus (§. 1420. *part.* 5. *Jur. nat.*), & per consequens jus alteri in re sua constitutum (§. 1267. *part.* 5. *Jur. nat.*); *uxor marito usumfructum in bonis suis constituere potest, & ubi moribus receptum est, ut maritus habeat in bonis uxoris usumfructum, eundem quoque in iis habere debet, nisi expresse aliter fuerit conventum* (§. 437.).

Na-

BIU Cujas

Naturaliter itaque maritus usumfructum in bonis uxoris acquirere nequit, nisi per pactum vel expressum, vel tacitum.

§. 439.

Similiter quia uxor marito, maritus uxori per pactum constituere potest jus in bonis suis, qualecunque voluerit (§. 436.), pro parte quoque dominium conferre possunt sibi invicem in bonis suis indivisis, consequenter cum communio bonorum introducatur, si plures in re indivisa conjunctim pro parte rata dominium habent (§. 126. *part. 2. Jur. nat.*); *naturaliter matrimonium contrahentes convenire possunt, ut bona ipsorum sint communia.* *De communione bonorum in matrimonio.*

Talia probe notanda sunt, ut intelligatur, cum quid lege positiva constitui possit, tum quod non obstante lege positiva in contrarium pacisci liceat.

§. 440.

Eodem modo patet, *matrimonium contrahentes contrahere* quoque *posse societatem universalem, tam bonorum, quam omnium fortunarum, & particularem quoad ea, quæ ex certis rebus, vel certa negotiatione proveniunt* (§. 1330. 1331. *part. 4. Jur. nat.*), *& ita etiam conveniri posse, ut tam per operas ministeriales, quam artificiales simplices uxor non acquirat nisi marito.* *De societate bonorum a conjugibus contracta & pacto quoad operas ministeriales & artificiales simplices.*

Quid obtineat, si societas bonorum, vel omnium fortunarum, aut etiam societas particularis contrahatur, patet ex iis, quæ de hisce societatibus demonstrata sunt (§. 1333. *& seqq. p. 4. Jur. nat.*), ut adeo opus non sit, ea hic denuo repeti. Quamvis vero de bonis suis non uno modo disponere possint conjuges, dum matrimonium contrahunt, immo postquam matrimonium etiam contractum fuit & in matrimonio quocunque tempore, si quidem solum jus naturæ spectes, in genere tamen dici nequit, quidnam horum consultius sit. Pro diversitate enim circumstantiarum nunc hoc, nunc illud rectius fit. Jure autem externo standum est eo, de quo conventum fuit (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), nec attenditur, quidnam sit melius. Ex pacto nimirum alteri nascitur jus, non ex eo, quod sit melius.

§. 441.

Uxor bonorum suorum administrationem marito committere potest, & vicissim maritus bonorum quoque suorum administrationem committere potest uxori, si ad administrandum apta fuerit. Committi autem ea potest sive absolute, sive certa lege. Etenim vi dominii unusquisque de re sua, consequenter & de administratione bonorum suorum pro arbitrio suo disponere potest (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Quodsi ergo quis nolit bona sua ipsemet administrare, administrationem committere alii potest, cuicunque voluerit. Quamobrem uxor quoque bonorum suorum administrationem marito, & maritus vicissim uxori committere potest, modo hæc ad administrandum apta sit. *Quod erat unum.* *Quinam bona administrare debeat in matrimonio.*

Et quoniam a voluntate committentis pendet, quomodo seu qua lege jus administrandi bona sua in alterum transferre velit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); administratio quoque bonorum sive absolute, sive certa lege conjugi a conjuge committi potest, prouti commodum visum fuerit. *Quod erat alterum.*

Naturaliter bona administrare debet, qui ad administrandum maxime aptus & cui per alia negotia vacat, si jus internum respiciamus, quippe cum lex naturæ nos obliget ad recte agendum (§. 189. *part. 1. Philos. pract. univ.*) & ad melius præferendum (§. 191. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Jure autem externo valet, quod placuerit domino, vi dominii (§. 118. *p. 1. Jur. nat.*). Qui itaque dicunt, administrationem bonorum competere marito propter præstantiam sexus, aut sine ratione hoc asserunt, consequenter precario id sumunt, aut tacite volunt, maritum ad

BIU Cujas

administrandum bona aptiorem esse uxore: id quod tamen universaliter verum non est. Ac præterea patet, tum a jure interno perperam concludi ad exterhum. Aptitudo enim ad administrandum minime dat jus administrandi.

§. 442.

Impensæ quid sint. *Impensa* dicitur omne id, quod in rem aliquam impenditur. Hinc *in æstimandis impensis ratio etiam habetur curæ ac operarum, non modo pecuniæ atque rerum, in rem quandam aliam impensarum, immo etiam temporis, quod alias aliter collocari potuisset.*

§. 443.

Sumtus quid sit. *Sumtus* dicitur pecunia, quæ in rem aliquam impenditur. Quamobrem cum omne id, quod in rem aliquam impenditur, impensa sit (§. 442.); *sumtus omnes impensæ sunt, sed non impensæ sunt sumtus.*

Ex. gr. Ponamus ædibus dirutis extrui novas. Ligna & lapides, quæ ex ædibus dirutis impenduntur in novas, ad impensas pertinent, non ad sumtus. Pecunia vero, quæ erogatur pro materia comparanda & quæ tanquam merces solvitur pro operis, sumtus sunt, quos in extructionem ædium facimus.

§. 444.

Sumtus educationis quinam sint Quoniam pecunia, quæ in rem aliquam impenditur, sumtus sunt (§. 443.); *pecunia, quæ impenditur in educationem prolis, sunt sumtus educationis, si quæ vero res aliæ in eandem impenduntur*, cum impensa sit, quod in rem aliquam impenditur (§. 442.), *eæ ad impensas educationis referuntur.*

Ita parentes sumtus faciunt educationis, si pecuniam in vestimenta liberorum impendunt; impensas vero, si vestes suas in ea impendunt, aut mater ex linteo suo indusia eorum facit, & ubi ipsa facit, sumtui denuo parcit, atque operam suam impendit.

§. 445.

De sumtibus educationis & impensis in eandem faciendis. *Uterque conjux ad sumtus educationis conferre tenetur, quod potest, ac præterea eas facere in eandem impensas, quas facere potest.* Etenim uterque conjux ad educationem conferre debet, quod potest (§. 305.). Quamobrem cum constet sine sumtu aliisque impensis, prolem educari non posse; uterque etiam conjux ad sumtus educationis conferre tenetur, quod potest, ac præterea eas facere in eandem impensas, quas facere potest.

Prudentiæ œconomicæ est, ut conjuges res, si quas habent, impendant in prolem, ut sumtibus parcant. Vide exemplum, quod modo dedimus (*not.* §. 444.).

§. 446.

De conjuge inope. Quoniam ad sumtus educationis uterque conjux conferre debet, quantum potest (§. 445.); *si uxor fuerit inops, nec per operas suas aliquid acquirere valeat, maritus solus sumtus educationis facere tenetur, uxor tamen, si quas res habet, quibus carere potest, ut sumtui parcatur, eas impendere debet. Idem valet de marito inope, sed uxore divite.*

Nimirum quilibet conjux confert pro modo facultatum suarum, neque enim onus, quod commune est, uni incumbere debet, nisi necessitas aliud exigat, quæ legem non habet.

§. 447.

BIU Cujas

§. 447.

Conjuges communi sumtu res domesticas comparare tenentur pro facultatibus uniuscujusque. Etenim ad comparandas res domesticas uterque conjux conferre debet, quantum potest (§. 424.). Quamobrem cum res pecunia comparentur, pecunia vero, quæ in eas impenditur, sumtus sit (§. 443.); conjuges communi sumtu res domesticas comparare tenentur pro facultatibus uniuscujusque. *De sumtibus in res domesticas faciendis.*

Tenenda hic quoque sunt, quæ de sumtibus educationis modo annotavimus (*not.* §. 446.).

§. 448.

Onera matrimonii dicuntur omnes impensæ, consequenter etiam omnes sumtus (§. 443.), matrimonii causa faciendæ. Quoniam sumtus educationis & impensæ quæcunque aliæ in eandem matrimonii causa fiunt (§. 270.); *sumtus educationis & quæcunque impensæ aliæ in eandem onera matrimonii sunt.* *Onera matrimonii quid sint.*

Onus in matrimonio habetur omne id, ad quod præstandum præter debitum conjugale tenentur conjuges, quia matrimonium contraxerunt, præstare autem non necesse haberent, si solutæ essent. Hinc onus matrimonii est, si maritus etiam uxori prospicere debet de alimentis, medicamentis & rebus ad vitæ commoditatem ac jucunditatem spectantibus, a quo onere liber foret, si matrimonium non contraxisset.

§. 449.

Conjuges conjunctim onera matrimonii ferre tenentur pro modo facultatum suarum. Uterque conjux impensas in educationem prolis (§. 445.) & sumtus in comparandas res domesticas facere debet, quantum potest, pro modo scilicet facultatum suarum (§. 447.). Quamobrem cum impensæ, consequenter & sumtus matrimonii causa faciendi onera matrimonii sint, & ad hæc etiam referantur sumtus educationis & impensæ in eam faciendæ (§. 448.); conjuges conjunctim onera matrimonii ferre tenentur, pro modo facultatum suarum. *Quinam onera matrimonii ferre debeat.*

Qui matrimonium contrahunt, tacite quoque consentiunt in onera matrimonii ferenda. Ea igitur quasi humeris suis imponunt. Quemadmodum vero nemo obligari potest ad ferendum maiorem oneris communis partem, quam cui vires suæ sufficiunt; ita etiam onus matrimonii ita distribuendum est, ut utraque pars ferat, quantum potest, consequenter ut conjuges ferant onera matrimonii pro modo facultatum suarum.

§. 450.

Onera matrimonii pro modo facultatum conjugum commodissime distribuuntur, si quæ per operas & ex rebus eorum acquiruntur, in unam massam conferantur, & lucrum inter eos dividatur in ratione acquisitorum. Etenim si acquisita per operas & ex rebus conjugum conferantur in unam massam, & de ea fiant impensæ, quas matrimonium exigit, cum quod uterque conjux acquirit, suum sit (§. 426.), unusquisque conjugum onera matrimonii fert (§. 448.). Enimvero si lucrum, consequenter id, quod deductis impensis matrimonii causa factis relinquitur (§. 431.), in ratione acquisitorum inter eos dividatur; unusquisque fert onera matrimonii pro modo facultatum suarum. Patet itaque onera matrimonii pro modo facultatum conjugum commodissime distribui in ratione acquisitorum (§. 465. *part.* 1. *Jur. nat.*). *Quando onera matrimonii pro modo facultatum distribuenda.*

Nulla sane ratio est, cur conjux unus plus onerari debeat altero. Plus autem oneratur, si onera matrimonii ferre teneatur, & nihil lucri participet. Perinde hoc foret, ac si quis societatem

BIU Cujas

tatem contrahens tantummodo particeps esse deberet damni, non vero lucri, quod absurdum (§. 1328. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quod vero maxime incommodum foret, si quilibet conjux sibi haberet, quod suum est, & quando impensæ fieri debent, in casibus particularibus determinandum foret, quid pro modo facultatum utriusque conferri debeat, nemo non videt. Omnia autem ista incommoda evitantur, si acquisita in communem quandam massam conjiciantur, de qua impensæ fiant, & lucrum deinde pro rata dividatur.

§. 451.

Quid circa onera matrimonii ferenda maxime conveniat juri naturæ.

Quoniam onera matrimonii pro modo facultatum omnium commodissime distribuuntur, si quæ per operas & ex rebus conjugum acquiruntur, in unam massam conjiciantur, & lucrum deinde pro ratione acquisitorum dividatur, lege autem perfectiva obligamur ad id, quod melius est, præferendum alteri (§. 192. 193. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *legi naturæ perfectivæ convenit, ut acquisita in communem massam conferantur, & lucrum in ratione acquisitorum dividatur.*

Nimirum acquisita conferuntur in communem massam, ut impensæ fiant conjunctim ab utroque conjuge: lucrum autem dividitur in ratione acquisitorum, ut impensæ fiant pro modo facultatum, nec pars una magis gravetur altera. Quodsi singula probe perpenderis, quæ demonstrata sunt; facile intelligis, hoc modo *nihil* committi, quod sit contra jus conjugis unius, vel alterius naturaliter eidem competens, ut ideo neuter conjugum de injuria sibi facta, vel de iniquitate justas querelas movere possit.

§. 452.

Si conjuges tantundem acquirere nequeant, quantum ad ferenda onera matrimonii requiritur.

Si conjuges per operas suas & ex rebus suis tantundem acquirere nequeunt, quantum ad onera matrimonii ferenda sufficit; de ipsis bonis, quæ habent, conjunctim pro rata bonorum seu in ratione eorundem conferre tenentur, quod adhuc requiritur. Etenim si conjuges per operas suas & ex rebus suis tantundem acquirere nequeunt, quantum ad onera matrimonii ferenda sufficit, per se patet, quod adhuc deest, ex bonis eorum, seu rebus, quas habent, supplendum esse. Enimvero cum onera matrimonii conjunctim ferenda sint pro modo facultatum utriusque conjugis (§. 449.); quæ desunt, supplenda non sunt ex bonis conjugis unius, sed potius utriusque pro rata bonorum, quæ uterque conjux habet.

Naturale igitur non est, ut bona uxoris sint salva, & sola mariti bona impendantur. Ceterum cum res utiles voluptuariis, necessariæ autem utriusque sint præferendæ (§. 502. *part.* 1. *Jur. nat.*); facile patet, utilibus ac voluptuariis esse carendum, si acquisita non sufficiant ad comparandum easdem, vel solis voluptuariis carendum esse, si utiles adhuc haberi possint. Ad abusum pertinet, si quis bona, quæ conservare tenetur (§. 458. 452. *p.* 2. *Jur. nat.*), rebus utilibus ac voluptuariis impendit, cum in necessarius acquiescere deberet, consequenter qui hoc facit, bona sua dilapidat (§. 459. *part.* 2. *Jur. nat.*); quod facere non licet (§. 460. *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 453.

De alienatione & oppignoratione rerum, quæ sunt conjugum.

Naturaliter maritus res uxoris alienare & oppignorare nequit, nec vicissim uxor alienare & oppignorare potest res mariti. Etenim naturaliter uxor dominium retinet in bonis, quæ habet, dum nubet, vel quæ durante matrimonio eidem quomodocunque obveniunt (§. 435.). Quamobrem cum maritus non sit dominus rerum, quæ sunt uxoris (§. 121. *part.* 2. *Jur. nat.*), nemo autem rem alienare potest, nisi dominus (§. 668. *part.* 2. *Jur. nat.*); naturaliter quoque dominus res uxoris alienare nequit. *Quod erat primum.*

Similiter quia oppignoratione alteri constituitur jus in re oppignorata (§. 1142. 1143. *part.* 5. *Jur. nat.*), nemo autem alteri jus quoddam constituere potest nisi dominus (§. 983. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec maritus res uxoris oppignorare potest. *Quod erat secundum.*

Eo-

BIU Cujas

Eodem modo ostenditur, nec uxorem res mariti alienare & oppignorare posse. *Quod erat tertium & quartum.*

§. 454.

Si in bonorum communionem consensere conjuges; res alienari & oppignorari nequeunt, nisi utriusque consensu. Etenim in communione positiva nullus actus dominii validus absque consensu eorum, qui in ea sunt (§. 141. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum alienatio rei (§. 668. *part.* 2. *Jur. nat.*) & oppignoratio sit actus dominii (§. 1142. 1143. *part.* 5. & §. 983. *part.* 3. *Jur. nat.*); si in bonorum communionem consensere conjuges, res alienari & oppignorari nequit, nisi utriusque consensu. *Si conjuges in communionem bonorum consenserunt.*

Notandum est, quoad propositionem tam præsentem, quam præcedentem, naturaliter uxorem ac maritum æquale jus habere, nec præstantiam sexus, qui terminus obscurus & vagus est, marito tribuere jus potius, sed, si quod habet, id pacto expresso, vel tacito debere esse quæsitum.

§. 455.

Si conjux unus rem suam alienare vel oppignorare velit in præjudicium alterius; conjux alter hoc permittere non tenetur. Etenim si conjux unus rem suam alienare vel oppignorare velit in præjudicium alterius, alienatio vel oppignoratio fit contra jus hujus (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero cuilibet competit jus non patiendi, ut quis ipsum lædat (§. 913. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter ut quid faciat, quod est contra jus ipsius (§. 920. *part.* 1. *Jur. nat.*). Conjux igitur unus permittere non tenetur, ut alter rem suam alienet, vel oppignoret in præjudicium ipsius. *Quando conjux prohibere possit, ne alter conjux rem suam alienet, vel oppignoret.*

Conjux uterque onera matrimonii ferre debet pro modo facultatum suarum (§. 449.), & ea omnino commodissime distribuuntur, si acquisita in unam massam conjiciantur, de qua nimirum sumtus ac impensæ ceteræ matrimonii causa fiunt (§. 448.), lucrum vero inter conjuges dividatur (§. 450.). Hinc facile intelligitur, alienationem vel oppignorationem fieri in præjudicium alterius conjugis, si per eam majus onus ipsi imponitur, ac ipse lucro quodam privetur, quod alias eidem obventurum fuisset.

§. 456.

Conjux unus rei conjugis alterius servitutem imponere nequit: nec si in bonorum communionem consensere conjuges, servitus imponi potest, nisi utriusque conjugis consensu. Qui enim servitutem rei imponit, jus quoddam in ea constituit alteri (§. 1267. *p.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo alteri jus quoddam constituere possit nisi dominus (§. 983. *part.* 3. *Jur. nat.*), naturaliter autem uxor in rebus suis dominium habet (§. 435.), nec quin habeat maritus in suo quisquam dubitat; conjux quoque unus rei conjugis alterius servitutem imponere non potest. *De servitute rebus conjugum imponenda.*

Quoniam vero servitutis constitutio est actus dominii, *per demonstrata*, in communione autem positiva nullus actus dominii validus absque consensu eorum, qui in ea sunt (§. 141. *part.* 3. *Jur. nat.*); si conjuges in bonorum communionem consensere, servitus rebus ipsorum imponi nequit, nisi utriusque conjugis consensu. *Quod erat alterum.*

Nolumus ea persequi ulterius, quæ a pactis veniunt, sive expressis, sive tacitis, cum ex eo, quod conventum, metiendum sit jus. Sufficit itaque constare, uxorem marito & maritum uxori jus in rebus suis constituere posse, quale voluerit (§. 436.), & quando idem quoque tacite constituatur (§. 437.).

§. 457.

BIU Cujas

§. 457.

De rebus immobilibus pecunia a conjugibus acquisita comparatis.

Si pecunia per operas vel ex rebus conjugum acquisita res immobiles comparantur, eædem pertinent ad lucrum commune conjugum. Etenim si res immobiles comparantur pecunia per operas, vel ex rebus conjugum acquisita; evidens est, hanc pecuniam esse acquisitam deductis impensis matrimonii causa faciendis, consequenter lucrum commune conjugum esse (§. 431. 450.). Quodsi ergo eadem res immobiles comparentur, cum lucrum imminui nequeat in præjudicium alterius conjugis (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), res quoque istæ ad lucrum conjugum commune pertinent.

Non quæstio est de dominio rei, sed saltem de eo, num pretium ejus veniat in computationem lucri communis. Patet vero attendendum esse pretium, quod pro ea solutum.

§. 458.

De damno in rebus conjugum contingente.

Si damnum contingit in re uxoris, ejus est damnum, & similiter damnum mariti est, quod in re sua contingit: quodsi bona fuerint communia, damnum commune est, & quod datur in bonis acquisitis, lucro communi conjugum decedit. Si enim damnum in re contingit, cum damnum in jactura sui consistat (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*), aut res perit (§. 355. *part.* 2. *Jur. nat.*), aut deterioratur, consequenter quoniam rei deterioratæ pretium imminuitur, quasi pars ejus perit. Enimvero res perit suo domino (§. 356. *part.* 2. *Jur. nat.*) &, quando deterioratur, damnum domino datur (§. 617. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum uxor naturaliter dominium retineat in bonis, quæ habet, dum nubet, vel quæ durante matrimonio quomodocunque eidem obveniunt (§. 435.); si damnum datur in re uxoris, ejus est damnum. *Quod erat primum.*

Et quoniam nemo dubitat, quin marito soli competat dominium in rebus suis, quas habet, si matrimonium contrahentes non consenserunt in bonorum communionem; damnum, quod contingit in rebus mariti, ejus similiter esse debere eodem modo intelligitur. *Quod erat secundum.*

Quodsi bona fuerint communia, cum in communione positiva damnum pro rata commune sit (§. 135. *part.* 3. *Jur. nat.*), damnum quoque conjugum commune esse debet, quod in rebus ipsorum contingit. *Quod erat tertium.*

Quodsi damnum contingat in rebus acquisitis, jactura fit ejus, quod acquisitum fuerat (§. 486. *part.* 2. *Jur. nat.*), adeoque perinde est, ac si acquisitum non fuisset (§. 487. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque lucrum conjugum est, quod a conjugibus acquiritur deductis impensis matrimonii causa factis (§. 431.); si damnum in bonis acquisitis contingit, lucrum istud imminuitur, adeoque illud, cujus jactura fit, eidem decedit. *Quod erat quartum.*

Facile patet, sermonem hic esse de damno, quod datur casu, vel dolo aut culpa alterius cujusdam, quam conjugis. Tale est damnum, si incendio conflagrent ædes, sive fulgure fuerint tactæ, sive ab incendiario ignes fuerint subjecti, sive quocunque casu funesto ortum fuerit incendium. Tale etiam est, si inundatione vastentur agri, si furto auferantur res mobiles, si debitor, cui pecunia credita, fuerit non solvendo. Ceterum quartum etiam ostendi poterat ex eo, quod res immobiles pecunia acquisita comparatæ pertineant ad lucrum conjugum (§. 457.), sed propositionis sensus fieret restrictior.

§. 459.

De damno culpa vel dolo conjugis dato.

Si conjux unus dolo vel culpa sua alteri det damnum, id resarcire tenetur. Etenim qui dolo vel culpa sua alteri dat damnum, id resarcire tenetur (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam conjux conjugi resarcire tenetur damnum, quod dolo, vel culpa sua eidem dat.

Valet,

BIU Cujas

Valet hoc, sive in communionem bonorum consenserint conjuges, sive unusquisque sibi reservarit dominium in rebus suis. Etenim damnum quoque pro rata patitur, qui in communione positiva est, quando in re communi datur damnum.

§. 460.

Conjux unus curam gerere debet vitæ, sanitatis, commoditatis ac felicitatis alterius conjugis. Etenim conjuges rerum necessariarum, utilium ac voluptuariarum usum sibi invicem communicare & ad eas comparandas conferre debent, quantum possunt (§. 424.). Quamobrem cum res necessariæ sint, quibus vita ac sanitas conservatur, & quæ ad animam perficiendam requiruntur (§. 499. *part.* 1. *Jur. nat.*), res vero utiles sint, quæ ad vitam commode degendam faciunt (§. 500. *part.* 1. *Jur. nat.*) & voluptuariæ, quæ ad jucunditatem vitæ pertinent (§. 501. *part.* 1. *Jur. nat.*); conjux unus prospicere debet vitæ, sanitati, perfectioni animæ, consequenter virtutibus intellectualibus ac moralibus (§. 548. *part.* 1. *Jur. nat.*), itemque commoditati & jucunditati, & quoniam felicitas a virtute unice pendet (§. 400. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), etiam felicitati alterius. Patet itaque, quod conjux unus curam gerere debeat vitæ, sanitatis, commoditatis ac felicitatis conjugis alterius. *Cura conjugis quoad alterum conjugem.*

Quodsi demonstrationes anteriores intime perspexeris, facile intelliges, curam hanc, de qua in propositione præsente loquimur, pertinere ad officia conjugum & ex ipsa notione matrimonii fluere. Et ubi in sequentibus ostenderimus, qualis esse debeat parentum cura circa educationem liberorum, multo clarius adhuc elucescet, quod matrimonium requirat talem animorum unionem, qualis ad curam præsentem requiritur.

§. 461.

Conjux unus qua conjux alterum diligere debet tanquam seipsum. Etenim conjux unus curam gerere debet felicitatis alterius (§. 460.), adeoque quantum potest eandem promovere. Enimvero qui omni studio constanter id agit, ut alter sit felix, seu constantem & perpetuam habet voluntatem felicitatem alterius promovendi, is eundem diligit (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam conjux conjugem diligere debet. Et quoniam uterque conjux etiam seipsum diligere debet (§. 607. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter constantem ac perpetuam habere voluntatem felicitatem suam promovendi (§. 606. *part.* 1. *Jur. nat.*); conjux conjugis felicitatem promovere debet perinde ac propriam, consequenter conjux qua conjux conjugem diligere debet tanquam seipsum. *De amore mutuo conjugum.*

Naturaliter conjux tenetur diligere conjugem tanquam æque hominem (§. 618. *p.* 1. *Jur. nat.*). Matrimonium enim non tollit obligationem naturalem in se immutabilem (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Enimvero etiamsi ponamus per impossibile hominem naturaliter non obligari ad diligendum hominem quemcunque alium tanquam seipsum; vi tamen matrimonii conjux conjugem tanquam seipsum amare teneretur. Ad obligationem adeo connatam accedit etiam contracta (§. 17. 18. *part.* 1. *Jur. nat.*), ut ideo obligatio conjugis ad diligendum conjugem tanquam seipsum evadat fortior, & per consequens turpius ac gravius peccet conjux, si officio suo desit respectu conjugis, quam si id negligat respectu hominum aliorum.

§. 462.

Quoniam conjux unus qua conjux alterum diligere debet tanquam seipsum (§. 461.), non tantummodo vi obligationis omnium hominum communis, (§. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*), quando vero duo officia erga alios inter se colliduntur, illud vincit, ad quod major est obligatio (§. 230. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *conjux conjugem in dilectione præferre debet ceteris hominibus* (§. 208. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *De conjuge in dilectione ceteris præferendo.*

Peccat itaque maritus, si aliam quamcunque personam magis diligit, quam uxorem suam, & vicissim uxor, si aliam personam magis diligit, quam maritum suum.

§. 463.

BIU Cujas

§. 463.

De eodem præferendo in quolibet officiorum genere. *In quibuſvis officiis præſtandis conjux conjugem præferre debet aliis.* Etenim conjux conjugi qua conjux obligatur ad præſtanda ea officia, quæ homo homini debet (§. 460. *h. cit. & §. 609. p. 1. Jur. nat.*). Unde eodem, quo ante (§. 462.), modo patet, conjugem a conjuge aliis præferri debere in quovis officiorum genere.

Quodſi officia, quæ aliis debemus, ſigillatim perpendere velis, facile deprehendes, ea talia eſſe, quæ etiam conjux conjugi debet qua conjux, ut ideo neceſſe non fuerit, prolixius hoc oſtendi. Sane qui ſincere diligit conjugem, eidem quoque ad præſtanda quævis humanitatis officia erit paratus.

§. 464.

De dilectionis & amoris neceſſario nexu. *Qui alterum diligit, eundem quoque amat.* Qui enim alterum diligit, ei conſtans ac perpetua voluntas eſt felicitatem alterius promovendi (§. 617. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter eam ſibi repræſentat tanquam bonam (§. 892. *Pſych. empir.*), conſequenter animus ejus diſpoſitus eſt ad voluptatem percipiendam ex alterius felicitate (§. 558. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque alterum amat, cujus animus diſpoſitus eſt ad voluptatem percipiendam ex alterius felicitate (§. 633. *Pſych. empir.*); qui alterum diligit, eundem quoque amat.

Qui amorem & dilectionem pro ſynonymis habent, & amare ac diligere promiſcue uſurpant, illi mirabuntur nos demonſtrare, quod alterum amet, qui eundem diligit. Enimvero cum nos amorem a dilectione diſtinxerimus (§. 633. *Pſych. empir. & §. 617. part. 1. Jur. nat.*), a nobis quoque demonſtrandum fuit, dilectionem non poſſe concipi abſque amore.

§. 465.

De mutuo amore conjugum. Quoniam qui alterum diligit, eundem quoque amat (§. 464.), conjux vero qua conjux conjugem diligere debet tanquam ſeipſum (§. 461.); *conjux* etiam *qua conjux conjugem amare debet tanquam ſeipſum.* Et quoniam conjux conjugem in dilectione ceteris omnibus præferre debet (§. 462.); *conjux* quoque *conjugem in amore ceteris omnibus præferre debet*, conſequenter *maritus neminem magis amare debet uxore ſua, nec uxor quenquam magis amare debet marito ſuo.*

§. 466.

Effectus illius amoris. Quoniam conjux conjugem amare debet (§. 465.), qui vero alterum amat, is voluptatem eidem creare, tædium autem ſeu moleſtiam ab eo avertere ſtudet (§. 654. *Pſych. empir.*); *conjux omnem operam dare debet, ut conjugi voluptatem creet & tedium omne ſeu moleſtiam ab eo avertat.* Et quoniam id, ex quo voluptatem percipimus, nobis placet (§. 542. *Pſych. empir.*); *uxor ſtudere debet, ut placeat marito, & maritus viciſſim, ut placeat uxori.*

Qui itaque matrimonium contrahere volunt, probe conſiderare debent, utrum ſe invicem impenſe amare poſſint, nec ne. Amore enim mutuo uniuntur animi conjugum (§. 660. *Pſych. empir.*), ſine qua unione felicitas conjugum ſubſiſtere nequit.

§. 467.

De odio conjugum. Quia conjux qua conjux conjugem amare debet, nec quenquam magis, quam conjugem (§. 465.), qui vero alterum amat, eum odiſſe nequit (§. 623. *part. 1. Jur. nat.*); *conjux conjugem odio habere non debet, & conjugio maxime adverſatur, ut*

conjux

BIU Cujas

conjux conjugem odio habeat, consequenter cum inimicus sit, qui nos odio prosequitur (§. 626. *p.* 1. *Jur. nat.*), *inimicitia matrimonio maxime adversatur, seu eidem repugnat.*

Effectus odii e diametro adversantur effectibus amoris, quemadmodum patet ex collatione eorum, quæ de utroque affectu demonstravimus in Psychologia empirica. Quamobrem cum conjux conjugem in quibusvis officiis præstandis præferre debeat aliis (§. 463.), sine amore autem hoc fieri non possit; facile patet, si conjux conjugem oderit, eum defuturum omnibus officiis, quæ conjux conjugi debet.

§. 468.

Qui matrimonium contrahunt tacite, si non expresse sibi invicem promittunt, quod pars una neminem magis amare ac diligere velit, quam alterum, & quod in præstandis quibusvis officiis alteram præferre velit ceteris hominibus, & ad hoc pars una alteri sese perfecte obligat. Etenim conjux unus neminem magis diligere (§. 462.) & amare debet, quam conjugem alterum (§. 465.), ac in præstandis officiis quibusvis eundem præferre aliis (§. 463.). Quoniam hæc obligatio naturalis est (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ac ideo necessaria & immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter a matrimonio separari nequit (§. 290. 291. *Ontol.*); qui in matrimonium consentit, in illam quoque consentire intelligitur. Quamobrem si non expresse, tacite saltem promittit, quod neminem magis amare ac diligere velit quam conjugem suum, eundemque in præstandis officiis quibusvis præferre hominibus ceteris omnibus (§. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*) & quoniam promittendo nos alteri perfecte obligamus (§. 363. *part.* 3. *Jur. nat.*), personæ, cum qua matrimonium contrahit, ad hoc perfecte sese obligat. *Ad quænam officia matrimonium contrahentes se sibi invicem obligent.*

Ut hæc obligatio intimius perspiciatur, probe notandum est, tria in eadem consideranda esse, quæ hic concurrunt. Adest nimirum 1. obligatio universalis, qua scilicet homo homini tenetur (§. 11. *part.* 1. *Jur. nat.*). 2. Hanc ipsa matrimonii natura ad se trahit & superaddit prælationem conjugis in casu collisionis, ita ut si alteri officium humanitatis præstandum foret cum neglectu conjugis vel in ejus præjudicium, præstatio ejus non esse in potestate tua intelligatur. Ideoque ad obligationem universalem accedit singularis (§. 12. *part.* 1. *Jur. nat.*) de conjuge personis aliis in præstandis officiis humanitatis præferendo. Denique 4. superaccedit obligatio externa (§. 656. *part.* 3. *Jur. nat.*), qua conjux unus alteri sese obligavit ad satisfaciendum obligationi internæ, quæ ex universali & singulari coaluit: quam obligationem externam firmat naturalis, qua promissa servare tenemur (§. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*). Id hic notasse proderit etiam in aliis casibus.

§. 469.

Conjuges arctissime ita uniuntur, ut instar unius personæ spectari debeant, nec ita cum persona alia uniri possunt. Etenim conjuges sese sibi invicem obligant ad mutuum amorem, ita ut neuter personam aliam magis amare velit quam eam, cum qua matrimonium contraxit (§. 468.). Quamobrem cum mutuo amore duo ita uniantur, ut instar unius personæ spectari debeant (§. 660. *Psych. empir.*); ideo patet, conjuges arctissime ita uniri, ut instar unius personæ spectari debeant, nec ita cum persona alia uniri posse. *De unione conjugum.*

Unio conjugum est arctissima omnium, quæ concipi potest, cum non modo tribuat prælationem respectu ceterorum hominum omnium quoad singula officia humanitatis, verum etiam conjux unus alteri perfecte sese obliget ad hanc prælationem, dum matrimonium contrahitur. Unde scriptura dicit, quod fiant una caro, quasi corpora ipsorum, dum animi amore isto uniuntur, in unum coalescant, ut ideo quoad singula, quæ homo sibimetipsi debet, simul spectentur tanquam eadem persona, & respectu conjugum officia erga alios degenerare intelligantur in officia erga seipsum, consequenter quod conjux conjugi præstat perinde sit ac si sibimetipsi idem præstaret. Absit itaque ut existimes unionem conjugum absolvi sola copula carnali, qua in coitu corpora ipsorum conjunguntur (§. 309.). Propter hanc unionem conjux seipsum odisse dicitur, si conjugem odio habet, ita ut nihil naturæ humanæ magis adversum concipi debeat, quam odium conjugis sui.

BIU Cujas

§. 470.

Effectus illius unionis. Quoniam conjuges arctissime ita uniuntur, ut instar unius personæ spectandi sint, nec ita cum persona alia uniri possunt (§. 469.); *quæ homo sibi debet, ea etiam actu præstare tenetur conjugi alteri, & quæ uni conjugum eveniunt sive prospera, sive adversa, ea etiam alteri evenisse intelliguntur*, consequenter *ea omnia, quæ quis sibi debet, omnesque casus inter se communicant.*

Ex. gr. Ægrotat uxor: perinde est, ac si maritus ægrotaret. Quemadmodum itaque qui in morbum incidit, operam dare tenetur, ut sanitati restituatur (§. 413. *part.* 1. *Jur. nat.*); ita etiam maritus operam dare tenetur, ut uxor restituatur. Cumque perinde sit ac si uxori vires adhuc supererent sufficientes, quibus sibimetipsi facere posset ea, in quibus ope aliena indiget, ubi marito vires non desunt; ideo maritus quoque opem uxori ægrotæ ferre tenetur in iis, in quibus ope aliena indiget, consequenter opem ferre debet, quam potest. Et ubi absque medicamentorum usu sanitas restitui nequit, de iisdem uxori prospicere tenetur. Quilibet vitam suam conservare debet (§. 350. *p.* 1. *Jur. nat.*). Maritus igitur non minus sollicitus esse debet de conservanda vita uxoris, quam vita propria. Similiter defensionem uxoris ac famæ ipsius spectare maritus debet tanquam defensionem sui ac famæ suæ. Exempla hæc abunde docent, quomodo conjux conjugi mutuum adjutorium præstare debeat, ut opus non sit ad particularia descendere.

§. 471.

Quid sit consuetudo vitæ. Communicatio omnium officiorum, quæ unus alteri præstare potest, usus rerum, quas quis habet, ac omnium casuum, tam secundorum, quam adversorum, qui cuique evenire possunt, dicitur *Consuetudo vitæ.*

Consuetudo vitæ differt a communione bonorum (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec cum hac confundenda. Sumitur autem hic terminus in eo significatu, quem habet in Jure Romano §. 1. Inst. de patr. potest. Vid. *Manzius* in Comment. ad hoc t. §. 1. n. 10.

§. 472.

An communionem bonorum requirat. Quoniam consuetudo vitæ saltem exigit communicationem usus rerum (§. 471.), qui absque dominio subsistere potest (§. 136. *part.* 2. *Jur. nat.*), communio autem bonorum dominium rerum commune facit (§. 126. *part.* 2. *Jur. nat.*); *consuetudo vitæ absque communione bonorum subsistere potest.*

Quando itaque ad consuetudinem vitæ accedit communio bonorum, extrinsecus saltem eidem superadditur, & ista salva tolli potest, quando visum fuerit.

§. 473.

De consuetudine vitæ conjugum. *Naturaliter conjuges obligantur ad vitæ consuetudinem.* Etenim conjuges inter se communicare tenentur ea omnia, quæ unusquisque sibimetipsi debet & omnes casus, qui ipsis eveniunt, sive secundi fuerint, sive adversi (§. 470.). Enimvero hæc communicatio consuetudo vitæ est (§. 471.). Conjuges itaque ad vitæ consuetudinem naturaliter obligantur.

Hinc nuptiæ definiuntur ab Imperatore §. 1. Inst. de patr. pot. quod sint conjunctio maris & fœminæ perpetuam vitæ consuetudinem continens: ubi sub ea quoque comprehenditur communicatio usus corporum suorum, qui ad generationem prolis requiritur, & in cujus concessione debitum conjugale consistit (§. 309.). Nos hic demonstrare nondum potuimus, consuetudinem vitæ perpetuam esse debere, quia nondum demonstrari potest, quamdiu durare debeat matrimonium. Ceterum ex antea dictis patet, in consuetudine vitæ personam unam alteram spectare tanquam seipsum, ita ut quod evenit alteri id tibi evenisse existimes & quo indiget alter,

BIU Cujas

ter, eó te indigere putes. Quamobrem qui officia hominis erga seipsum in parte prima Juris naturæ demonstrata animo comprehendit, is data quavis occasione intelliget, quid debeat alteri, cum quo ipsi vitæ consuetudo intercedit. Quodsi a vitæ consuetudine removeas debitum conjugale, quod ad eam non per se requiritur, sed respectu matrimonii saltem eidem inesse intelligitur; facile patet naturaliter consuetudinem vitæ subsistere quoque posse inter personas, quæ matrimonium non contrahunt, consequenter etiam inter duos mares vel plures, itemque inter duas pluresque fœminas. Pactum autem de consuetudine vitæ tum dici potest *Societas vitæ*. Ac ideo qui matrimonium contrahunt, eo ipso quoque societatem vitæ contrahere intelliguntur, quia sine ea matrimonium naturaliter subsistere nequit, siquidem nullus in eo notari debeat defectus.

§. 474.

De mutuo adjutorio conjugum.

Naturaliter conjuges obligantur ad mutuum adjutorium in procreatione ac educatione sobolis & in iis, quæ unusquisque naturaliter sibimetipsi debet seu quæ vitæ consuetudo exigit. Etenim matrimonium societas est (§. 270.) & qui hanc societatem ineunt conjuges sunt (§. 304.). Quamobrem conjuges sibi invicem obligantur ad mutuum adjutorium in iis, quæ ad finem societatis consequendum quomodocunque faciunt (§. 145.). Quoniam itaque matrimonium contrahitur sobolis procreandæ ac educandæ causa (§. 270.), & propterea conjuges obligantur ad vitæ consuetudinem (§. 473.); conjuges naturaliter obligantur ad mutuum adjutorium in procreatione ac educatione sobolis & in iis, quæ vitæ consuetudo exigit, consequenter quæ unusquisque naturaliter sibimetipsi debet.

Communiter mutuum adjutorium sumitur restrictius pro eo, quod præstatur in œconomia & in adversitatibus quibuscunque, ac ideo tanquam finis secundarius opponitur primario, qui est procreatio ac educatio sobolis. Enimvero ne notionibus generalibus vim inferamus, mutuum adjutorium referre debuimus non minus ad sobolis procreationem ac educationem, quam ad omnem vitæ consuetudinem, consequenter eidem tribuere omnem amplitudinem, quam naturaliter habere debet. Quodsi itaque perpendas ea, quæ ad vitæ consuetudinem pertinent (§. 471.) & quæ modo de eadem annotavimus (*not.* §. 473.), in dato quolibet casu haud difficulter definies, quidnam mutuum adjutorium exigat.

§. 475.

Quomodo id præstetur.

Quoniam conjuges obligantur ad mutuum adjutorium non solum in procreatione ac educatione sobolis, verum etiam in iis omnibus, quæ ad vitæ consuetudinem pertinent (§. 474.), qui vero mutuum adjutorium sibi invicem præstant, vires suas conjungunt in agendo & in eo, quod ipsis bonum est, promovendo (§. 141.); *conjuges vires suas conjungere debent non modo in procreatione ac educatione sobolis, verum etiam in iis, quæ ad vitæ consuetudinem pertinent, ac in promovendo eo, quod unicuique bonum est.*

Ostendimus ante, conjuges arctissime ita uniri, ut in unam quasi personam coalescant, nec ita cum persona alia quacunque uniri posse (§. 469.). Vires itaque utriusque conjugis ita conjunguntur ac si essent vires unius personæ. Atque hac virium conjunctione obtinetur concursus conjugis unius ad facta alterius.

§. 476.

An mutui adjutorii causa contracta societas sit matrimonium.

Societas propter solum mutuum adjutorium in iis, quæ ad vitæ consuetudinem pertinent, inter marem ac fœminam contracta matrimonium naturaliter non est. Quodsi enim societas inter marem ac fœminam contrahatur propter solum mutuum adjutorium in iis, quæ ad vitæ consuetudinem pertinent, ea non contrahitur sobolis procreandæ ac educandæ gratia (§. 471.). Sed societas, quæ non contrahitur sobolis procreandæ ac educandæ causa, matrimonium non est naturaliter (§. 270.). Ergo si societas propter

BIU Cujas

solum mutuum adjutorium in iis, quæ ad vitæ consuetudinem pertinent, inter marem ac fœminam contracta fuerit, matrimonium naturaliter non est.

Monuimus jam ante (*not.* §. 473.), istiusmodi societatem contrahi posse, eamque diximus societatem vitæ. Quamvis vero societas vitæ inter marem ac fœminam contracta naturaliter matrimonium non sit: hoc tamen minime obstat, quo minus civiliter quoad effectus scilicet, quos matrimonium jure civili habet, eidem æquiparetur. Et sane istiusmodi societates vitæ sub titulo matrimonii moribus nostris contrahuntur inter senes ad sobolem procreandum non amplius habiles. Huc etiam referendum est conjugium juvenis cum vetula, item conjugium inter personas ad generandum habiles contractum cum perpetuo castitatis voto: in utroque enim casu non intenditur procreatio & educatio sobolis, sine qua intentione matrimonium concipi nequit (§. 3. 270.), sed saltem consuetudo vitæ, quæ ad perfectionem matrimonii requiritur, quatenus per eam finem matrimonii, qui procreatio ac educatio sobolis est, perfectius consequi datur, minime autem per se matrimonium facit.

§. 477.

De matrimonio imperfecto.

Si pactum initur a mare cum fœmina ea lege, ut sibi liceat ex ea quærere prolem unam, vel alteram, sed absque consuetudine vitæ; tale pactum quidem naturaliter matrimonium est, sed minus perfectum. Etenim qui pactum init cum fœmina ea lege, ut sibi liceat ex ea quærere prolem unam, vel alteram; is sobolem, quæ procreatur, educare vult, consequenter pactum init sobolis procreandæ ac educandæ causa. Quamobrem cum pactum sobolis procreandæ ac educandæ gratia inter marem ac fœminam initum matrimonium sit (§. 270.); si pactum initur a mare cum fœmina ea lege, ut sibi liceat ex ea quærere prolem unam, vel alteram, naturaliter pactum hoc matrimonium est. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam naturaliter conjuges etiam obligantur ad vitæ consuetudinem (§. 473.), consequenter si absque vitæ consuetudine pactum quis ineat cum fœmina, ut sibi liceat ex ea prolem quærere, aliquid deest, quod ad perfectum matrimonium ipsa lege naturæ requiritur, pactum istud erit matrimonium imperfectum. *Quod erat alterum.*

Etsi naturaliter stuprum non committat (§. 334.), multo minus fornicetur, qui pactum istiusmodi cum fœmina init (§. 241.), ac ideo nulla in eo deprehendatur turpitudo naturalis; non tamen ex asse juri naturæ convenit, quatenus lex naturæ nos obligat ad id, quod melius est, alteri præferendum (§. 192. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), ut tale pactum recte dicatur adversari legi naturæ perfectivæ. Cura nimirum prolis pertinet naturaliter ad utrumque parentem (§. 263. 255.): in hoc autem pacto id agitur, ut proles tantummodo sit patris, nec mater spectetur aliter quam nutrix mercede conducta. Uberior lux affundetur per ea, quæ de societate paterna demonstraturi sumus. Quamvis vero in statu naturali istiusmodi matrimonium haberi nequeat pro illicito; non tamen inde sequitur, idem permittendum esse in statu civili, nec in eo pro stupro habendum esse. Multo minus autem hinc inferri potest, quod non sit christianismo adversum, seu hominem christianum salva conscientia tale pactum inire posse. Non est quod excipias plures esse rationes, easque honestas, cur quis prolem habere velit, matrimonium tamen perfectum, quod vitæ consuetudinem continet, contrahere nolit. Neque enim necesse est habere prolem, si cui sint rationes prægnantes, cur matrimonium perfectum contrahere nolit. Multi matrimonium contrahunt prolis habendæ causa, improles tamen moriuntur. Nec qui sibi prolem quærere vult ex fœmina, cum qua tamen matrimonium perfectum contrahere non vult, certus esse potest eam esse supervicturam, immo nec novit, num talis sit futura, ut eum pœniteat, se sibi prolem quæsiviſſe, qua carere poterat: quod etsi etiam contingere possit in matrimonio perfecto, multa tamen in eo sunt, quibus malum hoc per vitæ consuetudinem compensatur. Ceterum matrimonii hujus imperfecti species dici potest *matrimonium philosophicum*, quatenus nonnisi per rationes philosophicas defenditur. Tale matrimonium contraxisse videtur *Carteſius*, qui ex fœmina honesta genuit filiam, quam pro sua agnoscebat, impense amabat & mortuam lugebat. Sed plura de eo addere supervacaneum existimamus, cum inter nos matrimonium hoc non sit permissum.

§. 478.

BIU Cujas

§. 478.

De matrimonio ad certum tempus vel precario contracto.

Non licet matrimonium contrahere ea lege, ut maritus uxorem certo tempore, vel quandocunque illi visum fuerit, cum prole dimittere possit soluta fœminæ certa pecuniæ summa educandæ sobolis causa. Lex enim naturæ utrumque parentem obligat ad sobolem suam educandum (§. 263.), educatio autem requirit, ut cura parentum in eum perducatur statum, quo sibimetipsi prospicere possit de iis, quibus ad conservationem sui indiget, & ut actiones suas juxta naturæ legem determinare norit, consequenter vitam hominis vivere possit (§. 255.). Quamobrem non sufficit, ut mas det fœminæ certam pecuniæ summam, ut sola curam educationis gerat, ipse autem prolem tanquam alienam negligat. Legi itaque naturæ repugnat matrimonium contrahere ea lege, *ut* maritus uxorem certo tempore, vel quandocunque illi visum fuerit, dimittere possit, soluta sobolis educandæ causa certa pecuniæ summa.

Repugnat hoc ipsis primis naturæ. Videmus enim in eo animantium genere, in quo tam mas, quam fœmella educationi prolis præesse tenetur, marem fœmellam non ante dimittere, quam ubi ea ad eum statum fuerit perducta, ut aliena ope non amplius indigeat & generatores suos relinquat. Quando in capite subsequente demonstraverimus, quænam ad educationem hominis requirantur & quænam sint officia parentum erga liberos, immo & liberorum erga parentes; multo clarius patebit, quantum a ratione quoque alienum sit matrimonium ea lege contractum, quam in propositione præsente commemoravimus. Tum etiam constabit luculentius, quid primis naturæ superaddat ratio, quæ amorem illum naturalem, qui Στοργὴ appellatur (§. 259.), extendit per omne tempus, quo liberi vivunt.

§. 479.

De matrimonio ad thalac vel arbitrario.

Matrimonium ad thalac dicitur, quod a mare cum fœmina ea lege contrahitur, ut eam tempore convento elapso vel quandocunque visum fuerit cum prole dimittere liceat, soluta educationis causa pecuniæ summa conventa. Vocatur etiam *Matrimonium arbitrarium*, subinde quoque *matrimonium ad beneplacitum*. Enimvero cum matrimonium ad tempus certum etiam contrahi possit ea lege, ut eodem elapso mas uxorem dimittat & prolem sibi habeat; matrimonii arbitrarii latior esse poterat significatus. Si accuratius distinguere velis, quæ diversa sunt, quemadmodum exigit rerum in sua genera & species distributio: *Matrimonium temporarium* dici poterat, quod ad certum tempus, vel etiam ad tempus indeterminatum contrahitur: quod duas jam continere species per se patet. In utroque casu dimissa uxore vel maritus sibi retinet prolem, vel eam uxori relinquit, ut ideo utraque species duas alias sub se contineat subalternas. Sed desunt nomina commoda, quibus singulas hasce matrimoniorum illegitimorum species a se invicem distinguere possis. *Matrimonium ad thalac repugnare legi naturæ* patet per propositionem præcedentem. *Matrimonium* vero *ea lege contractum, ut dimissa uxore prolem sibi solus habeat maritus*, etiam *legi naturæ esse adversum* eodem fere modo ostenditur, quo propositionem præcedentem demonstravimus (§. 478.).

Matrimonium ad thalac in oriente frequens est, ubi mores gentium nimium tribuunt præstantiæ sexus masculini & amorem illum, quem natura ingenerat parentibus erga prolem suam, supprimunt. Nec difficulter patet, matrimonia istiusmodi magis libidinis, quam generis humani propagandi causa contrahi. Neque etiam satis conveniunt amori, quem conjux conjugi debet (§. 465.), nec consuetudini vitæ, qualem in conjugibus exigit lex naturæ (§. 471. 473.). Ceterum matrimonium ad thalac differt a philosophico, quod diximus (*not.* §. 477.). In eo enim cura educationis utrique parenti communis est, & amor ille naturalis, quo uterque fertur in felicitatem prolis, perinde ac in matrimonio perfecto conservatur, ut eidem officere nequeant nisi casus, qui in hoc etiam contingunt. Immo amor iste marem impellit ad matrimonium hoc contrahendum.

§. 480.

BIU Cujas

§. 480.

De lactatione infantis. *Mater infantem lactare obligatur, nisi casu quodam impediatur, quo minus possit.* Quando enim fœmina peperit, lac in mammis affluit, quo infans indiget, ut nutriatur. Ac in brutis animantibus videmus, quod partum suum lactent. Quamobrem cum lac non generetur, nisi fœtus nutriendi causa, & prima naturæ sint, ad quæ animalia sua natura feruntur (§. 80. *part.* 2. *Jur. nat.*); naturæ genetricis & primis naturæ convenit, ut illa partum lactet. Enimvero prima naturæ cum jure naturæ consentiunt (§. 83. *p.* 2. *Jur. nat.*, & quod rationem sufficientem in essentia & natura hominis habet, legi naturæ convenit (§. 135. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); juri adeo seu legi naturæ convenit, ut mater infantem suum lactet, consequenter infantem lactare obligatur (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Enimvero nemo obligatur ad id, quod impossibile (§. 109. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem si casu quodam mater impediatur, quo minus infantem ipsa lactet; lactare quoque non obligatur. *Quod erat alterum.*

Parum itaque conveniunt mores nostri Juri naturæ, dum nulla urgente necessitate partus fœminis stupratis ac talibus, quæ ob libidinem scortis æquiparantur, lactandus traditur, vel ut molestiam vitent, vel ne fœminis plebejis pares videantur, quasi natura fœminas omnes non feciſſet æquales, nec pro turpi habendum sit aut indecoro, quod lex naturæ jubet. Ceterum quando dicitur impossibilitatem facere exceptionem, id non tantummodo intelligendum est de impossibilitate physica, verum etiam morali, veluti si lac matris sanitati infantis parum conducat.

§. 481.

De jure conjugum in deliberando. *Quoties statuendum, quid sobolis procreandæ ac educandæ & vitæ consuetudinis causa fieri debeat; id utriusque conjugis consensu determinandum, & si casus quidam emergit, qui ad societatem conjugalem spectat, utrique conjugi de eo, quod fieri debet, voluntatem suam declarandi jus est.* Etenim matrimonium societas est, quæ sobolis procreandæ ac educandæ causa contrahitur (§. 270.), consequenter conjuges socii sunt (§. 4.), & finis cujus gratia societatem contrahunt, procreatio & educatio sobolis est (§. 3.), finis autem hujus consequendi causa conjuges obligantur ad vitæ consuetudinem (§. 473. 10.). Enimvero quid in societate finis consequendi gratia fieri debeat, communi sociorum consensu determinandum (§. 44.), &, qnando casus quidam emergit, qui ad societatem spectat, singulis sociis jus competit voluntatem suam declarandi de eo, quod fieri debet (§. 61.). Quoties itaque statuendum, quid sobolis procreandæ ac educandæ & vitæ consuetudinis causa fieri debeat, id utriusque conjugis consensu determinandum, &, si casus quidam emergit, qui ad societatem conjugalem spectat, utrique conjugi competit jus declarandi voluntatem suam de eo, quod fieri debet.

Facile patet, propositionem spectare ad eos casus, in quibus deliberandum, quid fieri debeat, v. gr. quando quæritur, cuinam vitæ generi filius dicandus, vel quomodo acquisitis sit utendum fruendum, num prædium aliquod conducendum, num domicilium sit mutandum, num æs alienum contrahendum, num res quædam domesticæ comparandæ & quæ sunt alia hujusmodi. Qui ad ea animum attendit, quæ in antecedentibus de obligationibus & juribus conjugum demonstrata sunt, & inprimis perpendit, quid vitæ consuetudo sibi velit; ei obscurum esse nequit, quænam in dato quolibet casu ad societatem conjugalem pertineant. Quæ ad societatem conjugalem quomodocunque pertinent, ea utrumque conjugem tangunt, præsertim si spectes arctissimam illam unionem, quæ inter conjuges intercedit (§. 469.). De his igitur statuere, cum facile in præjudicium alterius quid statui possit, naturaliter uni conjugum permissum esse nequit, cum conjugium non tollat officia erga seipsum & ea alterius voluntati seu arbitrio subjiciat.

§. 482.

BIU Cujas

§. 482.

De dissensu conjugum in rebus ad societatem conjugalem spectantibus.

Si de rebus ad societatem conjugalem spectantibus conjuges inter se dissentiunt, ea tenenda sunt, quæ de paritate votorum demonstrata sunt. Etenim cum conjugi utrique conveniat jus declarandi voluntatem suam de rebus ad societatem spectantibus (§. 481.), declaratio voluntatis votum est (§. 62.). Enimvero quoniam conjuges nonnisi duo sunt, si inter se dissentiunt, vota paria sunt (§. 67.). Quodsi ergo quæsiveris, quid concludendum sit; id utique hic valere debet, quod de paritate votorum demonstratum.

Naturale itaque non est, ut, quando vota conjugum dissentientia sunt, prævaleat, quod vult maritus, multo autem minus ut maritus inconsulta uxore omnia suo arbitratu facere possit.

§. 483.

De voto decisivo in societate conjugali.

Si, quando vota conjugum inter se contendunt, votum decisivum marito, vel in certis rebus marito, in certis uxori competere debeat; id ex speciali pacto inter conjuges inito acquirendum & ut pacto definiatur consultum est. Etenim quando vota conjugum inter se contendunt, ea tenenda, quæ de paritate votorum demonstrata sunt (§. 482.), consequenter nihil concluditur (§. 81.), ac ideo negotium extra casum calculi Minervæ nullum exitum habere potest (§. 85.). Quoniam vero vota paria vertuntur in majora per votum decisivum, ut negotium ad exitum perducatur (§. 103.); ideo consultum est, ut conjuges definiant, cuinam votum decisivum convenire debeat. *Quod erat unum.*

Enimvero istiusmodi conventio, qua conjux unus alteri promittit, se permissurum, ut valeat quod ipsi placuerit, si non ejusdem fuerint sententiæ, consequenter votum decisivum defert (§. 102.), pactum est (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi ergo votum decisivum marito, vel in certis rebus marito, in certis uxori competere debeat, quando eorum vota inter se contendunt, id ex speciali pacto inter conjuges inito acquirendum. *Quod erat alterum.*

Qui affirmant, quando vota conjugum inter se contendunt, ob præstantiam sexus votum mariti prævalere debere, eos nullam asserti sui afferre rationem, supra jam annotavimus (*not.* §. 441.). Ex pacto, quo matrimonium contrahitur, minime sequitur, potius quoddam jus competere debere marito; vidimus in anterioribus, pares esse utriusque conjugis obligationes ac paria jura, quæ ex fine matrimonii deducuntur, ex quo jus conjugum metiendum, omnis quoque metienda obligatio (§. 10.). Quod vero in genere demonstravimus, quando vota inter se contendunt, meliora concludere non posse (§. 76.); id etiam in societate conjugali valet. Illorum itaque sententia probari nequit, qui statuunt, ejus conjugis voluntatem sequendam esse, qui id, quod sub deliberationem cadit, rectius intelligit, seu cujus de eo judicium verius (§. 71.).

§. 484.

De legibus societatis conjugalis.

Societas conjugalis suas habere debet leges & eædem communi mariti atque uxoris consensu determinandæ. Quælibet enim societas suas habere debet leges (§. 46.). Quamobrem etiam societas conjugalis leges suas habere debet. *Quod erat unum.*

Competit autem cuilibet societati jus ferendi leges de iis, quæ ad eandem spectant (§. 46.), consequenter etiam conjugali jus ferendi leges de iis, quæ ad societatem conjugalem spectant, competere debet. Quoniam vero leges præscribunt media, quibus finis societatis obtinetur (§. 49.), quæ vero finis consequendi gratia in societate fieri debent, communi sociorum consensu determinanda sunt (§. 44.); maritus quoque & uxor communi consensu determinare debent leges societatis conjugalis. *Quod erat alterum.*

Facile

BIU Cujas

Facile apparet, sermonem hic esse de legibus positivis (§. 147. *p. 1. Jur. nat.*), qualis v. gr. est quod vel maritus solus simpliciter seu sine exceptione votum decisivum habere debeat, vel in certis rebus id competere debeat marito, in aliis uxori (§. 483.), quod bona esse debeant communia (§. 439.), quod per operas ministeriales & artificiales uxor acquirere debeat marito (§. 440.), quod idem bona uxoris administrare debeat modo præscripto, & quæ sunt alia ejusmodi, quorum determinatio vi libertatis naturalis a voluntate hominum dependet. Uberior itaque lux doctrinæ præsenti affundetur per ea, quæ suo loco de condendis legibus positivis in genere demonstrabuntur. Si qua istiusmodi moribus definita sunt, ea legum vim habent, quatenus matrimonium contrahentes tacite in eadem consentiunt, dum consensu expresso nihil in iisdem immutant. In statu enim naturali, in quo unicuique permittendum ut faciat, quod libuerit, quamdiu nil facit, quod est contra jus alterius (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), non necessario standum est moribus, quippe qui, ut modo diximus, nonnisi a consensu conjugum vim legis acquirunt. Perinde nimirum est, ac si in condendis legibus alios imitarentur, dum consensu minimum tacito easdem approbant.

§. 485.

Legum istarum materia.

Leges societatis conjugalis feruntur de iis, quæ ad procreationem ac educationem sobolis, vitæ consuetudinem & onera matrimonii ferenda pertinent. Leges enim præscribunt media, quibus finis societatis obtinetur (§. 49.). Finis vero societatis conjugalis est procreatio ac educatio sobolis (§. 270. 3.), & propter hunc finem conjuges obligantur ad vitæ consuetudinem (§. 473.) atque onera matrimonii pro modo facultatum ferenda (§. 449.). Leges itaque societatis conjugalis feruntur de iis, quæ ad procreationem & educationem sobolis, ad vitæ consuetudinem & onera matrimonii ferenda pertinent.

Mentionem hic non facimus mutui adjutorii, cum mutuum adjutorium conjugum non consistat nisi in actionibus, quæ ad procreationem & educationem sobolis atque vitæ consuetudinem pertinent (§. 474.). Ceterum quæ hic demonstrantur notanda sunt, ut constet, de quibusnam in civitate legibus positivis disponi possit quoad matrimonium.

§. 486.

De jure non patiendi, ut fiant quæ societatis conjugalis saluti adversantur.

Conjux unus naturaliter pati non tenetur, ut alter faciat, quæ procreationi ac educationi sobolis ac vitæ consuetudini adversantur & quæ obstant, quo minus onera matrimonii pro modo facultatum ferat. Conjuges enim socii sunt (§. 270. 4.). Quamobrem cum socius pati non teneatur, ut socius faciat, quæ communi bono, vel saluti societatis, consequenter fini ejusdem (§. 11.), adversantur (§. 25.), finis autem societatis conjugalis sit procreatio ac educatio sobolis (§. 270. 3.), ac hujus obtinendi causa conjuges obligentur ad vitæ consuetudinem (§. 473.) atque onera matrimonii ferenda pro modo facultatum suarum (§. 449.); conjux unus pati non tenetur, ut alter faciat, quæ procreationi sobolis & vitæ consuetudini adversantur & quæ obstant, quo minus onera matrimonii pro modo facultatum ferat.

Jus hoc naturaliter competit tam uxori, quam marito: neque enim ex definitione matrimonii sequitur, marito integrum esse quid facere velit, uxori autem non permittendum esse, ut faciat quod libuerit. Pacto, quo matrimonium contrahitur, libertas naturalis restringitur quoad ea, quæ procreatio ac educatio sobolis exigit, consequenter etiam quoad vitæ consuetudinem atque onera matrimonii ferenda. Interest utriusque conjugis, ne quid committatur, quod istis adversatur, & quatenus pacto contrahitur obligatio perfecta ad ea facienda, quæ huc conducunt, ea etiam continet jus exigendi a parte altera, ut faciat, ad quod obligatur (§. 236. *p. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter non patiendi, ut non faciat, vel faciat contrarium.

De jure conjugum quoad observantiam legum conjugalis societatis.

§. 487.

Quoniam conjux unus naturaliter pati non tenetur, ut alter faciat, quæ procreationi ac educationi sobolis & vitæ consuetudini adversantur, & quæ obstant, quo minus

BIU Cujas

minus onera matrimonii pro modo facultatum ferat (§. 486.), leges autem societatis conjugalis feruntur de iis, quæ ad procreationem ac educationem sobolis, vitæ consuetudinem & onera matrimonii ferenda pertinent (§. 485.); *conjux unus pati non tenetur, ut alter faciat, quæ legibus societatis conjugalis adversantur.*

Poterat idem inferri ex eo, quod in societate ferendum non sit, ut a lege recedatur, aut ab uno, vel altero socio fiat quod eidem adversatur (§. 51.). Ex. grat. Maritus pati non tenetur, ut indulgentia matris corrumpantur mores liberorum, ut pecuniam profundat, ut in operis ministerialibus præstandis negligens sit, ut artificiales simplices præstet cum neglectu obsequialium. Similiter uxor pati non tenetur, ut maritus omnem curam liberorum abjiciat, ut bona sua dilapidet, ut opificium vel negotiationem suam negligat, ut præter necessitatem æs alienum faciat, & res, quas habent, immobiles oppignoret, ut omnia matrimonii onera in se devolvat. Non est quod excipias imbecillitatem virium obstare, quo minus hoc jure uti possit uxor, consequenter jus omni vi destitutum pro nullo habendum esse. Etenim uxor, si desunt vires, alieno auxilio uti potest in statu etiam naturali.

§. 488.

Naturaliter non minus uxor imperium habet in maritum, quam maritus in uxorem quoad eas actiones, quæ ad sobolis procreationem & educationem, ad vitæ consuetudinem & ad onera matrimonii ferenda pertinent. Etenim conjux unus naturaliter pati non tenetur, ut alter faciat, quæ procreationi ac educationi sobolis & vitæ consuetudini adversantur, aut quæ obstant, quo minus onera matrimonii pro modo facultatum facere possit (§. 486.), nec pati tenetur, ut alter faciat, quæ legibus societatis conjugalis, de illis communi consensu conditis (§. 484. 485.), contrariantur (§. 487.). Quamobrem non minus uxori competit jus exigendi a marito, quam marito jus exigendi ab uxore, ut faciat, quæ ad sobolis procreationem & educationem, ad vitæ consuetudinem & ad onera matrimonii ex parte sua conferre potest, consequenter non minus uxori competit jus determinandi actiones mariti huc spectantes, quam marito jus determinandi actiones uxoris. Quoniam itaque hoc jus imperium est (§. 194.); naturaliter non minus uxor habet imperium in maritum, quam maritus in uxorem quoad eas actiones, quæ ad sobolis procreationem & educationem, ad vitæ consuetudinem & ad onera matrimonii ferenda pertinent. *De imperio conjugali.*

Imperium conjugale nascitur ex societate conjugali (§. 213.), nec extendi potest ultra actiones, quæ ad finem societatis conjugalis faciunt (§. 214.). Quamobrem cum finis societatis conjugalis sit procreatio & educatio sobolis (§. 270.), & hujus rite consequendi causa contrahatur vitæ consuetudo (§. 473.), & uterque conjux ad onera matrimonii conferat, quantum potest (§. 449.); imperium conjugale ad has actiones restringitur. Et quoniam mariti atque uxoris eadem est obligatio, idem jus, si matrimonium simpliciter contrahatur (§. 26.), quatenus nimirum obligatio ac jus in genere spectatur in relatione nimirum ad finem, ex quo æstimantur (§. 10.); quale jus competit marito in actiones uxoris, tale etiam competit uxori in actiones mariti, consequenter uxor non minus in maritum, quam maritus in uxorem imperium conjugale habet (§. 199.). Non est quod objicias, difficultatem exercendi mutuum imperium. Aliud enim est jus, aliud exercitium juris. Difficultas jus exercendi non tollit jus. Alia vero quæstio est, quid conveniat legi naturæ perfectivæ, ut difficultas ista tollatur.

§. 489.

Uxor imperium conjugale omne in maritum transferre potest, immo etiam in ceteras actiones quascunque. Etenim imperium in societate, quæ ex duabus saltem personis constat, socius unus in alterum transferre potest, si ita visum fuerit (§. 216.). Quamobrem cum matrimonium sit societas inter duas personas contracta (§. 270.); uxor imperium conjugale omne in maritum transferre potest. *Quod erat unum.* *Quomodo maritus imperium maritale acquirat.*

Et quoniam natura homines omnes liberi sunt (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter jus in actiones suas habent (§. 137. 138. *part.* 1. *Jur. nat.*), quilibet autem jus suum in alium transferre potest, si ita visum fuerit (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*); uxor quoque

BIU Cujas

in maritum transferre potest jus in ceteras actiones, quæ ad societatem conjugalem minime spectant, consequenter quoque imperium quoad easdem (§. 199.). *Quod erat alterum.*

Patet itaque quomodo maritus acquirat imperium in uxorem non modo quoad omnes actiones, quæ societatem conjugalem respiciunt, verum etiam quoad ceteras omnes. Nimirum natura nemini imperium competit (§. 195.), nec acquiri potest nisi consensu ejus, in quem acquiritur (§. 196.). Nec est quod objicias, parum prudenter uxorem imperium in se transferre in maritum & renunciare juri, quod ipsi in actiones mariti vicissim competit. Id enim in jure externo non attenditur, nec dici potest hoc semper imprudenter fieri, si consideres difficultates exercendi imperium mutuum. Naturaliter non repugnare, ut etiam maritus transferat imperium conjugale omne in uxorem, ex ipsa demonstratione liquet. Sed cum a voluntate transferentis unice pendeat, utrum transferre velit, nec ne (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*); vix dabilis concipitur casus, quo matrimonium contrahens cum fœmina adjicit pactum de imperio eidem concedendo. Quamvis enim haud raro fiat, ut maritus patiatur imperium sibi arrogari ab uxore, non tamen hinc inferre licet, quod idem subisset sua sponte.

§. 490.

De imperio conjugali & maritali.

Imperium conjugale dicitur, quod ex societate conjugali nascitur. Hoc *mutuum esse conjugum in se invicem*, patet (§. 488.). *Imperium maritale* appellatur, quod marito competit in actiones uxoris omni imperio destitutæ. *Imperium maritale acquiri pacto, quod ad matrimonium accedit, & ultra actiones ad matrimonium spectantes extendi posse ad ceteras quoque actiones quascunque* patet (§. 489.).

Imperium maritale trahit ad se partem imperii conjugalis naturaliter uxori competentem & extenditur ultra ea, quæ ad societatem conjugalem requiruntur. Quoniam vero acquiri nequit nisi voluntate uxoris (§. 196.) & ab hac pendet, qua lege jus in actiones suas in maritum transferre velit; vel absolutum esse potest, vel diversis admodum modis limitatum. Atque ideo imperium maritale admodum variare potest. Ita si imperium maritale intra fines matrimonii continetur, fieri potest, ut, quando de iis, quæ ad matrimonium spectant, conjuges non consentiunt, marito competat imperium per modum voti decisivi, consequenter uxori integrum sit suas allegare rationes, cur aliter sentiat, marito omnino expendendas, nisi justis uxoris querelis locum facere velit.

§. 491.

De subjectione uxoris.

Si marito imperium in uxorem competit: ea ipsi subjecta est: necessario autem uxor marito subjecta non est. Quoniam enim subjectus alteri est is, in quem ille imperium habet (§. 201.); si marito imperium in uxorem competit, ea ipsi subjecta est. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam imperium maritale acquiritur pacto, quod ad matrimonium accedit (§. 490.), & per consequens non pacto, quo ipsum matrimonium contrahitur (§. 270.); uxor quoque marito necessario subjecta non est. *Quod erat alterum.*

Hinc etiam in sacris literis Deus dicitur subjecisse uxorem marito in pœnam, Gen. III. 16. Quoniam imperium conjugale mutuum est (§. 490.); mutuam quoque id parit subjectionem (§. 201.), ita ut maritus perinde uxori, ac uxor marito subjecta sit. Sed de ista subjectione hic sermo non est, quæ æqualitatem inter conjuges minime tollit; verum de ea, quæ inæqualitatem inducit & maritum uxore facit superiorem.

§. 492.

De obedientia uxoris.

Quoniam subjectus imperanti parere tenetur (§. 206.), uxor autem marito subjicitur, si is imperium in eam habet (§. 491.); *si marito imperium in uxorem competit, uxor marito parere*, consequenter *actiones suas ad voluntatem mariti componere tenetur* (§. 205.).

Si

BIU Cujas

Si uxor maritum amet, quemadmodum debet (§. 465.), & per consequens studeat, ut placeat marito (§. 466.); actiones suas ad voluntatem mariti ultro componet, etiamsi ipsi non competat imperium. Et ob eandem rationem maritus, etiamsi imperium in uxorem habeat, id magis exercebit per modum consilii, collatis inter se rationibus, quæ pro & contra, quemadmodum dicitur, utrinque afferuntur, ut ideo societas conjugalis magis amicitia, quam imperio consistat. Et hinc intelligitur, quomodo absurdum non sit, ut imperium conjugale mutuum sit. Lex enim naturæ, quæ vi pacti, quo matrimonium contrahitur, nisi præterea aliud pactum accedat, imperium conjugale mutuum facit, amorem quoque illum mutuum, quo animi conjugum arctissime uniuntur, præcipit (§. 465.), quo præsuppositio, exercitium istius imperii nullam parit difficultatem. Ast quoniam homines non sunt, quales esse debent; ideo utique consultius est, ut de imperio in societate conjugali exercendo inter se conveniant, qui matrimonium contrahunt, nisi id jam moribus fuerit definitum.

§. 493.

Si moribus introductum fuerit, ut marito competat imperium in uxorem; in hoc consensisse intelligitur uxor, dum matrimonium contraxit, & tale marito competit imperium, quale mores approbant. Uxor imperium omne conjugale in maritum transferre potest, immo etiam in actiones ceteras quascunque (§. 489.). Quamobrem cum matrimonium contrahens in id tacite consensisse præsumatur, quod moribus obtinet (§. 248. *part.* 2. *Jur. nat.*), si moribus introductum fuerit, ut marito competat imperium in uxorem, in hoc omnino consensisse recte præsumitur, quod imperium in se habere debeat. *Quod erat unum.* *De imperio maritali per mores definito.*

Enimvero cum maritus imperium acquirat pacto, quod ad pactum, quo matrimonium contrahitur, accedit (§. 490.), in casu quidem præsente tacito, nemo autem plus juris ab altero acquirere potest, quam in eum transferre voluit (§. 382. *part.* 3. *Jur. nat.*), uxor autem tacite non consensit in imperium maritale, nisi quale moribus obtinet, *per demonstrata*, si moribus introductum fuerit, ut marito competat imperium in uxorem, tale omnino id erit, quale mores approbant. *Quod erat alterum.*

Manet igitur etiam in hoc casu ratum, maritum acquisivisse imperium in uxorem pacto, & eam propria voluntate sese eidem subjecisse, consequenter imperium a marito non exerceri in invitam.

§. 494.

Si maritus imperium habet in uxorem, ei competit jus puniendi uxorem, si actiones suas ad nutum ipsius componere nolit, & præmiis invitandi ad agendum. Qui enim imperium habet, ei competit jus puniendi eum, qui actiones suas ad nutum ipsius componere non vult, & præmiis invitandi ad agendum (§. 198.). Ergo etiam marito, qui imperium in uxorem habet, competit jus puniendi uxorem, si actiones suas ad nutum ipsius componere nolit, & præmiis invitandi ad agendum. *De jure puniendi & præmiis donandi uxorem.*

Jus puniendi privatum vulgo dicitur *Jus coercendi*: unde marito tribuitur jus coercendi uxorem. Ast in Philosophia & Jure naturæ conservanda est notionum universalitas, nec præter necessitatem distinguenda, quæ intrinsece non differunt. Imperium omni vi destituitur sine jure puniendi. Si jus puniendi moribus fuerit definitum, aut in statu civili legibus, uxor, dum contraxit matrimonium, in id consensisse intelligitur, quod mores approbant, consequenter se obligavit ad pœnam in casu inobedientiæ subeundam: id quod eodem modo patet, quo propositionem præcedentem demonstravimus. Facile autem apparet, sermonem hic esse de jure externo, neque enim mores & quæ ex pacto oriuntur jura & obligationes semper juri interno conveniunt.

BIU Cujas

§. 495.

De moderatione juris puniendi. Quoniam maritus neminem magis amare debet, quam uxorem suam (§. 465.) & ab hac obligatione in se immutabili (§. 142. *part.* 1. *Jur. nat.*) liberari non potest; *jus puniendi uxorem, quod marito competit, si imperium in eandem habet, amor moderari debet* (§. 642. *Psych. empir.*).

Quodsi hoc respectu jus istud potius jus coercendi dicere velis, ac marito tribuere jus uxorem moderate coercendi, id facilius tolerari posse videtur, quamvis in re ipsa nihil mutetur, modo notes in ejus exercitio sollicite cavendum esse, ne quid committatur, quod amori conjugali repugnat. Hinc minime probantur mores illarum gentium, quæ uxores servilis faciunt conditionis, & nimia maritorum sævitia maxime improbatur. Ceterum cum jus puniendi marito imperium habenti non competat, nisi quatenus uxorem obligare valet ad obediendum (§. 300. *p.* 1. *Philos. pract. univ.* §. 492. *h.*); hinc facile agnoscitur, intra quosnam limites contineatur exercitium istius juris.

§. 496.

De concordia conjugum. *Conjuges concordes esse debent, discordia autem a matrimonio abesse debet.* Etenim conjuges socii sunt (§. 270. 4.). Sed socii concordes esse debent (§. 136.). Ergo etiam conjuges concordes esse debent. *Quod erat unum.*

Enimvero lex præceptiva est etiam prohibitiva contrarii (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum discordia contrarietur concordiæ (§. 132. 133.); discordia a matrimonio procul abesse debet. *Quod erat alterum.*

Nihil magis convenit amori conjugali, quam concordia. Hoc enim amore conjuges arctissime ita uniuntur, ut instar unius personæ spectari debeant, nec eodem modo cum persona alia uniri possint (§. 469.). Intellectus igitur utriusque conjugis simul spectari debet tanquam unus idemque intellectus & voluntas atque noluntas utriusque simul tanquam eadem voluntas, consequenter cum concordia in identitate voluntatis ac noluntatis consistat (§. 132.), amor conjugalis concordiam parit ac fovet, nec ab eo separari hæc potest. Quamobrem etsi marito competat imperium in uxorem, id tamen, quemadmodum jam ante annotavimus (*not.* §. 492.), per modum consilii exerceri debet, ponderatis rationibus, quæ utrinque afferuntur, ita ut jus puniendi non ante sit locus, quam ubi uxor ea, quæ debet, facere præfracte recusat. Sed talia potius ad philosophiam moralem, quam ad Jus naturæ pertinent.

§. 497.

An invitam imperium exercere possit maritus. *Naturaliter maritus imperium in uxorem invitam sibi arrogare nequit: si vero uxor arroganti non contradicit, longa patientia tandem in jus transit.* Nemo enim imperium in invitum sibi arrogare potest (§. 195.). Quamobrem cum maritus imperium maritale in uxorem non acquirat nisi pacto, quod matrimonio accedit, nec idem ultra actiones ad matrimonium spectantes extendi possit ad ceteras quascunque (§. 490.); maritus quoque naturaliter imperium in uxorem invitam sibi arrogare non potest. *Quod erat unum.*

Quoniam maritus in uxorem invitam imperium sibi arrogare nequit, *per demonstrata*, uxor ut hoc faciat, pati non tenetur, & per consequens contradicere potest, immo si non vult, ut id sibi arroget, contradicere debet. Tacet igitur, quando loqui poterat & debebat. Enimvero qui tacet, quando loqui poterat & debebat, is consentire videtur (§. 1054. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem uxor tacens, quando maritus imperium in ipsam sibi arrogat, in hoc consentire videtur, ut habeat. Quodsi itaque diu patitur maritum in se imperium exercere, inde præsumitur velle, quod imperium habere debeat, consequenter cum imperium in ipsam maritus consensu ejus acquirere possit (§. 489.), longa patientia omnino tandem in jus transit. *Quod erat alterum.*

Acqui-

BIU Cujas

Acquirit nimirum hoc in casu maritus imperium in uxorem per præscriptionem. Amittit enim uxor jus suum ex consensu præsumto, quæ amissio juris præscriptio est (§. 1024. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 498.

Nuptiæ quid sint.

Nuptiæ dicuntur actus, quo matrimonium perficitur. Quamobrem cum matrimonium naturaliter perfectum sit, quamprimum mas & fœmina sibi invicem declararunt voluntatem suam de sobole conjunctis viribus procreanda & educanda (§. 367.); *nuptiæ naturaliter consistunt in declaratione mutua consensus de sobole conjunctis viribus procreanda & educanda*, consequenter *quod mas fœminam sibi habere velit uxorem & fœmina marem sibi habere velit maritum* (§. 282.).

Nuptiæ hic definiuntur, quales in statu naturali obtinent, sepositis moribus & legibus positivis, quibus certi ritus ac ceremoniæ accedunt. Istiusmodi ritus sunt apud nos copula & benedictio sacerdotalis, declaratio consensus mutui ad interrogationem sacerdotis coram testibus, epulum nuptiale: ceremonia est annulorum nuptialium permutatio. Respectu rituum ac ceremoniarum Nuptiæ definiuntur, quod sint actus solennis, quo matrimonium perficitur, vel etiam solennis declaratio consensus mutui in matrimonium, seu societatem conjugalem.

§. 499.

Differentia a sponsalibus.

Quoniam sponsalia pactum sunt de matrimonio ineundo (§. 369.), consequenter personæ, quæ desponsantur, sibi invicem promittunt, quod matrimonium inire velint (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), per nuptias autem matrimonium perficitur, seu actu initur (§. 498.); *per nuptias promissum sponsalitium adimpletur.*

Patet itaque differentia nuptiarum a sponsalibus. In his enim matrimonium promittitur, in illis matrimonium, quo erat promissum, actu initur. Differunt itaque sponsalia a nuptiis, quemadmodum promissio ab ejus adimpletione.

§. 500.

An ea præcedere debeant nuptias.

Quoniam naturaliter opus non est, ut contractum matrimonii sponsalia præcedant (§. 388.), consequenter matrimonium absque iis præviis perfici potest, per nuptias autem idem perficitur, & hæ naturaliter non requirunt nisi declarationem mutuam consensus de sobole conjunctis viribus procreanda & educanda, seu quod mas fœminam sibi habere velit uxorem & fœmina marem sibi maritum (§. 498.); *naturaliter nuptias celebrare possunt personæ nondum desponsatæ declarando scilicet sibi invicem consensum in societatem conjugalem de præsenti.*

Facile apparet, nonnisi præviis sponsalibus nuptias celebrari posse, si ad eas requirantur certi ritus ac ceremoniæ, quibus extemplo locus esse nequit, dum consensum suum in matrimonium sibi invicem declarant mas & fœmina. Tum enim matrimonium actu iniri seu perfici non potest, nisi ex intervallo, quod ritus ac ceremoniæ exigunt, consequenter consensus in matrimonium declarari nequit nisi de futuro, seu saltem promitti, quod perfici debeat. Et tum, si penitius rem consideres, desponsatio magis consistit in declaratione consensus in nuptias, quam in matrimonium. Neque enim tam verba inspicienda sunt, quam animus paciscentium, qualem esse permittit negotium, de quo contrahitur. Quodsi in statu naturali mas accedens ad fœminam interroget: visne me habere maritum, vel, visne esse uxor mea? & hæc respondet: Volo te habere maritum, vel volo esse uxor tua; matrimonium perfectum est (§. 367.), & in hac stipulatione consistunt nuptiæ (§. 498.), eaque facta fœmina est uxor maris & mas maritus fœminæ, tumque obligantur ad debitum conjugale sibi mutuo præstandum & ad præstationes conjugum ceteras, de quibus in anterioribus dictum. Quodsi non simpliciter matrimonium contrahere velint, sed certa lege, pacta statim adjici possunt, ut stipulatio fiat sub modo.

§. 501.

BIU Cujas

§. 501.

De ceremoniis nuptialibus.

Ceremoniæ nuptiales ſunt, quæ in nuptiis adhibentur. Quoniam ceremoniæ ſunt ſignа eorum, quorum in executione propoſiti alicujus meminiſſe debemus (§. 442. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *ceremoniæ nuptiales in memoriam conjugium contrahentibus revocare debent ea, quorum in eodem contrahendo meminiſſe debent, vel memoriæ imprimere ea, quorum durante matrimonio meminiſſe debent.*

Omnis ritus ſignificativi ſunt ceremoniæ (§. 808. *p. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum apud nos copula ſacerdotalis ſignificet, matrimonium eſſe divinitus inſtitutum, & ſacerdotem Dei nomine marem ac fœminam conjugare, conſequenter conjuges poſthac conſtanter meminiſſe debeant, ſe conjunctos eſſe ab ipſo Deo ad ſobolem procreandam & educandam vitæque conſuetudinem, conſequenter ab eodem fœminam datam eſſe ſociam mari & marem fœminæ; copula ſacerdotalis ceremonia eſt. Similiter cum permutatio annulorum nuptialium ſignificet, conjunctionem fieri libera utriuſque voluntate, & ſe conſentire in perpetuam vitæ conſuetudinem; ea in numerum ceremoniarum referenda. Ceterum cum de ceremoniis in genere abunde actum ſit alibi (§. 442. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), quæ ad nuptias facile applicari poſſunt; non opus eſt, ut de iiſdem plura dicamus. Id tantummodo notandum eſt, in jure naturæ omnia referri ad officia, conſequenter ceremoniæ nuptiales matrimonium ineuntibus in memoriam revocare debere ea, quæ reſpectum quendam ad officia conjugum, vel ſocietatem conjugalem contrahentium habent.

§. 502.

De jure ceremoniarum nuptialium.

Ceremonias nuptiales inſtituere licet & in ſtatu naturali unicuique jus eſt ceremoniis nuptialibus utendi, quibus libuerit. Etenim natura dat nobis jus inſtituendi ceremonias, quæ ad bene & recte agendum faciunt (§. 503. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam ad eas, quæ faciunt ad matrimonium rite ineundum & ad præſtationem officiorum conjugalium, ac ideo ad nuptias pertinent (§. 498.). Quamobrem cum ceremoniæ nuptiales ſint, quæ in nuptiis adhibentur (§. 501.); lex naturæ dat nobis jus ceremonias nuptiales inſtituendi, conſequenter eas inſtituere licet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Quod vero in ſtatu naturali unicuique jus ſit ceremoniis nuptialibus utendi, quibus voluerit, eodem modo oſtenditur, quod idem de ceremoniis funebribus demonſtravimus (§. 805. *part. 6. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Facile patet, partem alteram propoſitionis tantummodo intelligendam eſſe de jure externo, vi cujus permittendum, ut quis ceremoniis utatur, quæ ipſi placuerint; non tamen propterea probari ceremonias promiſcue omnes, abunde patet ex iis, quæ de ceremoniis demonſtrata ſunt (§. 444. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Vide, quæ alibi annotavimus (*not.* §. 805. *p. 6. Jur. nat.*).

§. 503.

De obligatione naturali quoad ceremonias.

Lex naturæ nos obligat ad ceremoniarum nuptialium rectitudinem. Obligat enim nos in genere ad ceremoniarum rectitudinem (§. 500. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Ergo etiam obligat ad ceremoniarum nuptialium rectitudinem.

Hinc illarum demum ceremoniarum inſtitutio legi naturæ conformis, quæ ad matrimonium rite ineundum & ad præſtationem officiorum conjugalium proſunt (§. 501.). Nimirum rectitudo ceremoniarum dijudicanda eſt tum ex fine ceremoniarum nuptialium (§. 501.), tum ex iis, quæ de ceremoniis in genere demonſtrata ſunt (§. 444. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univerſ.*). Quamvis itaque in ſtatu naturali nobis competit jus ceremonias nuptiales inſtituendi; non tamen propterea tollitur obligatio naturalis, ut rectæ inſtituantur. Peccant, qui ineptas, abſurdas, ſuperſtitioſas, immo turpes inſtituunt. Ita turpis ceremonia eſt, qua utuntur Hottentotti, quando, qui ſponſam cum ſponſo copulat, erecta haſta virili urinam tanquam rorem nuptialem pe-

BIU Cujas

pectoribus sponsi ac sponsæ denudatis adspergit, quemcunque tandem significatum huic ritui assignaverint, qui eandem primitus introduxerunt.

§. 504.

Ritus nuptiales dicuntur, qui nuptiarum causa fiunt, ab iis tamen abesse possunt. *Ritus nuptiales quid sint.*

Istiusmodi ritus sunt apud nos, quod consensus personarum matrimonium contrahentium declarari debeat coram sacerdote, aliisque testibus ad hunc actum invitatis. Refertur etiam huc ipsa copula & benedictio sacerdotalis, convivium nuptiale, deductio sponsæ in domum sponsi, vel ad thorum ad consummandum matrimonium per copulam carnalem.

§. 505.

Quoniam nihil fieri debet temere (§. 278. *part. 3. Jur. nat.*), *nec ritus nuptiales temerarii esse debent*, consequenter cum certo fine fieri debeant, quæ temere non fiunt (§. 277. *part. 3. Jur. nat.*), ideo quoque *ritus nuptiales certo fine fieri debent, eodemque officiis lege naturali præscriptis conveniente, minime repugnante* (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quales esse debeant.*

Ostendimus jam alibi (§. 808. *p. 6. Jur. nat.*), ceremonias omnes esse ritus, sed non vicissim ritus omnes esse ceremonias. Idem tenendum etiam de ritibus nuptialibus. Dum autem jus naturæ regit ritus nuptiales, quemadmodum omne negotium humanum, rituum quoque norma sunt officia lege naturali vel conjugibus, vel hominibus in genere tum erga seipsum, tum erga alios præscripta. Unde ex his dijudicandum, quid recte fiat. Nostrum jam non est ritus nuptiales apud nos, vel alias etiam gentes receptus sub incudem vocare, ut tamen appareat, dari etiam ritus illicitos & naturæ matrimonii e diametro contrarios, exempli loco esse potest, quod in regno *Pegu* & *Aracam* virginitas sponsæ alicui ex convivis nuptialibus delibanda tradatur, & olim referente *Diodoro Siculo* l. 5. c. 18. apud incolas insulæ Balearium in convivio nuptiali necessariorum & amicorum quisque ætate primus, secundus & cæteri deinceps cum nova nupta singulatim rem habuerint, donec ad sponsum honor ille ultimum tandem deferretur. Convenit cum fœdo hoc ritu lex *Eveni* Scotiæ Regis, ut Rex ante nuptias sponsarum nobilium, nobiles plebejarum prælibarent pudicitiam, autore *Buchanano* Rer. Scotic. lib. 4. Repugnat sane ritus iste fidei conjugali de usu corporis sui non alii, quam marito concedendo (§. 315. 316.), & cum nonnisi voluptatis percipiendæ causa concubitus isti fiant, ad naturaliter illicitos referendi (§. 240.). Ceterum non nego generalem theoriam rituum nuptialium ad Jus naturæ pertinere, alias enim non concederemus eidem eam amplitudinem, quam alias eidem tribuimus; nostrum tamen institutum in præsenti non permittit, ut eam tradamus. Sufficit indicasse fontes, unde derivanda.

§. 506.

Matrimonium dissolvi nequit, si liberi nondum fuerunt educati. Etenim lex naturæ utrumque parentem obligat ad sobolem suam educandum (§. 263.), & primis naturæ convenit, ut proles educetur a suis generatoribus, nec educatio a generatione separetur (§. 262.). Quamobrem cum matrimonium sobolis procreandæ ac educandæ causa contrahatur (§. 270.); nec id dissolvi potest, si liberi nondum fuerunt educati. *De matrimonio non dissolvendo in præjudicium liberorum.*

Patet itaque in præjudicium liberorum matrimonium dissolvi non posse. Imaginem hujus juris videmus in brutis, quæ societatis conjugalis quandam speciem contrahunt: neque enim eam dissolvunt, nisi quando proles fuit educata, ut eorum ope non amplius indigeat, nec eam appetat. Utrum vero matrimonium ea de causa perpetuum esse debeat, nec ne, nondum ostendi potest, quia cura liberorum, quæ parentibus incumbit, & eorum erga liberos officia nondum fuerunt exposita.

§. 507.

BIU Cujas

§. 507.

De matrimonio mutuo dissensu dissolvendo.

Quando nulli adhuc geniti sunt liberi, aut qui nati fuerant decesserunt; matrimonium mutuo conjugum dissensu naturaliter dissolvi potest. Quodsi enim nulli extent liberi, quorum educatio parentis utriusque curam exigit (§. 262.), ea non obstat, quo minus matrimonium dissolvi possit (§. 506.). Quamobrem cum matrimonium pactum sit (§. 270.), & pacta a contrahentibus mutuo dissensu dissolvantur (§. 840. *part. 3. Jur. nat.*), modo non contingat aliquid committi, quod est contra jus alterius (§. 910. *part. 1. Jur. nat.*); quin naturaliter matrimonium mutuo conjugum dissensu dissolvi possit, quando nulli adhuc geniti sunt liberi, aut qui nati fuerant, decesserunt, dubitandum non est.

Cum matrimonium nonnisi sobolis procreandæ ac educandæ causa contrahatur (§. 270.), naturaliter nihil obstat, quominus instar pactorum aliorum mutuo dissensu dissolvatur. Quoniam veteres non satis expenderunt, quid sibi velit educatio prolis (§. 255.), nec intimius perspexerunt curam, quæ ab utroque parente eidem debetur (§. 263.), immo hodienum non desunt gentes, qui eadem ignorantia laborant; ideo divortia naturaliter licita existimarunt, hodienumque existimant. Immo eandem ob causam non desunt, qui divortia naturaliter licita pronunciant, nec ea juri naturæ adversari statuunt.

§. 508.

An maritus pro lubitu uxorem dimittere, vel uxor ab eo discedere possit.

Non licet marito pro lubitu dimittere uxorem, nec uxori licet pro lubitu a marito discedere. Etenim quamprimum matrimonium fuit contractum, fœminæ non minus in corpus maris, quam mari in corpus fœminæ jus competit (§. 306.). Quamobrem cum nemo jus suum, quod acquisitum, invito auferre possit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*), nec marito pro lubitu uxorem dimittere, nec uxori pro lubitu a marito discedere licet.

Inæqualitatem inter conjuges nescit Jus naturæ, quemadmodum in anterioribus abunde perspicitur. Idem utriusque conjugis jus est, eadem obligatio. Neuter alteri invito jus quæsitum auferre, neuter quoque ab obligatione, qua alteri parti tenetur, seipsum liberare potest. Qui adeo existimant, maritum quidem pro lubitu uxorem dimittere posse, non autem vice versa uxorem pro lubitu discedere a marito, oppido falluntur. Si ergo dissolutio fieri potest, quæ a sola voluntate pendet, communi nonnisi dissensu fieri potest (§. 507.). Inæqualitas conjugum nonnisi a pacto oriri potest: nam etiam quando a moribus venit, a pacto validitatem acquirit, quatenus tacite consensisse intelliguntur contrahentes in mores, consequenter pactum tacitum accedit ad contractum matrimonialem, quo jus moribus conveniens in maritum confertur.

§. 509.

Repudium & divortium quid sit.

Sicuti dissolutio sponsaliorum *Repudium*; ita dissolutio matrimonii *Divortium* appellatur.

Duo diversa pacta sunt, quibus sponsalia & matrimonium contrahuntur. Diversorum itaque pactorum dissolutio diversa etiam nomina requirit.

§. 510.

De necessaria dissolutione matrimonii.

Si conjux unus moritur, matrimonium dissolvitur. Etenim societas conjugalis ad finem, sobolis nimirum procreationem ac educationem, consequendum requirit conjugem utrumque, marem scilicet ac fœminam (§. 270.). Quoniam igitur conjuge uno moriente non tot amplius socii supersunt, quot ad finem consequendum sufficiunt, si autem non amplius tot supersint socii, quot ad finem consequendum sufficiunt, societas

BIU Cujas

tas interit, etiamsi in perpetuum fuerit contracta (§. 183.); si conjux unus moritur, societas conjugalis interit, consequenter conjux superstes ab obligatione, qua marito tenetur ex pacto, liberatur. Quamobrem cum pactum dissolvatur, si contrahentes ab obligatione, qua sibi invicem tenentur ex pacto, liberantur (§. 836. *part.* 3. *Jur. nat.*); si conjux unus moritur, matrimonium dissolvitur.

Ostenditur etiam hoc modo. Quoniam homo jus omne amittit ac omnis ejus obligatio cessat, quamprimum moritur (§. 700. *part.* 6. *Jur. nat.*); conjux etiam, qui moritur, jus omne amittit, quod ex pacto matrimoniali acquivisit, & omnis ejus obligatio cessat, quam eodem contraxit. Societas itaque conjugalis inter conjugem defunctum & superstitem subsistere nequit, consequenter morte unius conjugis dissolvitur.

Hæc matrimonii solutio necessaria est, cum prorsus independens sit a voluntate conjugum, & ut matrimonium inter eos subsistat prorsus impossibile sit.

§. 511.

De divortio propter adulterium.

Propter adulterium matrimonium dissolvere licet. Quando enim matrimonium contrahitur, mas fœminæ & fœmina mari promittit, quod corporis sui usum sibi invicem solis generationis causa concedere velint (§. 305.), & pars una in alteram transfert jus ad usum corporis sui, qualis ad generationem requiritur (§. 306.), ut per consequens ipsa de eodem non amplius disponere possit. Enimvero si pars una adulterium committit, cum persona alia, quam conjuge suo, concumbit (§. 318.), consequenter a pacto recedit. Quamobrem cum a pacto recedere liceat, si pars altera recedit (§. 827. *part.* 3. *Jur. nat.*); propter adulterium matrimonium dissolvere licet (§. 836. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Nimirum per adulterium conjugis unius pars altera liberatur ab obligatione sua (§. 827. *p.* 3. *Jur. nat.*), consequenter ab ipsius arbitrio dependet, utrum matrimonium tacite redintegrare, an idem dissolvere velit (§. 12. & §. 827. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 512.

Quando non habeat locum.

Quoniam propter adulterium matrimonium dissolvere licet (§. 511.), consequenter parti læsæ competit jus matrimonium dissolvendi (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quilibet autem juri suo renunciare potest, quamdiu hac renunciatione nihil committitur, quod est contra jus tertii (§. 118. *part.* 3. *Jur. nat.*); *si pars læsa nolit propter adulterium solvi matrimonium, id subsistit.*

Maritus uxorem adulteram, uxor maritum adulterum retinere potest, si voluerit, modo id fiat condonando injuriam sibi factam (§. 307.), non approbando, aut saltem non improbando actum illicitum, ne peccati alieni fiat particeps.

§. 513.

Idem in casu particulari expenditur.

Si maritus cum uxore, quam adulteram esse novit, concumbit, matrimonium propter adulterium dissolvi nequit. Idem valet de uxore cum marito adultero rem habente. Quodsi enim maritus novit, uxorem suam adulterium commisisse, matrimonium dissolvere potest (§. 511.). Quodsi velit matrimonium esse dissolutum, non amplius ipsi competit jus ad usum corporis uxoris (§. 836. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 306. *h.*), consequenter nec amplius cum ea concumbere potest. Quando itaque cum ea concumbit, ipso facto declarat, se matrimonium dissolutum esse nolle, consequenter pactum, quo id contractum fuerat, tacite redintegrat. Quamobrem cum pacta sint servanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*) &, si pars læsa nolit matrimonium solvi, id subsistit (§. 512.); si

BIU Cujas

maritus cum uxore, quam adulteram esse novit, concumbit, matrimonium propter adulterium dissolvi nequit. *Quod erat unum.*

Idem eodem modo intelligitur de uxore cum marito adultero rem habente. *Quod erat alterum.*

Quando nosti, uxorem tuam adulterium commisisse, tuum est statuere, utrum velis matrimonium esse solutum, an nolis. Pro vero igitur contra te habetur, quod sufficienter significas (§. 428. *part. 3. Jur. nat.*). Non licet concumbere cum fœmina, quam uxorem tuam esse non vis. Hoc igitur dum facis, omnino significas, te eam non obstante adulterio, quod commisit, uxorem tibi habere velle. Perinde igitur est, ac si pactum, quo matrimonium contractum, redintegrares. Ex pacto autem redintegrato eidem nascitur obligatio, quæ primitus ex eodem nata fuerat, & fœmina denuo acquirit jus, quod invitæ auferri amplius nequit (§. 336. *part. 2. Jur. nat.*).

§. 514.

De malitiosa desertione.

Si conjux alterum malitiose deserit; matrimonium dissolvere licet. Etenim conjux alterum malitiose deserens ipso facto a pacto, quo matrimonium contractum, recedit (§. 308. 473.). Quamobrem cum parte una a pacto recedente etiam parti alteri recedere liceat (§. 827. *part. 3. Jur. nat.*); si conjux unus alterum malitiose deserit, ipsi quoque a pacto, quo matrimonium contractum, recedere, consequenter matrimonium dissolvere licet (§. 836. *p. 3. Jur. nat.*).

Malitiosa desertio supponitur, quæ scilicet fit animo, ut rem cum conjuge amplius habere nolit, qui eam deserit. Alias enim dici non poterat, quod a pacto recedat. Si enim maritus negotii cujusdam causa per longum etiam temporis intervallum ab uxore abesse cogitur; eam malitiose deseruisse dici nequit. Non abiit eo animo, quod cum ea rem amplius habere nolit, nec deposuit absens animum revertendi, sed vitæ communionem continuat, quantum per absentiam fieri potest.

§. 515.

De denegatione debiti conjugalis.

Si conjux unus alteri debitum conjugale præstare recusat; matrimonium dissolvere naturaliter licet. Etenim matrimonium contrahitur sobolis procreandæ causa (§. 270.), ad quem finem consequendum debitum conjugale præstandum (§. 309.). Quodsi ergo conjux unus debitum conjugale alteri præstare recusat, a pacto conjugali recedit. Unde porro ut ante patet, licere naturaliter parti læsæ, ut matrimonium solvat.

Facile intelligitur, in hypothesi propositionis præsentis sumi, præstationem debiti conjugalis penitus denegari, nec denegantem adduci posse ad præstandum. Aliud vero est, si certis de causis hic & nunc a præstatione abstineat.

§. 516.

De divortio ob inimicitiam irreconciliabilem.

Ob inimicitiam irreconciliabilem matrimonium naturaliter dissolvere licet. Quodsi enim inimicitia fuerit irreconciliabilis, conjux inimicus alteri amicus reddi nequit (§. 766. *p. 1. Jur. nat.*), consequenter odium, quo persequitur alterum (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*), mutari non potest (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum conjugio maxime adversetur, ut conjux conjugem odio habeat, (§. 467.); inter conjuges inimicos tale subsistere nequit, quale jure naturæ requiritur, sublata nimirum unione conjugum arctissima (§. 469.), a qua pendet vitæ consuetudo (§. 470. 471.), ad quam conjuges obligantur (§. 473.). Ob inimicitiam itaque irreconciliabilem naturaliter matrimonium dissolvere licet (§. 836. *part. 3. Jur. nat.*).

Ad finem matrimonii spectat etiam educatio prolis (§. 270.), a generatione inseparabilis (§. 262.). Quamobrem cum conjux conjugi inimicus, consequenter eum odio prosequens (§. 626. *part. 1. Jur. nat.*) tædia creare studeat (§. 671. *Psych. empir.*); ut educationi prolis rite prospicia-

BIU Cujas

clatur, inimicitia irreconciliabilis vix permittit. Matrimonium itaque dissolvendum potius, quam ut & proli, & conjugi noceatur. Quis enim contendet societatem quandam subsistere debere, cujus finem consequi non datur, cum nonnisi hujus consequendi causa contrahatur? Ut reconciliatio ante tentetur, & sub ejus spe conjuges ad tempus a thoro & mensa separentur, ac ita vitæ consuetudo, ad quam conjuges obligantur (§. 473.), interea suspendatur; in statu naturali vix locum habet, in quo unicuique permittendum, ut faciat, quod lubet, quamdiu nil facit, quod est contra jus tuum (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 517.

In statu naturali unicuique permittendum est, ut pro lubitu matrimonium dissolvat. Etenim in statu naturali unicuique permittendum est, ut faciat, quod lubet, quamdiu nil facit contra jus tertii (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*), & uniuscujusque conscientiæ relinquendum, quid faciat (§. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec is ulli hominum rationem reddere tenetur, cur faciat, quamdiu nil facit contra jus ipsius (§. 158. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem in statu naturali permittendum quoque conjugibus, ut pro lubitu matrimonium dissolvant. *De tolerantia divortiorum in statu naturali.*

Permittendum nimirum est in statu naturali, ut alter faciat, quæ legi naturæ adversantur, modo jus nostrum non violet: neque enim nobis naturaliter ullum competit jus in actiones alterius, nisi quatenus libertas ejus quoad ea, quæ nobis debet, restringitur. Quoniam vero si societas conjugalis simpliciter contrahatur, idem conjugum jus est (§. 26. 270.); si marito pro lubitu uxorem dimittere licet, uxori quoque permissum esse debet a marito pro lubitu discedere. Atque hinc patet, undenam fluxerint mores illarum gentium, apud quas divortia pro lubitu fuerunt permissa, quemadmodum olim admodum frequentia fuisse apud Romanos, nemo facile ignorat, nisi qui in antiquo Romanorum jure prorsus alienus ac hospes fuerit. Immo etiam constat, Mosen Hebræis permisisse divortia, ita ut pro lubitu maritus uxorem dimittere posset. Christus autem, optimus juris naturalis interpres, hanc licentiam restringit ad jus externum, quo multa impune fiunt, quæ sine peccato fieri nequeunt, & majoris mali evitandi causa tolerantur, quæ lex minime probat. Sed hæc ad statum civilem pertinent. De causis uxores repudiandi apud Hebræos legi potest *Lichtfootus* in Horis Hebraicis & Talmudicis in Matthæum ad c. 5. v. 31. In earum numero sunt, si quis uxorem odio habeat, si ea esculenta mariti nimia salsedine aut nimia tostione male conficiat, si ille videat mulierem uxore formosiorem.

§. 518.

Matrimonio dissoluto, naturaliter maritus uxorem aliam ducere, uxor alii viro nubere potest. Quando enim matrimonium dissolvitur, conjuges liberantur ab obligatione, qua sibi invicem ex pacto conjugali tenebantur (§. 836. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter personæ solutæ jam sunt, non amplius conjugatæ. Nihil igitur obstat, quo minus matrimonium cum personis aliis contrahere possint. Naturaliter itaque matrimonio soluto maritus uxorem aliam ducere, uxor alii viro nubere potest. *An matrimonio dissoluto cum persona alia novum contrahere liceat.*

Civile igitur, naturale non est, si conjugi uni, vel utrique prohibeatur ne matrimonium contrahat cum persona alia, priori matrimonio soluto.

§. 519.

Secundæ nuptiæ dicuntur, si matrimonio anteriori soluto novum contrahitur. Vocantur etiam *secunda vota*, item *polygamia successiva*. *Secundæ nuptiæ quænam dicantur.*

Ratio diversarum denominationum facile patet. Secundæ nimirum appellantur respectu earum, quæ præcesserunt: contingere autem potest, ut præcesserint plures, consequenter tertiæ, quartæ sint, quæ nunc celebrantur, ut ideo denominatio parum apta aliis persuaserit polygamiæ successivæ appellationem, quia conjux unus successive plures habet conjuges. Et quia nostris moribus, quibus sacerdos Dei nomine conjuges copulat, matrimonium contrahentes Deo polliceri intelliguntur, quod fidem conjugalem violare nolint & officiis conjugalibus satisfacere velint; ideo nuptiæ votorum nomine veniunt (§. 960. *part.* 3. *Jur. naturæ*). Quoniam itaque conjuges Deo sese obligant ad votum servandum (§. 964. *part.* 3. *Jur. nat.*);

BIU Cujas

hine intelligitur; cur moribus christianorum non facile admittenda sint divortia, etiamsi nulla ratio naturalis; nec præceptum Christi obstaret.

§. 520.

An sint licitæ. Quoniam nuptiæ secundæ celebrantur matrimonio anteriori soluto (§. 519.), hoc autem soluto novas celebrare licet (§. 518. 498.); *secundæ nuptiæ naturaliter licitæ sunt*, consequenter *mas successive tot ducere potest uxores, quot libuerit, & mulier successive tot nubere potest viris, quot libuerit.*

Non jam quæritur, an semper consultum sit nuptias secundas contrahere, immo an id rigori juris interni semper conveniat. Quodsi enim contingat, secundas nuptias adversari educationi liberorum; juri naturæ interno eædem minus conveniunt, consequenter ab iis potius abstinendum.

§. 521.

Vidua & vir viduus. *Vidua* dicitur uxor orba per mortem marito, & *vir viduus* appellatur maritus orbus per mortem uxore.

Nimirum viduitas inducitur morte conjugis unius: si vero matrimonium dissolvitur, nec uxor vidua, nec maritus vir viduus appellatur, sed qui erant conjuges, facto divortio, æquiparantur personis solutis. Necessaria nimirum conjugii solutio, qualis morte contingit, non tollit animum conjugem defunctum sibi habendi conjugem, si fieri posset, quemadmodum in divortio, solutione matrimonii voluntaria, accidit.

§. 522.

De luctu conjugum. *Mortuum conjugem lugendi, etiam veste, jus naturaliter conjugi superstiti competit.* Etenim luctus voluntarius & quatenus talis etiam naturalis ob mortem amicorum, benefactorum & bene de nobis ac aliis meritorum licitus, seu jus lugendi, nobis competit (§. 817. *part. 6. Jur. nat.*); & veste etiam mortuos lugere licet (§. 818. *part. 6. Jur. nat.*). Quamobrem cum conjux conjugem in amore ceteris omnibus præferre (§. 465.), & conjuges vires suas conjungere debeant in iis, quæ ad vitæ consuetudinem pertinent, & in promovendo eo, quod unicuique bonum est (§. 475.), consequenter inter se communicare omnia officia, quæ sibi invicem præstare possunt, usum rerum, quas habent, ac omnes casus tam secundos, quam adversos (§. 471.); non arctior concipi potest amicitia, quam quæ inter conjuges intercedere debet (§. 625. *part. 1. Jur. nat.*), & conjux unus benefacit conjugi alteri ac de eo optime meretur, nisi officiis suis desint, quod sine ulteriori probatione patet. Quamobrem naturaliter conjugi superstiti competit jus mortuum conjugem lugendi, etiam veste.

Luctus naturalis est conjugi superstiti, si amaverit defunctum, ut abesse nequeat. Hic vero quæritur, utrum licitus sit, ne quid committatur, quod officiis adversum videri possit. Veste quod lugere liceat, a lege naturæ decori venit (§. 202. 204. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamdiu autem luctus voluntarius durare debeat, id moribus potius, quam naturali quadam ratione definiendum. In statu naturali cuilibet integrum est lugere conjugem mortuum, quamdiu voluerit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 523.

Quando secundæ nuptiæ celebrari possint. *Matrimonio dissoluto mas statim aliam uxorem ducere potest naturaliter; fœminæ autem ad novas nuptias ante transire non licet, quam certo constet eam ex priori matrimonio non esse gravidam.* Quoniam enim matrimonio dissoluto, maritus uxorem aliam ducere potest (§. 518.), nec obstat luctus voluntarius, quo minus ducat, quod per se pa-

BIU Cujas

patet, si vel maxime moribus adversetur; quin matrimonio dissoluto mas statim uxorem aliam ducere possit, dubitandum non est. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam fieri potest, ut uxor, dum matrimonium, præsertim morte mariti, solvitur, sit gravida, ratione educationis prolis autem interest nosse, quemnam ea habeat parentem (§. 262. 263.); fœmina ad novas nuptias transire nequit, antequam certo constet eam ex priori matrimonio non esse gravidam. *Quod erat alterum.*

Non puto quempiam fore, qui rem penitius considerans existimaturus sit, luctum conjugis mortui obstare, quo minus matrimonium novum contrahatur. Luctus enim mortui sit ad significandum amorem, quo prosecuti sumus conjugem *defunctum*. Propterea vero nullum nobis obstaculum objicitur, quo minus conjugem novum in amore ceteris omnibus præferamus (§. 465.), quemadmodum præferebamus defunctum, cum viveret, nunc vero amplius præferre non possumus. Novo autem marito, cui nubet fœmina interest nosse, utrum ex anteriori matrimonio gravida sit, ne prolem alienam educare teneatur, vel etiam ducat viduam stupratam. Contingere enim subinde posse, ut vidua primis statim a morte conjugis diebus stupretur, in dubium revocari nequit: attendenda etiam sunt jura prolis, de quibus deinceps.

§. 524.

De obligatione ad matrimonium contrahendum

Qui ad prolem generandum & educandum habiles sunt ac onera matrimonii ferre possunt; ad matrimonium contrahendum obligantur. Primis enim naturæ, consequenter & juri naturæ (§. 51. *part.* 2. *Jur. nat.*), convenit (§. 83. *part.* 2. *Jur. nat.*), ut genus humanum conservetur. Necesse igitur est, cum genus humanum propagari debeat per societatem conjugalem (§. 269. 270.), ut matrimonia contrahantur, nec promiscue ideo omnibus liberum esse potest, utrum contrahere velint, nec ne. Quamobrem cum nulla prorsus adsit ratio, cur matrimonium non contrahat, adsit vero ratio sufficiens, cur contrahat, si quis ad prolem generandum & educandum habilis ac onera matrimonii ferre potest; qui ad prolem generandum & educandum habiles sunt ac onera matrimonii ferre possunt, ad matrimonium contrahendum utique obligantur.

Homines omnes simul sumtos ipsa natura obligari ad speciei suæ, seu generis humani conservationem, nemo est qui dubitet. Obligatio autem hæc, quæ est totius generis humani, non est singulorum, sed eorum saltem, per quos finis, generis nimirum humani conservatio, obtineri potest. Qui nascuntur, nondum actu sunt homines, sed accedente educatione ac commercio cum aliis hominibus demum fiunt. Homines enim a brutis distinguuntur ratione, quæ usum facultatum superiorum supponunt. Constat autem nonnisi usum facultatum inferiorum, quas cum brutis homo communes habet, connasci, usum autem facultatum superiorum longo exercitio demum successive acquiri. Atque ea de causa non sufficit generare liberos, sed cura parentum iidem perducendi sunt in eum statum, quo usu facultatum superiorum instructi vitam hominis, hoc est eam, quæ juxta rationem est, vivere valent. Hinc facile patet, si obligationem contrahendi matrimonium in singulari determinare volueris, non modo respiciendam esse potentiam physicam generandi, verum etiam consideranda esse ea omnia, quæ ad curam educationis quomodocunque pertinent, & de quibus accuratius fiet judicium, quando in subsequentibus singula demonstraverimus, quæ ad istam curam pertinent. Præter obligationes autem communes dantur etiam propriæ (§. 186. *part.* 1. *Jur. nat.*), qua tenentur quidam tantummodo homines, vel unus eorum (§. 188. *part.* 1. *Jur. nat.*), & in quantum numero est obligatio matrimonium contrahendi, qua genus humanum tenetur, sed non singula tenentur ejus individua. Quodsi hæc obligatio collidatur cum alia obligatione propria, cui pauci aut vix unus satisfacere potest; hæc utique vincet, consequenter qui hac tenetur, matrimonium contrahere non obligatur, etiamsi ad prolem generandum & educandum sit habilis & onera matrimonii ferre possit. Ita dici nequit philosophum, qui scientias excolendo bene de humano genere mereri potest, rei autem domesticæ ac prolis educandæ cura multum impediretur in scientiis promovendis, matrimonium contrahere obligari, cum sine eo genus humanum abunde propagari possit, qui vero in scientiis locupletandis & propagandis similem operam præstare possint, vix licet reperire alios. Hæc quidem probe considerari merentur, ne obligatio contrahendi matrimonium in nimium extendatur. Notanda autem venit propositio præsens, ut judicium fieri possit, quid de ea in statu civili lege positiva recte decernatur.

§. 525.

BIU Cujas

§. 525.

Quando obligentur ad prolem generandum & educandum saltem habiles.

Quoniam ad prolem generandum & educandum habiles & qui onera matrimonii ferre possunt, ad idem contrahendum obligantur (§. 524.): *si matrimonium contrahere datur cum persona, quæ sola oneribus matrimonii ferendis abunde sufficit, ad matrimonium contrahendum etiam obligatur ad prolem generandum & educandum tantummodo habilis, etsi parum aut nihil ad onera matrimonii ferenda conferre possit* (§. 446. 448.).

Obligatio naturalis contrahendi matrimonii æstimanda venit inde, quod conjuges conjunctis viribus finem matrimonii consequi possint. Quodsi ergo defectus personæ unius compensatur per ea, quæ ab altera præstari possunt, is in definienda obligatione ipsius non attendendus.

§. 526.

De promissione viduitatis perpetuæ.

Si conjugi morienti promittat superstes, se ad secunda vota transire nolle; promissio non valet, etiamsi juramento confirmetur, nisi liberorum ex priori matrimonio genitorum educationi officiant secundæ nuptiæ. Quoniam enim naturaliter ad matrimonium contrahendum obligatur ad prolem generandum & educandum habilis ac onera matrimonii ferre valens (§. 524.), immo tantummodo habilis, si matrimonium contrahere detur cum persona, quæ oneribus ferendis sola abunde sufficit (§. 525.); promissio de secundis nuptiis vitandis illicita est (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nemo sese liberare possit ab obligatione sua (§. 674. *part. 3. Jur. nat.*), consequenter nec promittere, quod licitum non est (§. 170. *p. 1. Phil. pract. univ.* & §. 363. *part. 3. Jur. nat.*); si conjugi morienti promittat superstes, se ad secunda vota transire nolle, promissio non valet. *Quod erat primum.*

Enimvero si juramentum superaccedat actui non obligatorio, eum in obligatorium convertere nequit (§. 904. *part. 3. Jur. nat.*), nec promissio, quæ per se valida non est, per juramentum valida efficitur (§. 905. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem cum promissio conjugi morienti a superstite facta de secundis nuptiis vitandis naturaliter valida non sit *per demonstrata n. 1.*; eadem nec valet, etiamsi juramento confirmetur. *Quod erat secundum.*

Conjux superstes ad educandum liberos ex priori matrimonio genitos obligatur (§. 263.), consequenter ad secundas nuptias transire non debet, si eædem educationi illorum officiant. Quamobrem cum in hoc casu promittatur id, ad quod naturaliter promittens obligatus est; nihil jam obstat, quo minus ad idem sese conjugi morienti, cui cura educationis cordi est, quemadmodum esse debet (§. *cit.*), superstes obliget (§. 363. *part. 3. Jur. nat.*). Quamobrem in hoc casu promissio valet. *Quod erat tertium.*

Nimirum ponamus promissione conjugi morienti de vitandis secundis nuptiis facta produci obligationem. Obligatio igitur contracta colliditur cum naturali (§. 524. 525.). Naturalis itaque tanquam immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vincit (§. 208. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter promissio valere nequit. Enimvero si secundæ nuptiæ pugnent cum educatione liberorum ex priori matrimonio natorum; obligatio absoluta colliditur cum hypothetica (§. 263. 524.). Absoluta igitur vincet (§. 208. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter promissio in illius gratiam facta, cum legi naturæ conveniat, utique subsistit. Per se patet, ac ipsa demonstratio aperte loquitur, promissionem factam intelligi a persona, quæ ad matrimonium contrahendum naturaliter obligatur, ut sit invalida (§. 524. 525.).

§. 527.

De liberis bona propria habentibus.

Si liberis undecunque obveniant bona, sumtus educationis sustentare licet subsidio fructuum. Quodsi enim liberis sint bona, ex quibus fructus percipiunt, eorum subsidio ipsimet sumtus educationis sustentare valent. Quamobrem cum sumtus facere in educationem sit officium parentum erga liberos (§. 263.), ad officia vero erga alios præstan-

BIU Cujas

ſtandum non obligemur, niſi quatenus alii id, quod præſtandum eſt, ipſimet in poteſtate ſua non habent (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*); ſi liberi propria habeant bona, ut ſubſidio fructuum, quos inde percipiunt, ſumtus educationis ſuſtentari poſſint, de ſuo eos facere non tenentur parentes, conſequenter illorum ſubſidio hos ſuſtentare licet.

Videmus imaginem hujus juris in brutis, quorum educationi per ſpeciem quandam providentiæ proſpiciunt eorum generatores & quæ ſine eorundem auxilio educari poſſunt. Ita de alimentis fœtui proſpicit papilio ova ibi deponens, ubi erucæ ex ovulis excluſæ pabulum commodum reperiunt. Piſces vero & ranæ, quamprimum alimento indigent, ſine opera aliena in aquis nutriuntur. Ipſa igitur natura docet, parentum opem non exigi in faciendis ſumtibus in educationem, niſi fœtus ſui indigentia. Quemadmodum vero patrimonium, conſequenter bona, quæ habemus (§. 452. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſervare debemus (§. 458 *h.* 2. *Jur. nat.*); ita quoque bona liberorum conſervanda ſunt, conſequenter ſumtus educationis fructuum ſubſidio ſuſtentandi, nec parentes ab iis faciendis liberantur, niſi in quantum fructus iſti ſufficiunt. Sed hæc manifeſtiora evadent ex ſubſequentibus.

§. 528.

De educatione liberorum conjuge uno mortuo.

Si conjux unus moritur, cura educationis ad ſuperſtitem ſolum ſpectat, & niſi liberi propria habeant bona, ſuperſtes ſumtus in educationem facere tenetur. Etenim ad educationem prolis obligantur parentes (§. 263.), & conjux unus ſolus ſumtus educationis facere tenetur, ſi alter nihil conferre poſſit (§. 446.). Quamobrem ſi conjux unus moritur, cum mortuus ab obligatione ſua liberatur (§. 700. *part.* 6. *Jur. nat.*), cura omnis educationis ad ſuperſtitem ſpectat, & niſi mortuus bona relinquat, ut fructuum ſubſidio vel in totum, vel ſaltem in tantum ſumtus educationis ſuſtentari poſſint (§. 527.), ſuperſtes quoque omnem in educationem ſumtum facere tenetur. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi liberi propria habeant bona, fructuum, qui inde percipiuntur, ſubſidio ſumtus educationis ſuſtentare licet (§. 527.), conſequenter parentes eos facere non tenentur. Quamobrem ſi conjux unus moriatur, & liberi propria habuerint bona; ſuperſtes quoque de ſuo ſumtus in educationem facere non tenetur, ſed fructuum, qui ex bonis percipiuntur, ſubſidio ſuſtentari poſſunt. *Quod erat alterum.*

Fieri poſſe, ut liberi propria habent bona, patebit ex iis, quæ in ſubſequentibus demonſtrabuntur.

§. 529.

De educatione prolis ex adulterio genitæ, ſi maritus uxorem non repudiat.

Si maritus uxorem adulteram non repudiat, ſumtus in educationem prolis facere non tenetur, ſed eos dare obligatur adulter. Adulter enim eſt generator prolis ſuæ conſequenter ipſe quoque ſumtus in educationem facere tenetur (§. 445.). Quamvis alias quoque mater ad eoſdem faciendos ſimiliter obligetur (§. *cit.*); cum tamen hæc obligata ſit ad ferenda onera matrimonii & faciendos ſumtus in educationem liberorum ex matrimonio natorum (§. 449. 445.), conſequenter obligata manet, ſi maritus adulteram retinet; maritus uxorem adulteram non repudians ſumtus in educationem prolis ex adulterio genitæ facere non tenetur, ſed eos dare obligatur adulter.

Cura educationis & ſumtus in eam faciendi ad adulterum eodem modo ſpectant, ſive maritus uxorem adulteram repudiet, ſive retineat. Nec ex eo, quod eam retineat, intelligitur, quod onus educationis prolis ex adulterio genitæ in ſe devolvi velit. Nulla igitur ratio eſt, cur propterea ab obligatione ſua liberari debeat adulter (§. 56. *Ontol.*), conſequenter obligatus manet. Quoniam vero mater quoque obligatur ad ſumtus in educationem ſymbolam ſuam conferre (§. 445.); ſi præter ea, quæ ad onera matrimonii conferre tenetur, adhuc ſuperſint, unde educationi prolis ex adulterio genitæ proſpici poſſit, ex ſua parte quoque ſumtibus parcere non debet, quemadmodum nec adulter liberatur ab omni cura educationis, etiamſi proles ſit penes matrem, nec ab iis officiis, quæ parens liberis ſuis debet per ea, quæ inferius demonſtrabuntur. Natura non diſtinguit quoad educationem & officia parentum inter liberos ex ma-

matrimonio genitos & inter eos; quæ ex adulterio, vel ſtupro naſcuntur: adulterium vero non intelligitur commiſſum in præjudicium matrimonii, ſi vel maxime id non ſolvatur.

§. 530.

De educatione liberorum ex priori matrimonio natorum nuptiis ſecundis initis.

Si vidua ad ſecunda vota tranſit, novus maritus educationis liberorum ex priori matrimonio natorum curam gerere & niſi propria bona habeant, vel mater de ſuo ſumtus educationis ſuſtentare valeat, ſumtus quoque in educationem facere tenetur. Idem valet de vero viduo ad ſecunda vota tranſeunte, Etenim uxor mortuo marito liberos ſola educare tenetur (§. 528.). Quodſi vero ad ſecunda vota tranſit, cum novo conjuge vitæ conſuetudinem contrahit (§. 470. 471.), conſequenter etiam curam educationis liberorum ex priori matrimonio natorum cum eodem communicat (§. 471.). Quamobrem cum novi conjuges ad vitæ conſuetudinem obligentur (§. 472.); vidua ad ſecunda vota tranſeunte novus maritus educationis liberorum ex priori matrimonio natorum curam gerere debet. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi liberi ex priori matrimonio nati bona propria non habeant, ſumtus in educationem facere mater ſola tenetur (§. 538.). Quoniam ab hac obligatione non liberatur per hoc quod ad ſecunda vota tranſit (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); maritus novus, dum matrimonium contrahit, tacite in hoc conſentire intelligitur, ut uxor tanquam mater liberorum ex priori matrimonio prognatorum de ſuo ſumtus in illorum educationem faciat. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi vero mater de ſuo ſumtus educationis ſuſtentare minime valeat, qui matrimonium cum ea contrahit, conſequenter in vitæ conſuetudinem, ac ideo quoque in communicationem omnium caſuum, tam ſecundorum, quam adverſorum, qui cuique evenire poſſunt (§. 471.), conſentit (§. 473.), tacite quoque ipſe recipit onus ſumtus in educationem liberorum ex priori matrimonio natorum faciendi. Quamobrem ſi liberi iſti propria bona non habeant, nec mater de ſuo ſumtus educationis ſuſtentare valeat, poſtquam ea ad ſecunda vota tranſit, novus conjux ſumtus in educationem liberorum ex priori matrimonio natorum facere tenetur. *Quod erat tertium.*

Idem eodem modo quoad ſingulas partes oſtenditur de viro viduo ad ſecundas nuptias tranſeunte. *Quod erat quartum.*

Hæ quidem ita ſe habent, ſi ſolum jus naturæ ſpectes, ſepoſitis omnibus iis, quæ vel per pacta expreſſa, vel per tacita quoad onera matrimonii ferenda & bona conjugum tam unicuique propria, quam conjunctim in matrimonio acquiſita, de quibus in anterioribus abunde dictum, immutantur. Quid vero per ea pro diverſitate eorundem non invito jure naturæ immutetur, prolixitatis vitandæ cauſa jam demonſtrare nolumus. Conſultum omnino eſt, ut, dum ſecundæ nuptiæ contrahuntur, præſertim ſi leges poſitivæ in ſtatu civili nihil diſponunt, contrahentes de educatione liberorum ex priori matrimonio natorum, inter ſe conveniant, conſequenter ad ea, de quibus conveniunt, promittendo perfecte ſibi invicem ſeſe obligent (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Ne tamen conveniatur, quod legi naturæ adverſetur, vel etiam quod eidem contrariatur lege poſitiva definiatur, probe tenenda ſunt, quæ in propoſitione præſente demonſtrantur: qua etiam de cauſa eadem hic demonſtravimus.

§. 531.

De bonis ab uxore educationis liberorum prioris matrimonii cauſa ſibi reſervandis.

Quoniam *mater ad ſecunda vota tranſiens* in liberorum prioris matrimonii bonis propriis carentium educationem ſumtus de ſuo facere tenetur (§. 530.); *ſi bona propria habet, qualia non ſunt liberis, de iis ſibi reſervare debet, quantum ſufficit ad ſumtus educationis liberorum prioris matrimonii ſuſtentandos.*

Conſultum eſt, ut de quantitate bonorum reſervatorum ad ſumtus educationis liberorum prioris matrimonii ſuſtentandum conveniatur, ne ullæ naſcantur querelæ de conferendis iis, quæ ad onera matrimonii ferenda pertinent. Et hoc pertinet ad pactum ſecundarum nuptiarum contractui adjiciendum, de quo modo diximus.

§. 532.

BIU Cujas

§. 532.

Bona, quæ uxor sibi reservat, dum matrimonium contrahit, *Receptitia* dicuntur. *De bonis receptitiis.*
Bona igitur, *quæ uxor ad secunda vota transiens in usum educationis liberorum prioris matrimonii sibi reservat* (§. 531.), *receptitia sunt.*

Bona uxoris distingui solent in dotalia, receptitia & paraphernalia, seu parapherna. Enimvero cum bona paraphernalia contradistinguantur potissimum dotalibus, de dote autem hic nondum commode agi potest; ideo quoque differentiam dotalium & paraphernalium suo demum loco explicare poterimus.

§. 533.

Quoniam bona receptitia *uxor* sibi reservat (§. 532.), consequenter nihil juris in iis marito concedit, ac propterea respectu matrimonii perinde sit, ac si ea non haberet; ideo quoque *nihil fructuum, quæ ex bonis receptitiis percipit, in onera matrimonii impendere tenetur.* *An fructus bonorum receptitiorum in onera matrimonii impendendi.*

Si casum illum excipias, quo uxor ad secunda vota transiens sibi reservat quædam bona in usum educationis liberorum prioris matrimonii (§. 531.); bona receptitia rationem naturalem non habent; sed a pacto contractui matrimoniali adjecto unice veniunt.

§. 534.

Cum vi dominii de bonis suis pro arbitrio quilibet disponere possit (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); *naturaliter* quoque *licet fœminæ, si bona habeat, dum matrimonium contrahit, sibi reservare quædam, ita ut nihil fructuum inde perceptorum in onera matrimonii impendere teneatur*, consequenter *bona receptitia juri naturæ minime repugnant.* *An ea bona juri naturæ repugnent.*

Non quæritur de eo, num consultum sit, ut bona receptitia habeat uxor: plures enim sunt casus, in quibus præstaret uxorem nulla habere. Quæstio saltem de jure, præsertim externo, sermo est.

§. 535.

Si matrimonium dissolvitur, quilibet conjux recipit quod suum est, & quod ipsi debetur; naturaliter tamen ad sumtus educationis sustentandum adhuc conferre tenetur ratam suam. Etenim si matrimonium dissolvitur, consuetudo vitæ, ad quam conjuges obligantur, tollitur (§. 473.), consequenter communicatio usus rerum, quas quis habet, cessat (§. 471.). Quamobrem quæ unicuique conjugum propria sunt, & quæ ex acquisitis unicuique debentur (§. 450.), ea recipere debet. *Quod erat unum.* *De bonis conjugum, & sumtibus educationis, facta dissolutione matrimonii.*
Enimvero quoniam uterque conjux ad educationem prolis conferre debet, quod potest (§. 305.); consequenter etiam sumtus in eandem facere (§. 445.); hæc vero obligatio tanquam naturalis (§. 263. *h.* & §. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), immutabilis est (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); dissoluto licet matrimonio uterque tamen conjux proli suæ adhuc eodem modo obligatur, quo antea obligabatur. Quamobrem ad sumtus educationis sustentandum adhuc ratam suam conferre uterque tenetur. *Quod erat alterum.*

Dissolutio matrimonii tollit obligationem conjugalem, qui enim fuerant conjuges, esse desinunt; at non tollit obligationem educationis liberorum, neque onus educationis transfert in unum, nisi in casu necessitatis (§. 446.). Cum vero difficulter curam prolis gerere detur, nisi parentes cohabitent & in vitæ consuetudine persistant; abunde patet, quantum matrimonii dissolutio obligationi prolis educandæ adversetur, ut nec animantia bruta vitæ consuetudinem deserant, aut prolis procreandæ ac educandæ gratia contractam societatem dissolvant, antequam

BIU Cujas

ea fuerit educata, nec ope illorum amplius indigeat. Turpe ideo est hominibus, si obligationi huic minus satisfaciant animantibus brutis ac causam dent divortiis.

§. 536.

Liberi justi quinam sint.

Liberi justi dicuntur, qui utrumque conjugem parentem habent, consequenter a conjugibus in matrimonio fuerunt generati. Vocantur etiam *legitimi*.

Genus enim humanum propagari debet per societates conjugales (§. 269.), non per concubitum promiscuum (§. 268.), nec per adulterium (§. 320.), nec per stupra (§. 335.). Naturaliter itaque liberi justi dici nequeunt, nisi qui secundum legem naturæ, consequenter in matrimonio a conjugibus sunt generati, ac ideo utrumque conjugem parentem habent.

§. 537.

Illegitimi, & spurii, adulterini, vulgo quæsiti.

Illegitimi vocantur *liberi*, qui in matrimonio nati non sunt, seu a personis generati, quæ societatem conjugalem non contraxerunt. In specie autem *Spurii* appellantur ex stupro nati; *adulterini* ex adulterio procreati & *vulgo quæsiti* ex promiscuo concubitu prognati.

Liberi nimirum dicuntur illegitimi, quia non sunt nati secundum naturæ legem. Quoniam vero diversi dantur modi, quibus liberi extra matrimonium nascuntur, illegitimi quoque a se invicem distinguuntur.

§. 538.

Liberi supposititii quinam sint.

Liberi supposititii dicuntur, qui vel loco eorum, qui ex matre nati sunt, supponuntur, vel quando fœmina, quæ non peperit, prolem alienam tanquam ex se natam simulat.

Ex. gr. Ponamus matrem, quæ filiam parit, eam clam permutare cum filio ex alia matre nato; erunt liberi isti supposititii. Ponamus similiter, maritum per aliquot menses esse absentem, & uxorem graviditatem simulantem antereditum ipsius infantem ex alia fœmina natum assumere, ut eum ex se natum marito persuadeat; erit infans hic suppositititius. Dantur casus plures, in quibus liberi supponi possunt; sed in singulos inquirere inutile foret.

§. 539.

De certitudine prolis.

Mater certa est prolem esse suam &, si in præsentia aliarum personarum partum edit, ipsius etiam mariti, aliis quoque & ipsi marito certum est, prolem ex ipsa esse natam; maritus vero prolem a se genitam præsumere tenetur ac certum ipsi hoc non est, nisi uxor constituta fuerit quasi sub oculis & custodia ipsius. Matrem certam esse, quod hæc sit proles sua, per se patet. *Quod erat primum.*

Illi, in quorum præsentia in lucem editur, cum videant infantem ex utero ejus extrahi, propria experientia cognoscunt, prolem hanc esse matris suæ (§. 664. *Log.*), consequenter in quorum præsentia partus editur, iis certum est, ex matre hac infantem esse natum (§. 567. *Log.*), ac ideo etiam hoc marito certum est, si præsens fuerit. *Quod erat secundum.*

Maritus novit, se uxori debitum conjugale præstitisse, & quoniam uxor ipsi soli obligatur ad concedendum corporis sui usum generationis causa (§. 305.), quamdiu contrarium manifestum non est, præsumere tenetur eam, quando gravida est, ex se concepisse, non vero ex alio. Prolem itaque a se genitam præsumit. *Quod erat tertium.*

Quodsi vero uxor constituta fuerit quasi sub oculis & custodia mariti, ipsi satis exploratum, impossibile esse, ut uxor sua cum alio rem habuerit, consequenter ex

BIU Cujas

eo conceperit. Quamobrem in hoc casu ipsi quoque certum est, prolem ex uxore sua editam ex se fuisse genitam. *Quod erat quartum.*

Propter certitudinem prolis videtur *Grotius* lib. 2. c. 5. §. 8. ad matrimonium requirere talem maris cum fœmina cohabitationem, quæ eam constituat quasi sub oculis & custodia maris, ne injuria ipsi fiat, si prolem alienam educare, & sumtus in educationem ejus facere teneatur. Vix vero est quod præsumtio valeat adversus fœminas, quasi fidem conjugalem violent, nisi violatio efficiatur impossibilis.

§. 540.

De agnoscendo partu.

Patet dicitur *agnoscere prolem*, si eam ex se genitam vel expressis verbis, vel ipso facto declarat, seu pro prole sua habet. Quoniam itaque maritus præsumere tenetur *prolem* a se esse genitam (§. 539.); *quamdiu probare nequit, eam ex adulterio natam esse*, eandem *agnoscere tenetur.*

Violatio fidei conjugalis est factum, quod probari debet. Quamdiu adeo probari nequit, uxorem adulterium commisisse, nec pro adultera haberi potest, consequenter maritus nec editum ex uxore partum tanquam adulterinum repudiare potest.

§. 541.

Quinam liberi legitimi habeantur.

Liberi justi seu legitimi reputantur, qui in matrimonio nati sunt, quamdiu adulterium non fuit probatum. Quamdiu enim maritus probare nequit, partum ex uxore editum esse adulterinum, eum agnoscere tenetur, consequenter prolem pro sua habere (§. 540.). Proles itaque utrumque conjugem parentem habere censetur. Quamobrem cum liberi justi, seu legitimi sint, qui utrumque conjugem parentem habent (§. 536.); liberi justi seu legitimi censentur, qui in matrimonio nati sunt, quamdiu adulterium non fuit probatum.

Liberis itaque quæstio status non movetur, si constet eos ex justis nuptiis natos fuisse, præsertim si pater eos agnoverit.

§. 542.

De partu ex stupro agnoscendo.

Si quis confitetur, se concubuisse cum fœmina eo tempore quo concepisse præsumitur; partum agnoscere tenetur, donec probaverit, eam isto tempore cum alio adhuc rem habuisse, vel cum pluribus. Etenim si stuprator confitetur, se cum fœmina, quæ pepe-rit, concubuisse eo tempore, quo concepisse præsumitur (§. 248. *part.* 2. *Jur. nat.*); probabile omnino est, quod ex eo conceperit, consequenter quod pater prolis sit. Quoniam itaque prolem pro sua habere debet, eam vero agnoscit, qui pro prole sua habet (§. 540.), si quis confitetur, se concubuisse cum fœmina eo tempore, quo concepisse præsumitur, partum agnoscere tenetur. *Quod erat unum.*

Enimvero si probaverit, fœminam eo, quo concepisse præsumitur, tempore cum alio adhuc, vel pluribus rem habuisse; incertum omnino est, ex quonam eorum conceperit, consequenter quinam pater sit. Quamobrem etsi confiteatur, se illo tempore cum eadem concubuisse, partum tamen agnoscere non tenetur (§. 540.). *Quod erat alterum.*

Distantia termini nativitatis a termino conceptionis non computari potest in diebus atque horis. Quamobrem sufficit, novem circiter menses a coitu primo, si is deinde repetitus fuit, elapsos esse, cum ordinarium præsumatur (§. 248. *p.* 2. *Jur. nat.*). Præsumtio autem de partu septimestri, aut quæ ad decem vel plures menses extenditur, naturaliter non valet, cum quod extraordinarium habetur, immo de quo, utrum possibile sit, nec ne, adhuc dubitatur, præsumi nequeat (§. *cit.*).

BIU Cujas

§. 543.

Quando fœmina concubitum probare debeat.

Si fœmina, quæ gravida eſt, aut peperit, contendat ſe ex te concepiſſe, tu vero neges, te cum ea rem habuiſſe; concubitum probare tenetur. Quando enim fœmina, quæ gravida eſt, aut peperit, contendit ſe ex te concepiſſe; te partum agnoſcere vult (§. 540.), conſequenter ut eum educes (§. 339.), ac ideo ſumtus in educationem facias, (§. 445. 446.). Quodſi vero tu neges, te cum ea rem habuiſſe, partum agnoſcere conſequenter eum educare, ac ideo in educationem ſumtus facere non vis. Quoniam vero intereſt prolis, ut de patre conſtet, pater autem præſumitur, qui diffiteri nequit, ſe cum fœmina eo, quo concepit, tempore concubuiſſe, donec probaverit, eam iſto tempore adhuc cum alio, vel cum pluribus rem habuiſſe (§. 542.); ſi fœmina affirmet, ſe ex te concepiſſe, tu vero neges, illa utique concubitum probare tenetur.

§. 544.

Quomodo concubitus probandus.

Quoniam fœmina contendens ſe ex te concepiſſe, contra te negantem concubitum probare debet (§. 544.), teſtes vero, per quos probantur facta (§. 1014. *part.* 5. *Jur. nat.*), deeſſe ſolent, cum concubitum ſolus cum ſola ordinarie celebret, & raro contingat, ut quis ab aliis in actu deprehendatur, aſt teſtibus deficientibus per juramentum probatio fieri debet (§. 1060. *part.* 5. *Jur. nat.*), nemo autem in propria cauſa teſtis eſſe poteſt (§. 1048. *part.* 5. *Jur. nat.*); *fœmina concubitum neganti juramentum deferre tenetur*, ſcilicet *quod cum ea rem non habueris*. Et quia juramentum hoc purgatorium eſt (§. 1065. *part.* 5. *Jur. nat.*), juramentum vero purgatorium referri nequit (§. 1087. *part.* 5. *Jur. nat.*); *ſi juramentum tibi delatum recuſes*, pro vero habendum, te cum fœmina coitum celebraſſe, conſequenter *partum agnoſcere teneris* (§. 542.).

Juri naturæ convenire, ut fœmina ante juramentum calumniæ faciat, quam tu delatum præſtes, oſtendi nequit. Quoniam enim neceſſe eſt, ut, ſi ambo juretis, perjuria magis introducantur, quam calumnia excludatur, recte obſervante *Oldendorpio* & approbante *Schardio* in Lexico, perjuria autem damnet lex naturæ (§. 927. *part.* 3. *Jur. nat.*); ideo nec juramento calumniæ locum facere poteſt, quo fœmina jurat ſe non malitioſe juramentum deferre ei, quando ſe imprægnatam fuiſſe dicit. Non eſt quod excipias, niſi præſtetur juramentum calumniæ, nullam militare adverſus te præſumtionem, quæ juramento elidi debeat, conſequenter juramento purgatorio non eſſe locum (§. 1065. *p.* 5. *Jur. nat.*). Quoniam enim vix contingit, ut fœmina contendat, ſe ex te concepiſſe, ſi cum ea rem nunquam habueris; ordinarium vero ſeu quod plerumque fit præſumitur (§. 248. *p.* 2. *Jur. nat.*); præſumtio adverſus te jam militat, ſi fœmina tibi in faciem dicit, te cum ea coiviſſe. Nec deſunt in caſu particulari indicia, quæ præſumtionem augent.

§. 545.

An liberis illegitimis nativitas illegitima imputari poſſit.

Liberis illegitimis imputari nequit, quod non in matrimonio fuerint nati. Liberi enim illegitimi naſcuntur vel ex ſtupro, vel ex adulterio, vel ex concubitu promiſcuo (§. 537.), conſequenter illegitimi ſunt ob ſtuprum, vel adulterium parentum ſuorum, aut ob concubitum promiſcuum matris. Quamobrem cum per ſe pateat, factum parentum, vel matris a voluntate liberorum nondum natorum minime dependere, factum autem alienum nemini imputari poſſit, niſi aliquo modo dependeat a voluntate ipſius (§. 650. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); liberis quoque illegitimis imputari nequit, quod non in matrimonio fuerint nati.

Abſurda igitur vulgi opinio eſt, quando famam liberorum illegitimorum laceſſunt ob factum parentum.

BIU Cujas

§. 546.

Quoniam liberis illegitimis imputari nequit, quod non in matrimonio nati fuerint (§. 545.), ipsi autem perinde sunt liberi parentum suorum, ex quorum concubitu nati, ac liberi legitimi; *liberorum illegitimorum naturaliter eadem sunt jura respectu parentum suorum, quæ legitimorum, & parentes, ex quorum concubitu nati, ad eadem ipsis obligantur, ad quæ naturaliter obligantur parentes liberis legitimis.* *De jure liberorum illegitimorum.*

Naturale igitur non est, sed civile, si liberorum illegitimorum conditio deterior efficiatur, quam legitimorum: quod quatenus recte fieri possit, in præsenti discutiendum non est.

§. 547.

Similiter quia liberis illegitimis imputari nequit, quod non in matrimonio fuerint nati (§. 545.); *naturaliter nativitas illegitima famæ ipsorum nullam maculam adspergit*: id quod & ipsi notioni famæ repugnat (§. 553. *part.* 1. *Jur. nat.*); *neque etiam illa ignominiam parit*, consequenter *qui ignominia afficiendi animo liberis illegitimis nativitatem illegitimam exprobrat, eos conviciatur* (§. 815. *part.* 1. *Jur. nat.*), *ac ideo injuriam ipsis facit* (§. 860. *part.* 1. *Jur. nat.*). *An liberi illegitimi propter nativitatem maculam quadam laborent.*

Macula nativitati liberorum illegitimorum adhæret propter factum illicitum parentum, ex quorum concubitu nati sunt; sed ea non inhæret liberis, in quos transire nequit nisi factum parentum ipsis imputetur: id quod absurdum (§. 545.). Nihil in hisce difficultatis deprehenditur, modo ratione, non communi opinione stare velis.

§. 548.

Factum conjugis unius alteri imputari nequit, si ad id nullo modo concurrit. Etenim si conjux unus ad factum conjugis alterius nullo modo concurrit, is nulla actione sua ad actualitatem actionis alterius quidpiam confert (§. 106. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), consequenter factum alterius nullo modo a voluntate ipsius dependet (§. 110. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum nemini imputari possit factum alienum, quando id nullo modo a voluntate ipsius dependet (§. 650. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nec factum conjugis unius alteri imputari potest, si ad id nullo modo concurrit. *De facto conjugis unius alteri non imputando.*

Arctissima illa unio conjugum, qua una veluti efficiuntur persona (§. 469.), & vi cujus omnes etiam casus inter se communicant (§. 470.), non extendenda est ultra ea, in quibus concordes esse debent. Quod enim conjux unus facit, quod illicitum est, inscia, inconsulta, vel etiam invita parte altera; id unioni isti repugnat, eamque tollit, quippe vi cujus unus utriusque conjugis esse debet quasi intellectus, una quasi voluntas. Diversa igitur si sentiunt, vel volunt, non amplius tanquam una persona spectari possunt, neque enim in unam eandemque personam simul cadunt contrarii intellectus, vel voluntatis actus, neque etiam actus intellectus vel voluntatis unius tantummodo personæ physicæ spectari potest tanquam actus personæ moralis, quæ duarum personarum physicarum unione constituitur.

§. 549.

Quoniam factum conjugis unius alteri imputari nequit, si ad id nullo modo concurrit (§. 548.), ob factum autem alienum nemo puniri potest (§. 1084. *part.* 1. *Jur. nat.*), nisi ad id concurrat (§. 1082. *part.* 1. *Jur. nat.*); *nec conjux unus ob factum conjugis alterius, si ad id nullo modo concurrit, puniri potest.* *An conjux unus puniri possit propter factum alterius.*

Quodsi in statu naturali maritus te læsit, tibi quidem competit jus puniendi maritum (§. 1061. *part.* 1. *Jur. nat.*), minime autem uxorem, quam si punire volueris, injuriam eidem facis (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodsi vero concurrat ad factum mariti uxor, quo læsus es, tum pœna inter

BIU Cujas

ter maritum atque uxorem communicatur (§. 1082. *part.* 1. *Jur. nat.*), & uxor punitur propter factum proprium (§. 1083. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter non propter factum mariti.

§. 550.

An liberi propter factum parentum.

Liberi puniri non possunt propter factum parentum, ad quod minime concurrunt. Nemo enim puniri potest propter factum alienum, quo quis læsus fuit (§. 1084. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum factum parentum non sit factum liberorum, & quia ad id minime concurrunt, nec propter concursum pœna inter eos atque parentes communicatur (§. 1082. *part.* 1. *Jur. nat.*), ut propter factum proprium puniri possent (§. 1083. *part.* 1. *Jur. nat.*); liberi puniri non possunt propter factum parentum, ad quod minime concurrunt.

§. 551.

De debito a conjuge suo nomine contracto.

Si conjux unus suo nomine debitum contrahit, conjux alter id solvere non tenetur, nisi quatenus in rem societatis conjugalis versum. Etenim si conjux unus suo nomine debitum contrahit, contractus hic ad solum conjugem contrahentem spectat. Quamobrem quæ ex eo oritur obligatio (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*), nonnisi conjugem contrahentem respiciunt, qui sese alteri obligare voluit (§. 428. *part.* 3. *Jur. nat.*). Conjux igitur alter debitum solvere non tenetur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum conjuges communi sumtu res domesticas comparare teneantur pro facultatibus uniuscujusque (§. 447.) & ad sumtus educationis conferre, quod quisque potest (§. 445.), &, ubi per operas suas & ex rebus suis tantundem acquirere nequeunt, quantum ad onera matrimonii ferenda sufficit, de ipsis bonis, quæ habent, conjunctim pro rata bonorum conferre teneantur, quod adhuc requiritur (§. 452.); si æs alienum in rem societatis conjugalis versum fuerit, nec debitum solvere teneretur conjux alter, quando qui contraxit solvendo non est, conjux alter locupletaretur re aliena (§. 583. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo locupletari possit ex re alterius (§. 678. *p.* 4. *Jur. nat.*); si conjux unus debitum contraxit suo nomine, & æs alienum in rem societatis conjugalis versum, conjux alter id solvere tenetur.

Quemadmodum factum unius conjugis alteri imputari nequit, si ad id non concurrit (§. 548.); ita nec conjugi alteri imputari potest, quod unus debitum contraxit. Nulla igitur ratio est, cur ad id solvendum teneatur. Nisi vero æs alienum in rem societatis conjugalis a conjuge uno fuisset versum; alter utique de suo id impendere debuisset, quod in usum societatis conjugalis impendendum erat (§. 452.). Quamobrem clarissime perspicitur ipsum fore locupletiorem re alterius, si quidem debitum solvere non teneretur. Injustissimum vero est, si marius uxoris causa æs alienum contrahit, quando vero idem solvendo non est, uxor res alieno ære sibi comparatas retinet, nec debitum solvere tenetur. Quid enim manifestius est, quam uxorem tunc locupletiorem fieri re alterius? Idem quoque luculenter patet in eo casu, in quo luxus uxoris in causa est, ut æs alienum contraxerit maritus.

§. 552.

Casus particularis.

Si uxori a venditoribus fides habetur de pretio in emtione rerum domesticarum, ipsa vero pecuniam eo fine a marito sibi datam inscio eodem in suos quoscunque usus impendit; maritus nihilominus debitum solvere tenetur, si ipsa solvendo non sit. Cum enim ad res domesticas comparandas uterque conjux conferre debeat, quantum potest (§. 424.), & conjuges œconomiam communem habeant (§. 423.), consequenter res domesticas communi consensu administrare debeant (§. 422.); si uxor fidem sibi haberi vult de pretio in emtione rerum domesticarum, venditor præsumit id fieri consensu mariti, nec ipsius est inquirere, utrum maritus pecuniam ad eas comparandas dederit uxori, nec ne, consequenter nec de eo sollicitus esse tenetur, num pecuniam a mari-

to

to acceptam eodem inscio aliter impenderit. Quamobrem cum perinde sit, ac si marito fidem de pretio habuisset venditor, is etiam solvere debitum tenetur, nisi ipsa solvendo sit.

Nimirum si uxor sit solvendo, maritus solvit de eo, quod est uxoris, vel quod ipsi debetur (§. 450.). Quoniam de bonis conjugum & eorum administratione, nec non de oneribus matrimonii per pacta multa disponi possunt, prouti ex antea demonstratis apparet; quæ hic & in propositione præcedente demonstrantur, in diversis hypothesibus variant. Sed nostrum jam non est, ut omnem illam varietatem perstringamus.

§. 553.

Naturaliter donationes inter virum & uxorem sunt licitæ. Donationes enim in se illicitæ non sunt (§. 122. *part.* 4. *Jur. nat.*), & a domini unice voluntate pendet, utrum alicui quid donare velit, an nolit (§. 130. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum dominium, quod habent conjuges in rebus suis, per societatem conjugalem non limitetur (§. 270.); naturaliter quoque donationes inter virum & uxorem sunt licitæ. *De donationibus inter virum & uxorem.*

Civile igitur est, quod in Jure Romano donationes inter virum & uxorem sint prohibitæ. Enimvero cum plura esse possint donationis motiva, eaque maxime honesta, ut eam officia exigant; ideo in Jure civili prohibitio ista tot patitur exceptiones, ut per illas fere plane absorbeatur. Apud Romanos divortia admodum frequentia erant. Hinc non desunt, qui existimant, hanc potissimum prohibitionis fuisse causam impulsivam, ne matrimonia dissolverentur, si donare conjux nollet, quæ poterat, quamvis enim ab aliis plures allegentur rationes aliæ, non tamen istæ statui civili Romano æque conveniunt, unde tamen ratio probationis desumta videtur.

§. 554.

Si conjux unus alteri quid donet sub hac conditione, ne ad secunda vota transeat; naturaliter id actum intelligitur, ut re donata tanquam sua in statu viduitatis utatur fruatur & si in eodem permanserit usque ad mortem eandem tanquam suam retineat, si vero ad secunda vota transeat eandem restituat. Quodsi conjux unus alteri quid donet sub hac conditione, ne ad secunda vota transeat, acceptans promittere videtur, se ad secunda vota transire nolle (§. 2. & §. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam vero promissio hæc non valet, nisi educationi liberorum ex priori matrimonio genitorum officiant secundæ nuptiæ (§. 526.), & vi libertatis naturalis acceptanti permittendum, ut de obligatione naturali matrimonium contrahendi (§. 524.) per se statuat (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*), quæ autem actus irritos faciunt ita interpretanda sunt, ut actus, quantum fieri potest, subsistat (§. 510. *part.* 6. *Jur. nat.*); si conjux unus alteri quid donet sub hac conditione, ne ad secunda vota transeat, naturaliter id omnino actum intelligitur, ut acceptans re donata tanquam sua in statu viduitatis utatur fruatur & si hæc perpetua fuerit eandem tanquam suam retineat, si vero ad secunda vota transeat, eandem restituat (§. 68. *part.* 4. & §. 469. *part.* 3. *Jur. nat.*). *De donatione sub conditione nuptiarum secundarum non ineundarum.*

Facile patet, si donationem ita interpretemur, nihil committi, quod sit illicitum. Donatio facta in solatium viduitatis convenit amori conjugali (§. 465.). Non adimitur donatario potestas matrimonium contrahendi, quæ adimi nequit (§. 524. 525.). Libertas quoque naturalis, vi cujus unusquisque actionum suarum arbiter est (§. 156. 157. *p.* 1. *Jur. nat.*), integra relinquitur. Perinde igitur est, ac si donatio facta fuisset ea lege ut re donata utatur fruatur donatarius in statu viduitatis &, si viduitatem perpetuam esse contingat, ea ipsius maneat: id quod nihil vitii habet. Quamobrem absonum foret, si hoc modo donatio subsistere non deberet, quo subsistere potest. In casibus particularibus dantur etiam rationes particulares honestæ, ob quas interne ad ita donandum obligatur conjux moriens superstiti: quæ cum facile agnoscantur, quando occurrunt, in eas jam inquirere nostrum non esse existimamus.

§. 555.

BIU Cujas

§. 555.

De cautione ob donationem istam præstanda.

Quoniam *si conjux unus alteri quid donet sub hac conditione, ne ad secunda vota transeat*, res donata restituenda, si hoc fiat (§. 554.) *donatarius cavere tenetur iis, quibus res restituenda, nec si res immobilis fuerit eam alienare potest, quamdiu vivit.*

Nimirum nisi de restitutione cautum esset iis, quibus in casu secundarum nuptiarum ea fieri debet, facile contingere poterat, ut nihil restitui posset, vel quia pecunia consumta, vel res donata alienata ac pretium inde redactum consumtum. Multis autem modis contingit, ut, qui hodie solvendo est, idem cras solvendo non sit. Convenit cum his Jus Romanum, quo eum in finem introductam esse constat cautionem *Mutianam* in legato uxori a marito sub conditione viduitatis relicto.

CAPUT III.

De Cognationibus & affinitatibus.

§. 556.

De modo, quo genus humanum propagatur.

Genus humanum propagatur per continuatas generationes. Patet hoc a posteriori. Quotquot enim nascuntur homines, ab aliis hominibus generati sunt. Et hi deinceps rursus generant alios: Atque hoc modo continuatis generationibus, ita ut qui erant geniti continuo fiant generatores, genus humanum propagatur.

Equidem hæc & alia nonnulla, quæ sequuntur, obvia admodum sunt; attendenda tamen, si cognationes earumque gradus intimius perspicere volueris.

§. 557.

Quomodo personæ aliæ ab aliis descendant.

Quoniam genus humanum propagatur per continuatas generationes (§. 556.); ideo *personæ aliæ ab aliis per generationem descendunt.*

Nimirum ponamus, Cajum genuisse Grachum, Grachum genuisse Sempronium, Sempronium genuisse Titium, Titium genuisse Florentem; evidens est Florentem, Titium, Sempronium, Grachum per generationem descendere a Cajo, ita ut si Cajus non extitisset, aut generare noluisset, nec Florens, Titius, Sempronius, Grachus extitissent: hi itaque omnes agnoscunt Cajum tanquam communem ortus sui autorem; & Florens, Cajum, Grachum, Sempronium, Titium agnoscit simul tanquam ortus sui autores. Idem patet eodem modo si Florentem referas ad Grachum, vel ad Sempronium, vel ad Titium. Patet autem omnes simul descendere ab una fœmina, Caji nimirum uxore, aut ea, ex cujus concubitu generatus Grachus.

§. 558.

Quanam in eo sit diversitas.

Personæ aliæ vel continuo a se invicem descendunt, vel ab una quidem persona descendunt, non vero a se invicem. Una enim persona generare potest plures, qui ideo ab eadem descendunt, non vero a se invicem. Quodsi hi singuli iterum generent alios, hi omnes descendunt ab una persona, sed non a se invicem.

Exemplum, quod dedimus (*not.* §. 557.), illustrat descensum continuum personarum plurium a se invicem. Sed ponamus Cajum generare Grachum & Mævium, Grachum vero generare Septimium & Mævium generare Tullium, Grachus & Mævius descendunt a Cajo, sed non a se invicem: similiter Septimius & Tullius ab eodem Cajo descendunt, sed non a se invicem. Idem intelligitur de descensu a fœmina per generationem.

§. 559.

BIU Cujas

§. 559.

Persona, a qua aliæ per generationem descendunt, dicitur *communis stipes* earum. *De stipite communi.*

Ita in exemplo primo (*not.* §. 557.), Cajus est communis stipes Grachi, Sempronii, Titii & Florentis, in exemplo altero (*not.* §. 578.) Cajus est communis stipes Grachi, Mævii, Septimii & Tullii. In illo Grachus quoque communis stipes est Sempronii, Titii & Florentis; ast in hoc Grachus non est communis stipes Septimii & Tullii.

§. 560.

Quoniam persona, a qua aliæ per generationem descendunt, communis stipes est (§. 559.), ad generationem autem concurrunt duæ personæ, mas & fœmina, quod per se patet, consequenter personæ plures per generationem descendunt non minus ab una fœmina, quam ab uno mare; *non minus* etiam *fœmina, quam mas, unde plures personæ aliæ per generationem descendunt, communis earum stipes est.* *De duplici stipite.*

Ex. gr. Ponamus Cajum & Sybillam generare Sempronium & Tanaquillam, a Sempronio generari Mævium, a Mævio Cleliam & ita porro, ast ex Tanaquilla nasci Octavianum & hunc generare Florentem; erit Cajus stipes communis Sempronii, Mævii, Cleliæ &c. idem erit stipes communis Tanaquillæ, Octaviani, Florentis &c. ac similiter in utraque ista serie tam Cajus, quam Sybilla stipes communis est. Immo etiam Sempronius & Tanaquilla, Mævius & Octavianus, Clelia & Florens, & singulæ personæ a Sempronio descendentes cum singulis personis a Tanaquilla descendentes, veluti Clelia & Tanaquilla, Florens & Mævius utrumque stipitem communem habent, Cajum scilicet & Sybillam.

§. 561.

Fœminam, a qua plures personæ per generationem descendunt, *Stipitem fœmineum* appellare lubet; sicuti *masculinum* marem, a quo personæ plures per generationem descendunt. Quoniam si maritus ad secunda vota transiit, ex nuptiis primis nati & qui porro ab iis descendunt, ab alia fœmina descendunt, quam descendentes ex nuptiis secundis; *ex nuptiis primis & secundis nati & qui porro ab iisdem descendunt communem quidem stipitem habent masculinum, sed fœmininum tamen diversum.* *Stipes masculinus & fœmininus.*

Ex. gr. Ponamus Cajum & Sybillam generare Sempronium, Sempronium vero Grachum & Grachum porro Mævium; eundem vero Cajum mortua Sybilla ducere Cleliam & cum ea generare Octavianum, hunc vero Florentem & ita porro. Evidens est Sempronium, Grachum, Mævium &c. Octavianum, Florentem &c. communem stipitem habere masculinum, nimirum Cajum; ast non eundem stipitem fœmineum, cum Sempronii, Grachi, Mævii &c. stipes communis fœmineus sit Sibylla, ast Octaviani, Florentis &c. Clelia.

§. 562.

Dependentia ortus duarum vel plurium personarum a communi stipite masculino dicitur *Agnatio*; dependentia vero a communi stipite fœmineo *Cognatio*. *Cognatio* etiam in genere vocatur dependentia ortus duarum vel plurium personarum a communi stipite. Unde qui agnati dicuntur *cognati paterni*; qui vero cognati in specie appellantur, *cognati materni* audiunt: qui autem a communi stipite tam masculino, quam fœminino simul descendunt, *cognati ab utroque latere vocantur.* *Agnatio & cognatio quomodo differant.*

Patebit ex subsequentibus, agnationem & cognationem attendendam quoque esse in Jure naturæ ac a se invicem distinguendam.

BIU Cujas

§. 563.

Linea recta quid sit. Series personarum per continuas generationes a se invicem descendentium dicitur *Linea*, eaque *recta* quamdiu in se spectatur. Et hinc personæ in eadem serie constitutæ dicuntur *Agnati*, vel *Cognati* in *linea recta*, prouti stipes, hoc est, persona, a qua linea incipit, vel mas est, vel fœmina.

Ex. grat. Si Mævius genuit Sempronium & ab hoc porro per continuas generationes a se invicem descendunt Cajus, Grachus, Scævola, Marius, Modestinus, Marcellus, Florens; personæ istæ omnes dicuntur agnati in linea recta. Erunt autem iidem cognati in linea recta, si omnes descendant a Sybilla.

§. 564.

De relatione personarum ad se invicem in linea recta. Quoniam *personæ in linea recta* per continuas generationes a se invicem descendunt; eædem *ad se invicem referuntur sicuti genitæ ad generantes.*

Ita in exemplo, quod modo dedimus, Sempronius ad Mævium refertur ut genitus ad generantem, & eadem est relatio Modestini ad Mævium, Sempronium, Cajum, Grachum, Scævolam, Marium: etenim Modestinus quoad ortum suum a Mævio, Sempronio, Cajo, Gracho, Scævola & Mario dependet, ita ut, nisi hi omnes extitissent ac generassent, nec ipse existeret ac genitus fuisset.

§. 565.

De linea ascendente & descendente item ascendentibus & descendentibus. Personæ, quæ in linea recta se habent ad ceteras in eadem ut generatores ad genitas, dicuntur *Ascendentes*: quæ vero se habent ut genitæ ad generatores vocantur *Descendentes*. Hinc si personam quamcunque in linea recta assumas tanquam terminum, per quem ea in duas partes dividitur; pars lineæ rectæ, in qua constituuntur ejus generatores, vocatur *Linea ascendens*, altera vero, in qua constituuntur personæ genitæ ab eadem, vocatur *Linea descendens*. Nimirum si personam genitam in linea recta referas ad gignentem aliquam, ascendendo ab illa ad hanc per loca omnia intermedia, series personarum dicetur *Linea ascendens*: quodsi vero eandem personam ut gignentem referas ad genitam descendendo per omnia loca intermedia; series earundem personarum erit *Linea descendens*. Patet itaque *unam eandemque lineam rectam esse ascendentem & descendentem, prouti persona aliqua tanquam genita refertur ad aliam tanquam gignentem, vel contra eadem persona gignens ad eandem genitam.*

A
|
B
|
C
|
D
|
E &c.

Ex. gr. Sit series personarum A, B, C, D, E &c. quarum A genuit B, B genuit C, C genuit D, D genuit E, ac ita porro. Quod si quæratur de cognatione personarum E atque A, & E referatur ad A, dicetur linea ascendens, quæ constituitur serie personarum E, D, C, B & A. Ast si persona A referatur ad E, dicetur linea descendens, quæ constituitur serie personarum A, B, C, D, E. Etenim respectu personæ E ceteræ D, C, B & A spectantur ut generatores, consequenter ipsius E sunt ascendentes: ast respectu personæ A ceteræ B, C, D & E spectantur ut genitæ, consequenter ipsius A descendentes sunt. Perinde hic sese res habet ac in progressione numerorum, quæ vel ascendens dicitur, vel descendens, prouti a termino maximo continuo progrediaris ad majores, vel vice versa a maximo termino continuo ad minores. Etenim si progressio geometrica fuerit 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. progressio ascendens: quodsi vero seriem numerorum invertas, scribendo 64. 32. 16. 8. 4. 2. 1. eadem progressio descendens dicitur.

§. 566.

BIU Cujas

§. 566.

De loci determinatione in linea recta.

Quoniam in linea recta perſonæ ad ſe invicem referuntur ut genitæ ad gignentes (§. 564.), & quatenus linea illa in ſe ſpectatur, perſonæ ſingulæ a ſe invicem per generationes deſcendunt, excepta prima, a qua omnes deſcendunt (§. 563.), conſequenter quæ communis ſtipes eſt (§. 559.), perſonæ autem, quarum ortus per generationem a communi ſtipite dependet, deſcendentes ſunt (§. 565.), una vero eademque linea recta pro diverſa relatione deſcendentium ad ſtipitem, vel ſtipitis ad deſcendentes nunc aſcendens appellatur, nunc deſcendens (§. 565.); *in linea recta, ſive tanquam aſcendens, ſive tanquam deſcendens conſideretur, tot dantur generationes, quot perſonæ in eadem conſtituuntur, demto ſtipite, per quas unicuique earum ſuus locus in linea determinatur.*

Ita in ſerie A. B. C. D. E. dependet quoad ortum ſuum B a ſtipite A per unam, C per duas, D per tres, E per quatuor generationes & ita porro, conſequenter quando in eadem conſtituuntur perſonæ quinque, quarum prima A ceterarum communis ſtipes eſt, quatuor ſunt generationes, quarum una determinatur locus ipſius B ſtipiti proximus, duabus locus ipſius C, tribus locus ipſius E, quatuor denique locus ipſius E.

§. 567.

Unde oriatur diverſitas cognationis.

Quoniam in linea recta tot ſunt generationes, quot perſonæ, demto ſtipite, & per eas unicuique perſonæ locus ſuus in eadem determinatur (§. 566.), *diverſitas cognationis inter ſtipitem & perſonam quamcunque in linea recta oritur ex numero generationum, per quas ea quoad ortum ſuum a ſtipite dependet.*

Ita ſtipiti A diverſo modo cognati ſunt B, C, D & E, quia B quoad ortum ſuum ab eodem dependet per generationem unam, C per duas, D per tres, & E per quatuor.

§. 568.

Quid Gradus cognationis ſit in linea recta, & quomodo computetur.

Diverſitas cognationis perſonæ deſcendentis cum ſtipite *in linea recta* dicitur *Gradus*. Quoniam itaque ea oritur ex numero generationum, quæ inter ſtipitem & perſonam, quæ ad eum refertur, intercedunt (§. 567.); *generatio gradum facit, ac tot ſunt gradus quot inter ſtipitem & perſonam, quæ ad eum refertur, generationes intercedunt, conſequenter perſona deſcendens ſtipiti in eo gradu cognata eſt, quem indicat numerus generationum inter ipſam & ſtipitem intercedens.*

Ita in linea recta, in qua conſtituuntur A, B, C, D & E, & cujus ſtipes eſt A, cum inter A & E quatuor intercedant generationes, gradus ſunt quatuor, & perſona B ipſi A cognata eſt in gradu primo, C in ſecundo, D in tertio, E in quarto.

§. 569.

De cognatis propioribus & remotioribus.

Cognati propiores ſunt, qui minori graduum numero a ſtipite diſtant; *remotiores* autem, qui majore numero diſtant. Et *cognatus proximus* eſt, qui uno ſaltem gradu a ſtipite diſtat, ſeu per unam generationem ab eodem deſcendit. Dicitur tamen in ſignificatu generali etiam *proximus cognatus*, ſi alii propiores non amplius extant. Ita ſtipiti agnatus in gradu tertio erit proximus, ſi nullus extet amplius in gradu primo, atque ſecundo.

Quoniam nimirum generatio gradum efficit, conſequenter diſtantiam a ſtipite (§. 568.); ſingulæ generationes addunt eidem æquale intervallum, ut adeo diſtantia a ſtipite creſcat in ratione generationum. Paulus l. 10. §. 10. ff. de gradibus: Gradus, inquit, dicti ſunt a ſimilitu-

BIU Cujas

litudine ſcalarum locorum declivium, quos ita ingrediamur, ut a proximo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus.

§. 570.

De terminis lineæ rectæ. *Linea recta non terminatur aſcendendo per ſe, niſi ſubſiſtere volueris, ubi placuerit; deſcendendo autem terminatur in perſona, quæ improles moritur.* Etenim in linea recta conſtitutæ perſonæ omnes quoad ortum ſuum a ſe invicem dependent per continuas generationes (§. 563.). Quamobrem cum naturaliter nemo exiſtat, niſi qui ab alia perſona fuit genitus; ſi in linea recta aſcendas, ſubſiſtendum erit in perſona, quæ quoad ortum ſuum ab alia per generationem dependet. Recta igitur linea per ſe nullibi terminatur; ſed ſi terminari debeat, ibi ſubſiſtendum erit, ubi placuerit. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi deſcendendo pervenias ad perſonam, quæ improles moritur, vel mortua eſt, cum ab ea nulla alia per generationem quoad ortum ſuum dependeat, in iſta ſerie ultra illam nulla amplius exiſtit, conſequenter deſcenſus finitur. Linea igitur recta deſcendendo terminatur in perſona, quæ improles moritur. *Quod erat alterum.*

§. 571.

De ultima perſona ex linea deſcendente. Quoniam linea recta deſcendendo terminatur in perſona, quæ improles moritur (§. 570.), conſequenter a qua quoad ortum ſuum nulla dependet per generationem, ultima vero eſt in linea, poſt quam non exiſtit alia (§. 44. *part.* 1. *Theol. nat.*); *in linea recta deſcendente perſona ultima eſt, quæ improles moritur.*

Lineas rectas finiri, experientia quotidiana docet, vel quia cælibes moriuntur, vel quod matrimonia contracta ſunt ſterilia, vel denique quod liberi moriuntur ante parentes.

§. 572.

De cognatione directa. *Cognatio directa* dicitur, quam inter ſe habent perſonæ in linea recta conſtitutæ, conſequenter quarum una ab altera quoad ortum ſuum per generationem dependet (§. 563.). *In cognatione* igitur *directa aſcendens refertur ad deſcendentem vel deſcendens ad aſcendentem* (§. 565.).

Nimirum deſcendens in ortu ſuo per generationem dependet ab aſcendente. Unde in cognatione directa vel perſona quædam refertur ad eam, quæ per generationem in ortu ſuo ab ipſa dependet, vel perſona quædam refertur ad eam, a qua ipſamet per generationem in ortu ſuo dependet.

§. 573.

De diviſione recta in aſcendentem & deſcendentem. *Si in linea recta perſonam quamcunque ſumas pro termino, ad quem referendæ ſunt tam ſuperiores, quam inferiores; ea per ipſam dividitur in lineam aſcendentem & deſcendentem.* Etenim patet perſonam iſtam, quæ pro termino aſſumitur, ad quem ceteræ referendæ, ſeſe ad ſuperiores habere ut genitam ad generatores; ad inferiores autem ut generatorem ad genitas (§. 563.). Quamobrem ſuperiores ſunt aſcendentes ejuſdem, inferiores autem deſcendentes (§. 565.). Quoniam itaque linea aſcendens eſt, in qua conſtituuntur aſcendentes, deſcendens vero, in quo deſcendentes conſtituuntur (§. *cit.*); ſi in linea recta perſonam quamcunque ſumas tanquam terminum, ad quem ceteræ referendæ, ea per ipſam dividitur in lineam aſcendentem & deſcendentem.

In linea nimirum recta de perſona qualibet, modo non ſit ultima, quæ deſcendentes non habet, quæri poteſt, quinam ſint ejus aſcendentes, quinam deſcendentes. Atque tum ad eandem

BIU Cujas

dem referuntur tum singulæ superiores, a quibus ipsa per generationem descendit, quam singulæ inferiores, quæ ab ipsa per generationem descendit, quam singulæ inferiores, quæ ab ipsa per generationem descendunt.

§. 574.

De gradibus superioris & inferioris ordinis.

Gradus superioris ordinis sunt, qui obtinent in cognatione personæ alicujus cum aliquo ascendente. *Gradus* autem *inferioris ordinis* sunt, qui obtinent in cognatione alicujus cum aliquo descendente. Ascendentes nimirum appellantur *cognati superioris ordinis*; descendentes vero *cognati ordinis inferioris*. Quoniam una eademque persona ab alia superiore per unam, duas & plures generationes dependere potest, quemadmodum & sub se habere alias, quæ per unam, duas & plures generationes in ortu suo ab ipsa dependet; *Una persona in linea recta habere potest cognatos in eodem gradu tam ascendentes, quam descendentes.*

Ex. grat. Ponamus Sempronium genera sse Cajum, Cajum vero Grachum: Sempronius & Grachus Cajo cognati erunt in gradu primo. Ponamus porro Sempronium genitum fuisse a Modestino, Grachum vero genuisse Pomponium: erunt Modestinus & Pomponius cognati Caji in gradu secundo.

§. 575.

De parentibus & liberis.

Cognati ordinis superioris in linea recta uno nomine dicuntur *Parentes*; cognati autem ordinis inferioris *Liberi*.

Distinguuntur enim deinceps tam parentes, quam liberi pro diversitate graduum in parentes primi, secundi, tertii gradus & ita porro, ac similiter in liberos primi, secundi, & tertii gradus & ita porro. Et hoc quidem pacto cognati tam superioris, quam inferioris ordinis facilius ac clarius distinguuntur, quam peculiaribus nominibus, sicuti in Matheſi potentiæ facilius & clarius distinguuntur per exponentes, qui gradum exprimunt, quam peculiaribus nominibus, quibus usi sunt *Diophantus & Vieta*, vel etiam Arabes. Quoniam tamen istorum cognatorum in utroque ordine peculiaria prostant nomina, quibus etiam utimur; ideo ea hic prætermittere non debemus.

§. 576.

Cognatio ordinis superioris in linea recta & eorum nomina.

Cognati ordinis superioris in lineæ rectæ gradu primo dicuntur *Pater & Mater*. Nimirum *Pater* est, qui personam alteram, quæ ad ipsum refertur, genuit: *Mater* vero, quæ eandem peperit, seu ex qua eadem nata est. Cognati ordinis superioris in lineæ rectæ gradu secundo sunt *Avus & Avia*. *Avus* nimirum *paternus* est pater patris mei; *avus* vero *maternus* pater matris meæ. Similiter *Avia paterna* est mater patris mei; *Avia* vero *materna* mater matris meæ. Cognati ordinis superioris in linea recta in gradu tertio sunt *Proavus & Proavia*. *Proavus* est pater avi mei tam paterni, quam materni, & similiter aviæ meæ tam paternæ, quam maternæ: *Proavia* vero mater tam utriusque avi, quam utriusque aviæ. Cognati ordinis superioris in lineæ rectæ gradu quarto sunt *Abavus & Abavia*. Scilicet *Abavus* dicitur pater singulorum proavorum; *Abavia* vero mater singularum proaviarum. Cognati ordinis superioris in gradu quinto lineæ rectæ sunt *Atavus & Atavia*. Nimirum *Atavus* dicitur pater abavi & abaviæ; *Atavia* vero mater abavi & abaviæ. Cognati ordinis superioris in gradu sexto lineæ rectæ sunt *Tritavus & Tritavia*. Nimirum *Tritavus* vocatur tam atavi, quam ataviæ pater; *Tritavia* vero tam atavi, quam ataviæ mater. Cognati ulteriores in linea recta non speciale nomen habent, sed communi nomine *Majores* appellantur.

Facile apparet, nos retinuisse significatum generalem vocabuli cognationis ad evitandam prolixi-

BIU Cujas

lixitatem, quemadmodum quoque jam ante fecimus, ubi opus non est agnationem a cognatione in specie sic dicta distingui. Nomina vero, quæ commemoravimus, tradit *Paulus* l. 10. de grad. & affin. & nomin. eor.

§. 577.

De numero cognatorum ordinis superioris in linea recta.

Quoniam homo quilibet duos parentes primi gradus habet, quando vero matrimonium contrahitur, mas non minus, quam fœmina, itidem duos sibi proprios parentes habet; levi attentione animadvertitur, *numerum parentum progredi in ratione dupla*, consequenter *in gradu primo parentes esse duos, in secundo quatuor, in tertio octo, in quarto sedecim, in quinto triginta duo, in sexto sexaginta quatuor, in septimo centum viginti & in octavo ducentos quinquaginta & sex*, atque ita porro in infinitum, *& in quolibet gradu tot dari mares, quot fœminas*, consequenter *Homines quemlibet habere patrem unum & matrem unam, avos duos & avias duas, proavos quatuor & proavias quatuor, abavos octo & abavias octo, atavos sedecim & atavias sedecim, tritavos triginta duos & tritavias triginta duas, in gradu autem septimo majores inter mares sexaginta quatuor & totidem inter fœminas; ac ita porro in ratione dupla progrediendo in infinitum, seu quousque libuerit, si nimirum supponas nulla matrimonia contrahi inter ascendentem & descendentem in linea recta* (§. 332. *Arithm.*).

Hinc intelligitur, quam stupendus prodeat parentum numerus, a quibus ortus tuus dependet, ita ut tu non existeres, nisi isti omnes extitissent. Qui progressionem geometricam summare novit; numerum parentum facile computabit, ad quemcunque usque gradum progredi voluerit. Sane si in gradu sexto subsistere, nec ultra tritavum & tritaviam progredi volueris; parentes, a quibus descendis, sunt 128. si subsistas in gradu octavo, parentes tibi sunt 512. si in decimo, erunt 2048. Facile igitur apparet, cur ultra tritavum parentibus peculiaria nomina imponere noluerint Romani. Ceterum non inutile est, ut consideremus, quomodo actualitas, seu existentia nostra determinetur, & quantus sit causarum numerus, quæ in eundem influunt: prodest enim ad clarius concipiendum modum, quo actus contingentium in natura rerum determinatur, & principium fœcundum est ad inveniendum alia, de quibus in præsenti dicere ab instituto præsenti alienum.

§. 578.

Cognati ordinis inferioris in linea recta & eorum nomina.

Cognati ordinis inferioris in gradu primo lineæ rectæ sunt *Filius* & *Filia*, qui tamen & plures esse possunt. Dicitur autem *Filius* persona mascula, quæ ab alia immediate genita vel in lucem edita fuit, seu ab ea per unam generationem quoad ortum suum dependet. *Filia* vocatur fœmina, quæ ab alia immediate genita, vel in lucem edita fuit, seu ab eadem per unam generationem quoad ortum suum dependet. Nimirum *Filius* quis dicitur, vel etiam fœmina *Filia* respectu tam patris, quam matris. Cognati ordinis inferioris in gradu secundo sunt *Nepos* & *Neptis*. Nepos est filius ex filio, vel filia natus; *Neptis* vero filia ex filio vel filia natus. Cognati ordinis inferioris in gradu tertio sunt *Pronepos* & *Proneptis*. *Pronepos* est nepos filii, vel filiæ; *Proneptis* nepos filii, vel filiæ, aut, si mavis, ille est filius ex nepote ex filio vel filia, aut ex nepte ex filio & filia. Cognati ordinis inferioris in quarto gradu lineæ rectæ sunt *Abnepos* & *Abneptis*. *Abnepos* nimirum dicitur filius Pronepotis, vel Proneptis; *Abneptis vero* filia Pronepotis, vel Proneptis. Cognati ordinis inferioris in quinto gradu sunt *Adnepos* & *Adneptis*. Nimirum *Adnepos* est filius abnepotis vel abneptis. *Adneptis* vero filia abnepotis, vel abneptis. Cognati ordinis inferioris in gradu sexto sunt *Trinepos* & *Trineptis*. *Trinepos* nimirum est filius adnepotis, vel adneptis. *Trineptis* vero est filia adnepotis, vel adneptis. Apud Romanos liberi usque ad trinepotem proprio vocabulo nominantur, ultra hos *Posteriores* vocantur.

Nomina hæc tradit *Paulus* l. 10. de gradib. & affinitat. & nominib. eor. qui singularem de hoc argumento librum olim conscripsit.

BIU Cujas

§. 579.

De numero liberorum in quovis cognationis gradu ordinis inferioris.

Quoniam conjuges duo, seu pater unus cum una matre plures generare possunt filios & filias, quod a posteriori notum sumitur; *numerus liberorum in quovis gradu cognationis ordinis inferioris determinatus non est, sicuti parentum in quovis gradu cognationis ordinis superioris* (§. 577.).

Ita si tibi nascantur duo tantummodo filii, ex quorum primo tibi porro nascuntur nepotes tres & neptes duæ, ex altero vero nepos unus & neptes quinque; in gradu secundo ordinis inferioris cognatos habes undecim, quatuor nimirum nepotes, septim neptes. Ast pone tibi nasci filium & filias duas; ex filio porro tres nepotes & tres neptes; ex filia primogenita nepotes tres, neptes quatuor, ex filia secundo genita quinque nepotes, neptem nullam. In gradu secundo cognati tibi sunt octodecim, scilicet nepotes undecim, neptes septem.

§. 580.

De cognationum speciebus in linea descendente.

Quoniam nepos dupliciter intelligitur, ex filio vel filia natus, & idem est in nepte (§. 578.); *in secundo gradu cognationis ordinis inferioris in linea recta quatuor sunt cognationum species.* Similiter quoniam proneptis quadrifariter intelligitur, nimirum aut ex nepote ex filio, aut ex nepote ex filia, aut ex nepte ex filio, aut ex nepte ex filia propagatus & idem est in nepte; *in tertio gradu ordinis inferioris in linea octo sunt cognationum species.* Quoniam eodem modo patet, sub appellatione abnepotis cadere personas octo & totidem sub appellatione abneptis; *in quarto gradu ordinis inferioris in linea recta sedecim sunt cognationum species.* Et quia abnepos sedecim, abneptis totidem habet personas, *in quinto gradu ordinis inferioris in linea recta triginta duæ cognationis species* sunt. Et in genere patet, *crescente gradu in progressione numerorum naturali numerum specierum cognationis ordinis inferioris crescere in ratione dupla, termino primo progressionis existente binario.* Quoniam tamen numerus liberorum in quovis gradu cognationis inferioris determinatus numerus non est; (§. 579.) ideo *ab uno stipite non semper descendunt singularum specierum in quolibet gradu cognati.* Et quia denique descendentes in gradu propiori improles etiam moriuntur; *lineæ* quoque *descendentium sæpissime prorsus extinguuntur.*

Patet adeo aliam prorsus esse rationem cognationis in linea recta descendente & cognationis in ascendente.

§. 581.

De stipite cognationis in linea descendente.

Quoniam cognati cujuscunque gradus omnes ab eadem persona, quæ lineam descendentem inchoat, descendunt (§. 578.), persona autem, a qua alia per generationes quotcunque descendunt, harum stipes est (§. 559.); *filii & filiæ, nepotes & neptes, pronepotes & proneptes, abnepotes & abneptes, adnepotes & adneptes, trinepotes & trineptes, & omnes, quotcunque sunt, posteriores ab eodem stipite descendunt, nimirum ab ea persona, qui est pater & quæ est mater filii vel filiæ, aut vel qui pater est, vel quæ mater filii aut filiæ.*

Nimirum quia secundæ nuptiæ celebrari possunt, contingere potest, ut ab uno patre descendant, qui non eandem matrem habent, & ab his porro propagentur deinde cognati ulteriores. Unde personæ, quæ constituuntur in linea recta a patre derivata, non etiam omnes constituuntur in linea, quæ derivatur a matre.

§. 582.

BIU Cujas

§. 582.

De pluribus lineis rectis communem ſtipitem habentibus.

Si quis plures habuerit liberos primi gradus & ex ſingulis propagentur alii ulteriorum graduum; tot oriuntur lineæ rectæ diverſæ, quot ſunt liberi primi gradus, quæ primum genitorem communem ſtipitem agnoſcunt. Etenim ponamus Titium habere duos filios Mævium & Sempronium, ac filiam unam Tanaquillam. Ponamus porro ex ſingulis naſci Titio nepotes, neptes, pronepotes, proneptes, abnepotes, abneptes & ita porro. Quoniam qui ex Mævio naſcuntur omnes a Titio per continuas generationes deſcendunt, minime autem a Sempronio & Tanaquilla; qui vero propagantur a Sempronio, ſimiliter a Titio per continuas generationes deſcendunt, ſed non a Mævio & Tanaquilla, & qui per Tanaquillam propagantur, per continuas itidem generationes deſcendunt a Titio, aſt non a Mævio & Sempronio; tres omnino diſtinctæ naſcuntur lineæ (ſi nimirum nonniſi unam perſonam a ſingulis continuo generari ponamus) quarum ſingularum communis ſtipes eſt Titius (§. 565.).

Clariſſime hoc patet, ſi lineas tibi repræſentes hunc in modum:

Titius	Titius	Titius.
Mævius filius	Sempronius filius	Tanaquilla filia.
Nepos.	Neptis.	Nepos.
Pronepos.	Pronepos.	Proneptis.
Abneptis. &c.	Abnepos. &c.	Abneptis. &c.

§. 583.

Species linearum in communi ſtipite concurrentium.

Quoniam deſcendentes a ſingulis liberis primi gradus ſtipitem communem agnoſcunt patrem & matrem liberorum primi gradus (§. 582.); *linearum rectarum in communi ſtipite concurrentium duæ ſunt ſpecies*, nimirum *paterna & materna, quæ pro diverſitate perſonarum, quæ ad communem ſtipitem referuntur, etiam lineæ avitæ, ſeu avi & aviæ, & ita porro vocantur.*

Alia nimirum eſt linea deſcendentium a patre uno vel matre una, alia ab avo vel avia, alia a proavo vel proavia, alia ab abavo & abavia & ita porro, extra quam ſcilicet tanquam deſcendens ab eodem ſtipite ego conſtituor.

§. 584.

De linea obliqua.

Duarum linearum rectarum, quæ communem ſtipitem habent, una dicitur ad *alterum obliqua*, vel etiam reſpectu alterius, quæ ad eam refertur, *obliqua linea*.

Ex. gr.

BIU Cujas

Ex. gr. Si a Mævio per continuas generationes descendunt Grachus, Cajus, Sybilla, Clelia, Florens &c. ab eodem itidem per generationes continuas descendunt Sempronius, Octavianus, Titius, Tanaquilla, Diana &c. duæ sunt lineæ rectæ, quæ communem stipitem agnoscunt Mævium. Linea, in qua constituuntur Grachus, Cajus, Sybilla, Clelia, Florens &c. dicitur ad alteram, in qua constituuntur Sempronius, Octavianus, Titius, Tanaquilla, Diana &c. obliqua, vel etiam simpliciter respectu alterius obliqua.



Denominatio desumta est ex Geometria, in qua duarum linearum rectarum in eodem puncto sub angulo obliquo concurrentium una ad alteram obliqua dicitur.

§. 585.

Personæ omnes, quæ ab eodem stipite descendunt in pluribus lineis rectis, simul sumtæ faciunt *Familiam stipitis*. Unde *Familia* est multitudo personarum ab eodem stipite per lineas quotcunque descendentium. Hinc *qui a patre meo descendunt faciunt familiam patris mei; qui ab avo, familiam avi, qui a proavo, familiam proavi & ita porro.* *De familia & diversitate earundem.*

Ex. gr. Grachus, Cajus, Sybilla, Clelia, Florens a patre Sempronii descendunt. Sunt itaque personæ istæ omnes cognati Sempronii in familia patris sui. Ast Octaviani avus Mævius est. Quare eædem personæ sunt cognati Octaviani ex familia avi sui. Similiter idem Mævius est proavus Titii. Quamobrem personæ istæ sunt cognati Titii ex familia proavi sui & ita porro.

§. 586.

Quoniam personæ in pluribus lineis ad se invicem obliquis a communi stipite descendunt (§. 584.), generatio autem gradum facit (§. 568.); *iidem numero gradus in singulis seriebus simul sumtis gradum familiæ faciunt*, consequenter *filii ac filiæ omnes constituuntur in primo gradu familiæ, nepotes & neptes in secundo, pronepotes & proneptes in tertio, abnepotes & abneptes in quarto & ita porro.* *De gradibus familiæ.*

Ex. gr. Si a Mario in linea recta descendunt Grachus, Cajus, Sybilla, Clelia, Florens &c. & in alia recta Sempronius, Titius, Tanaquilla, Diana &c. Grachus & Sempronius sunt in primo gradu familiæ Marii, Cajus & Octavianus in secundo, Sybilla & Titius in tertio, Clelia & Tanaquilla in quarto, Florens & Diana in quinto &c.

§. 557.

Familia patris & matris nonnisi unum gradum habet, familia avi & aviæ duas; familia proavi & proaviæ tres; familia abavi & abaviæ quatuor; familia atavi & ataviæ quinque; familia tritavi & tritaviæ sex. Etenim qui a patre & matre descendunt, nonnisi per unam generationem descendunt, ab avo vero & avia per duas, a proavo & proavia per tres, ab abavo & abavia per quatuor, ab atavo & atavia per *De gradum numero in familiis.*

BIU Cujas

per quinque, a tritavo & tritavia per ſex generationes deſcendunt (§. 576. 578.). Quamobrem cum perſonæ omnes ſimul ab eodem ſtipite deſcendentes faciant familiam (§. 585.), generatio autem faciat gradum (§. 568.), & gradus numero iidem in omnibus lineis ad ſe invicem obliquis conficiant gradum familiæ (§. 586.); familia patris & matris nonniſi gradum unum habet, familia avi & aviæ duos, familia proavi & proaviæ tres, familia abavi & abaviæ quatuor, familia atavi & ataviæ quinque, familia tritavi & tritaviæ ſex.

Ita in exemplo, quod dedimus (*not.* §. 584.), Mævius eſt pater Grachi & Sempronii, avus Caji & Octaviani, proavus Sybillæ & Titii, abavus Cleliæ & Tanaquillæ, atavus Florentis & Dianæ &c. Patet itaque familiam Mævii tanquam patris conſiderati terminari gradu uno, tanquam avi ſpectati duobus gradibus, tanquam proavi tribus, tanquam abavi quatuor, tanquam atavi quinque contineri. Hæc probe notanda ſunt, ut intelligatur, undenam ſit omnis diverſitas cognationis in lineis ad ſe invicem obliquis, conſequenter quomodo ejuſdem gradus naturali ratione determinentur. Nimirum probe conſiderandum eſt, quomodo perſona in linea ad alteram obliqua reſpiciat ſtipitem, ut pateat genuina ratio cognationis, prouti ex ſubſequentibus patebit. Notandum vero eſt, familiam patris hic dici, cujus ſtipes ſeu caput pater eſt, familiam avi, cujus ſtipes vel caput avis eſt & ita porro, ut ideo in familia patris non contineantur niſi liberi primi gradus, in familia vero avi, quæ illam continet, liberi & primi, & ſecundi gradus ac ita porro.

§. 588.

De gradibus familiæ patris, avi, proavi mei.

Familia patris mei, item avi mei, proavi mei ac ita porro extendi poteſt ad gradum quemcunque. Etenim ab una eademque perſona deſcendere poſſunt per generationem liberi cujuſcunque gradus in diverſis lineis rectis, quarum communis ſtipes ea eſt (§. 582.). Quamobrem ſi ea perſona fuerit pater meus, vel avus meus, vel proavus meus, ac ita porro; liberi cujuſcunque gradus in diverſis lineis ab ea deſcendentes, pertinent ad familiam patris, avi, proavi mei, ac ita porro. Familia itaque patris mei, avi mei, proavi mei, ac ita porro, extendi poteſt ad gradum quemcunque.

Familia patris non eſt confundenda cum familia patris mei. Illius enim caput pater dicitur reſpectu omnium perſonarum ad eandem pertinentium: aſt familiæ patris mei caput equidem eſt pater meus, ſed idem non eſt pater omnium perſonarum ad eandem pertinentium, verum potius liberorum in ſecundo gradu, ſeu nepotum & neptium avus, liberorum in tertio gradu proavus, ac ita porro. Ita in exemplo, quod ante dedimus (*not.* §. 584.), cum Sempronii pater ſit Mævius, Grachus autem, Cajus, Sybilla, Clelia, Florens ſint in familia Mævii, perſonæ iſtæ omnes ſunt in familia patris Sempronii, quamvis in diverſis gradibus ejuſdem. Similiter Mævius eſt avus Octaviani, ac ideo eædem illæ perſonæ ſunt in familia avi Octaviani, ſingulæ tamen in diverſis ejuſdem gradibus. Porro Mævius eſt proavus Titii; eædem itaque illæ perſonæ ſunt in familia proavi Titii, in diverſis tamen ejuſdem gradibus. Atque ideo patet, alio prorſus ſenſu dici familiam patris, avi, proavi &c. alio autem familiam patris, avi, proavi *mei* &c. Nimirum in caſu priori ſtipes dicitur pater, vel avus, vel proavus reſpectu perſonarum omnium in aliquo gradu familiæ conſtitutarum, in caſu autem poſteriori idem nomen tribuitur ſtipiti reſpectu unius ſaltem perſonæ in linea quadam recta deſcendentes ejus continente conſtitutæ.

§. 589.

De familiis majoribus minores ſub ſe continentibus.

Familia avi continet familiam patris, proavi familia continet familiam avi & patris, abavi familia familiam proavi, avi & patris, ac ita porro. Etenim pater deſcendit per generationem ab avo, conſequenter etiam liberi ipſius ab eodem deſcendunt (§. 576. 578.). Quoniam itaque perſonæ omnes ab eadem altera deſcendentes familiam hujus faciunt (§. 585.); familia avi utique continet familiam patris. *Quod erat primum.*

Similiter quoniam avus a proavo, conſequenter etiam omnes ab avo deſcendentes a proavo deſcendunt, proavus vero ab abavo & a proavo deſcendentes etiam ab abavo deſcendunt (§. 578.); patet ut ante, familiam proavi continere familiam avi & patris, familiam abavi vero continere familiam proavi. *Quod erat ſecundum & tertium.*

Non

Non absimili modo intelligitur ascendentis cujuscunque familiam continere familias omnium descendentium. *Quod erat quartum.*

Nimirum qui sunt in familia patris, sunt etiam in familia avi; qui in familia avi sunt, etiam in familia proavi sunt, & qui in familia proavi sunt, in familia etiam abavi sunt. Ac ita porro in genere quilibet in familia aliqua inferiori, quæ scilicet cognatos pauciorum graduum complectitur, constitutus est etiam de familia qualibet superiori, quæ cognatos plurium graduum comprehendit (§. 587.).

§. 590.

Cognati a latere dicuntur, qui a communi stipite descendunt, sed quorum unus ab altero non descendit. Quoniam stipes tam mas, quam fœmina esse potest; Cognati a latere distingui possunt in *agnatos a latere* & *cognatos a latere in specie* sic dictos (§. 562.), siquidem e re visum fuerit agnatos a cognatis distingui. Dicuntur autem cognati a latere etiam uno vocabulo *Collaterales*. Quamobrem *Cognatio a latere*, seu *collateralis* est, quæ intercedit inter personas in diversis lineis constitutas, quarum una ad alteram obliqua est, consequenter quæ quoad ortum suum a communi stipite dependent, sed quarum una ab altera non dependet (§. 584.). *De cognatione collaterali.*

Nimirum in cognatione collaterali referuntur ad se invicem duæ personæ, quæ in diversis lineis communem stipitem habentibus constituuntur. Ita in exemplo superiori (*not.* §. 584.), duæ sunt lineæ communem stipitem Mævium habentes, in quibus sunt Cajus & Sempronius. Hi itaque sunt cognati collaterales.

§. 591.

Quoniam collaterales a communi stipite descendunt (§. 590.), omnes autem personæ ab eodem stipite descendentes familiam stipitis faciunt (§. 585.); *cognati a latere* seu *collaterales in eadem familia sunt*. Quoniam tamen qui in eadem familia sunt, simplicissimam, quæ parentum primi gradus est, excipias, non ideo in eodem gradu familiæ sunt (§. 586.), consequenter stipes communis aliorum pater, aliorum avus, aliorum proavus est, & ita porro (§. 587.) *qui in diverso gradu familiæ existunt, in eadem quidem familia diffusiori, sed non in eadem arctiori existunt* (§. 589.), consequenter *collateralis remotior existit in aliquo gradu familiæ patris, vel avi, vel proavi &c. collateralis propioris* (§. 569. 588.). *De familia, in qua existunt collaterales.*

Ita in exemplo superiori (*not.* §. 584.), Mævius est pater Sempronii & Florens est in familia Mævii (§. 585.), & quidem in gradu quinto (§. 586.). Florens igitur est in gradu quinto familiæ patris Sempronii. Eodem modo intelligitur quod idem sit in gradu quinto familiæ avi Octaviani, cum Mævius hujus avus sit. Acidem est in gradu quinto familiæ proavi Titii in gradu quinto familiæ abavi Tanaquillæ & in gradu familiæ quinto communis atavi sui atque Dianæ. Hæc probe consideranda sunt, ut cognatio a latere intimius perspiciatur, & quomodo omnis ejus diversitas distincte & accurate determinanda sit intelligatur. Patet autem penitius rem consideranti, gradum numero eundem in diversis familiæ speciebus diversitatem cognationis parere. Ita Florens, qui est in quinto gradu familiæ patris Sempronii propior est Sempronio, quam Titio, in cujus proavi familiæ gradu quinto est.

§. 592.

Collaterales in æquali gradu linearum ad se invicem obliquarum consistente habent ascendentem communem, cui in eodem gradu cognati sunt & referuntur ad se invicem tanquam descendens ad descendentem & in eodem gradu familiæ sunt. Etenim si duo collaterales constituuntur in linearum ad se invicem obliquarum æquali gradu, a communi stipite eodem numero graduum distant, nimirum uno gradu, si uterque in primo gradu consistit; duobus, si ambo consistunt in secundo; tribus, si iidem in tertio *De cognatione collateralium in æquali gradu.*

BIU Cujas

conſiſtunt & ita porro, conſequenter tot inter quemlibet eorum & ſtipitem generationes intercedunt, quot ſunt, gradus (§. 568.). Quamobrem cum perſona deſcendens ſtipiti in eo gradu cognata ſit, quem indicat numerus graduum inter ipſam, & ſtipitem intercedens (§. 568.); collaterales in æquali gradu linearum ad ſe invicem obliquarum conſiſtentes aſcendentem communem habent, qui ſtipes communis ipſorum eſt (§. 559.), cui in eodem gradu cognati ſunt. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam in æquali gradu a ſtipite diſtant, *per hypoth.* adeoque unus ſtipiti non propior eſt altero, conſequenter nec unus altero ſuperior; non aliter ad ſe invicem referri poſſunt, quam deſcendens ad deſcendentem. *Quod erat ſecundum.*

Et quia gradus numero iidem in diverſis lineis ad ſe invicem obliquis gradum familiæ faciunt (§. 586.); qui in gradu æquali linearum conſiſtunt, in eodem gradu familiæ ſunt. *Quod erat tertium.*

Nimirum ſi uterque collateralium eſt in gradu primo lineæ ſuæ, patrem communem habent, cui in primo gradu cognati ſunt, & ad ſe invicem referuntur tanquam liberi primi gradus, ſeu fratres, ac in primo gradu familiæ ſunt, is enim eſt gradus fratrum & ſororum. Similiter ſi uterque collateralium in gradu ſecundo lineæ ſuæ conſiſtit, avus eorum communis eſt, cui in gradu ſecundo cognati ſunt, atque adeo ad ſe invicem referuntur ut nepotes ejuſdem avi, & in ſecundo gradu familiæ ſunt, qui eſt nepotum. Idem eodem modo intelligitur de deſcendentibus ejuſdem gradus ulterioribus. Ita in exemplo ſuperiori (*not.* §. 584.), Grachus & Sempronius in primo gradu linearum ad ſe invicem obliquarum conſtituti patrem communem habent Mævium, cui in primo gradu cognati ſunt, & in primo gradu familiæ Mævii ſunt. Cajus & Octavianus in ſecundo gradu linearum ad ſe invicem obliquarum conſtituti avum communem habent Mævium, cui in ſecundo gradu cognati ſunt, & in ſecundo gradu familiæ Mævii ſunt. Sybilla & Titius in tertio gradu linearum ad ſe invicem obliquarum conſtituuntur, & proavum communem habent Mævium, cui in tertio gradu cognati ſunt, & in tertio gradu familiæ Mævii ſunt. Aſcendentes ſunt pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus & majores, quos per ordinem, quo ſe invicem aſcendendo conſequuntur, diſtinguere licet, ita ut tritavo vel tritaviæ proximi dicantur majores primi ordinis, ceteri deinceps majores ſecundi, tertii, quarti &c. ordinis, quouſque ſcilicet progredi datur. Qui adeo in lineis ad ſe invicem obliquis in eodem gradu conſtituuntur, patrem, vel avum, vel proavum, vel abavum, vel atavum, vel tritavum, vel majorem quendam ejuſdem ordinis communem habent. Per ſe autem patet, quæ hic & alibi dicuntur de ſtipite, qui mas eſt, eadem quoque intelligenda eſſe de ſtipite fœmina, quamvis brevitatis cauſa de illo tantummodo loquamur.

§. 593.

De æqualitate linearum obliquarum.

Linea obliqua ad alteram dicitur eidem *æqualis*, quando utraque æqualem numerum graduum complectitur, veluti unum, aut duos, aut tres, aut quatuor & ita porro. Vulgo duæ iſtæ lineæ ſimul dicuntur *linea obliqua æqualis*, quaſi duæ lineæ rectæ in puncto aliquo concurrentes conſtituant unam lineam in duas partes æqualiter diviſam.

Longitudo linearum æſtimatur ex numero graduum, qui ſpectantur tanquam diſtantiæ perſonæ unius ab altera, ex quibus tanquam partibus æqualibus componatur linea cognationis. Sed talia imaginaria ſunt, quæ per modum fictionum ſuſtinentur, quatenus imaginatio juvat intellectum ad cognationum diverſitatem facilius concipiendam.

§. 594.

De gradu cognationis collateralis in linea æquali.

Collaterales in linea æquali inter ſe cognati ſunt in eo gradu, in quo cognati ſunt ſtipiti. Collaterales enim, cum unus ab altero per generationem non deſcendat, nonniſi ideo cognati ſunt, quia ab eodem ſtipite deſcendunt (§. 590.). Quamobrem diverſitas cognationis inde oritur, quod ſtipiti tanquam aſcendenti communi (§. 592.), alii propiores ſint, alii ab eodem remotiores, conſequenter quod vel in priori, vel in remotiori gradu familiæ aſcendentis communis conſiſtant, veluti in gradu primo, ſi patrem communem habent, vel matrem, in gradu ſecundo, ſi avus vel avia ſit communis, in gradu tertio, ſi proavus, vel proavia fuerit communis & ita porro (§. 591.).

BIU Cujas

591.). Quoniam itaque diversitas cognationis personæ descendentis cum stipite gradus est in linea recta (§. 568.), iidem vero numero gradus in lineis ad se invicem obliquis faciant gradum familiæ stipitis communis (§. 586.); cognatio collateralium in linea æquali non aliter gradum habere intelligitur, quam quatenus in primo, vel secundo, vel tertio &c. gradu familiæ existunt, & hinc in eo inter se cognati intelliguntur gradu, in quo stipiti cognati sunt.

Cognatio collateralium inde oritur, quod ambo simul eidem tertio, nempe ei, quem inter ascendentes suos communem habent, cognati sint (§. 592.). Hinc liberi primi gradus ideo inter se cognati sunt, quia patrem communem habent; liberi secundi gradus inter se cognati sunt, quia *avum* communem habent; liberi tertii gradus vero, quia proavus ipsis communis est & ita porro. Quodsi ergo diversitatem cognationis assignare velis in linea recta, non aliter id fieri potest quam per gradum familiæ, quo ad communem ascendentem tanquam stipitem referuntur. Primus cognationis collateralis gradus in linea æquali est primus gradus familiæ stipitis, secundus gradus illius secundus gradus hujus, tertius gradus illius, tertius gradus hujus & ita porro. Ita in exemplo superiori (*not.* §. 584.), Grachus & Sempronius sunt cognati a latere in primo gradu, quia uterque constituitur in primo gradu familiæ. Quando itaque dicuntur cognati a latere in primo gradu, perinde est ac si dicerentur liberi primi gradus, seu filii Mævii. Similiter Cajus & Octavianus sunt cognati a latere in secundo gradu, quia uterque constituitur in secundo gradu familiæ. Quamobrem cum dicuntur cognati a latere in secundo gradu, perinde est ac si dicerentur nepotes Mævii. Eodem modo intelligitur, quando Sybilla & Titius dicuntur cognati a latere in tertio gradu, perinde esse ac si dicerentur proneptis & pronepos Mævii, ac ita porro. Quamvis itaque gradus cognationis inter Mævium & Grachum atque eundem & Sempronium, & inter Grachum & Sempronium, eodem numero exprimatur, non tamen propterea gradus primus utrobique idem significat: alius enim est primus gradus cognationis directæ in linea recta inter ascendentem & descendentem, alius vero primus gradus cognationis a latere in linea æquali. Et idem eodem modo intelligitur de gradu secundo, tertio, quarto & quocunque altiori. Naturalem hanc rationem cognationis a latere in linea æquali observat Jus canonicum, quando pro computando gradu cognationis a latere tradunt regulam: Collaterales in linea æquali sibi invicem in eo gradu cognati sunt quo a stipite distant, seu eidem cognati sunt. Hæc ipsa enim regula eadem est cum propositione præsente. In Jure Romano gradus aliter computantur, addendo nimirum gradus cognationis directæ utriusque personæ cum stipite communi, ut, qui sunt liberi primi gradus, dicantur cognati in gradu secundo; qui sunt gradus secundi, dicantur cognati in gradu quarto; qui sunt gradus tertii, dicantur cognati in gradu sexto & ita porro. Nimirum gradus in linea una veluti a Sybilla ad Mævium numerantur ascendendo & continuata numeratione a Mævio ad Titium in linea altera descendendo, perinde ac si linea altera cum priori jaceret in directum & Titius esset stipes, a quo Octavianus, Sempronius, Mævius, Grachus, Cajus, Sybilla per continuas generationes descenderent, contra rei veritatem. Hujus computationis nulla ratio intrinseca dari potest, quæ nempe sit petita ex ipsa notione cognationis. Videbimus autem paulo post, quænam Romanis fuerit ratio extrinseca computationis istius. In Jure naturæ nobis respiciendum non est ad hypotheses juris positivi, qualecunque tandem illud sit; sed tradenda sunt ea, quæ ex ipsis rerum notionibus deducuntur: quo facto collatio juris positivi cum iisdem prodit consensum, vel dissensum juris naturæ ac positivi. Absit itaque, ut tibi persuadeas, nos computationis canonicæ defendendæ causa ea excogitasse, quæ de cognatione collaterali in linea æquali dicta sunt. Ex primis enim cognationis principiis deduximus diversitatem cognationis collateralis in linea æquali, & ita per naturalem rationem definiendo istam diversitatem incidimus in computationem canonicam, quam ideo juri naturæ consentientem recte dicimus.

§. 595.

Nomina collateralium in primo gradu linea æqualis.

Cognati collaterales primi gradus in linea æquali, dicuntur *Fratres* & *Sorores*, pro diversitate sexus. Quoniam vero personæ istæ vel patrem & matrem communem, vel eundem quidem patrem, non vero eandem matrem, vel eandem matrem, non vero eundem patrem habere possunt; ideo *arctitudo cognationis fratrum omnium ac sororum eadem non est*. Hæc differentia cum statim in omnium oculos incurrat; dudum quoque nominibus fratres & sorores pro illa diversitate a se invicem distinxerunt Romani. Nimirum fratres ex utroque parente dicuntur *Fratres germani*; ex eodem tantum patre *Fratres consanguinei*; ex eadem matre *Fratres uterini*. Quodsi ergo agnatos a cognatis distinguas; *fratres germani sunt simul agnati & cognati, consanguinei agnati quidem, sed non cognati; uterini, seu qui ex eadem tantummodo matre sunt, patres vero diversos habent, cognati, sed non agnati.*

Vo-

BIU Cujas

Vocantur subinde uterini, qui ex eadem matre sunt, & eundem quoque patrem habent, consequenter germani, respectu nimirum matris solius. Enimvero consultius foret, ut homonymia evitaretur: neque enim vocabula ab etymologia seu origine grammatica sortiuntur significatum, sed ex impositione hominum, tanquam signa artificialia (*not.* §. 958. *Ontol.*).

§. 596.

De nominibus liberorum fratris & sororis.

Collaterales in gradu secundo lineæ æqualis sunt fratrum & sororum filii ac filiæ (§. 591.). Dicuntur autem, qui ex duobus fratribus nascuntur, *Patrueles*; qui ex duabus sororibus, *consobrini & consobrinæ*, qui ex fratre & sorore, *Amitini & Amitinæ*. Romani fratrum sororumve nepotes, seu collaterales in gradu tertio lineæ æqualis dixerunt *Sobrinos*; neptes vero *Sobrinas*. Sunt itaque *Sobrini & Sobrinæ* patruelium, consobrinorum & amitinorum filii & filiæ (§. 578.). Sed nolumus nomina ista ulterius prosequi. Commodissimum foret, si in secundo gradu diceremus fratrum & sororum filios ac filias, in tertio fratrum & sororum nepotes ac neptes, in quarto fratrum ac sororum pronepotes ac proneptes ac ita porro: id quod appellationibus, quibus nos in vernaculo sermone utimur magis convenit & cognationis rationem magis perspicue indicat.

§. 597.

De linearum obliquarum inæqualitate.

Linea obliqua ad alteram dicitur eidem *inæqualis* quando una plures gradus continet, quam altera. Dicitur etiam simpliciter in hoc casu *Linea inæqualis*. *Quando* itaque *duæ personæ ad se invicem referuntur, quæ in diverso gradu stipiti communi cognati sunt*, cum lineæ ad se invicem obliquæ terminentur, *oritur inæqualitas linearum*.

Distinctio lineæ obliquæ cognationis, quæ & *transversa* dicitur, in æqualem & inæqualem obtinet in Jure canonico, cum in civili nulla utilitate æqualis ab inæquali distingueretur. Cum tamen computatio canonica ea sit, quæ rationem intrinsecam naturalem habet, qua destituitur civilis, prouti ex parte jam vidimus (*not.* §. 594.); distinctio ista in Jure naturæ locum habet, nec sine ea naturalis cognatio hominum explicari potest.

§. 598.

Diversitas cognationis in linea inæquali explicatur.

Quoniam lineæ cognationis a latere inæquales terminantur in personis, quæ ad se invicem referuntur (§. 597.); *si remotior cognatus sit in gradu secundo, seu duobus gradibus a stipite communi distet, & propior distet uno, erit is in gradu secundo familiæ patris cognati propioris; si remotior distet a stipite gradibus tribus, erit idem in gradu tertio familiæ patris propioris; si remotior distet gradibus quatuor, erit is in gradu quarto familiæ patris propioris* & ita porro. *Quodsi remotior distet a stipite gradibus tribus, quatuor, quinque &c. propior vero duobus; erit remotior in gradu tertio, quarto, quinto &c. familia avi propioris*. Similiter *si remotior distet a stipite gradibus quatuor, quinque, sex, &c. & propior tribus; erit remotior in gradu quarto, quinto, sexto & ita porro familiæ proavi propioris* (§. 592.). Unde in genere patet, *familiam, in cujus gradu existit persona remotior a stipite, denominari a cognatione, quæ inter stipitem & propiorem intercedit*, consequenter *in linea inæquali remotiorem referri ad propiorem tanquam existentem in eo familiæ gradu, quo ipse a stipite distat, & quæ nomen accipit a cognatione, quæ propiori cum stipite intercedit*.

Patent hæc jam ex iis, quæ supra jam explicavimus (§. 591.), & hic tantummodo repetita ad lineam inæqualem applicantur, ut diversitas cognationis in linea inæquali in oculos incurrat, consequenter appareat, quomodo ea intelligibili modo explicari possit ac debeat. Origo cognationis venit a stipite; unde cognatio collateralis in dependentia a communi stipite per generationem consistit (§. 590.), sicuti directa in dependentia per generationem a persona altera (§. 572.). Personæ omnes, quæ ab alia descendunt, sunt in familia ejusdem (§. 585.) & consistunt in eo gradu familiæ, quo ipsæmet a stipite distant (§. 586.). Quodsi inæqualiter distent, in eadem qui-

BIU Cujas

quidem familia ſtipitis exiſtunt, propior tamen in familia arctiori, quæ cognatos propiores continet, remotior vero in familia diffuſiori, quæ cognatos remotiores continet (§. 591.). Apparet adeo cognationem collateralem in linea inæquali continere relationem utriuſque perſonæ ad ſtipitem & differentiam familiæ arctioris a diffuſiore. Quamobrem ut cognatio collateralis in linea recta diſtincte intelligatur, diverſitas ejus ita explicanda eſt, ut & relatio utriuſque perſonæ ad ſtipitem communem & diverſitas familiarum, prouti una altera arctior eſt, intelligatur. Ita nimirum relatio perſonarum in certo aliquo gradu familiæ arctioris & diffuſioris conſiſtentium quoad ortum ſuum a communi ſtipite in omni caſu ſufficienter determinatur & cognationis vinculum arctius a latiori diſtinguitur. Hæc probe conſideranda ſunt, ubi quis judicium ferre voluerit, utrum per regulas computandi gradus cognationis, ſive determinandi diverſitatem ejus (§. 568.), in Jure poſitivo traditas cognationis diverſitas rite determinetur, & ſic determinata diſtincte concipi poſſit, nec ne.

§. 599.

Quoniam itaque gradus cognationis in diverſitate ejuſdem conſiſtit (§. 568.); *collateralis remotior in linea inæquali cognatus eſt propiori in gradu ſecundo, aut tertio, quarto, quinto, ſexto &c. familiæ patris, vel avi, vel proavi, vel abavi, vel atavi, vel tritavi &c. propioris* (§. 598.).

De gradu cognationis collateralium in linea inæquali.

Naturalem hunc modum computandi cognationis collateralis gradum in linea inæquali ſequitur *Jus canonicum*, juxta quod collateralium remotior propiori cognatus dicitur in eo gradu, quo is a ſtipite diſtat, v. gr. in gradu ſexto, ſi gradibus ſex a ſtipite diſtat. Cum enim inter collaterales non concipiatur cognatio, niſi quatenus in familia ſtipitis ſunt (§. 590, 585.); gradus, in quo remotior conſiſtit, non aliter accipi poteſt, quam de gradu familiæ. Et quatenus ad propiorem refertur remotior, familia hic intelligitur cum relatione ad propiorem, conſequenter quatenus ſtipes nomen ſuum accipit a cognato propiori. Propioris nimirum cognatio cum ſtipite ſumitur, & tantummodo quæritur, quomodo remotior cognatus ſit perſonæ taliter ſtipiti cognatæ, veluti filio, nepoti, pronepoti, abnepoti, atnepoti, trinepoti & ita porro ſtipitis ſui. Quando itaque dicitur, remotiorem cognatum eſſe propiori in gradu primo exiſtenti in gradu ſecundo, tertio, quarto &c. revera nihil aliud dicitur, quam collateralem propiorem eſſe filium, remotiorem vero nepotem, pronepotem, abnepotem &c. ſtipitis communis. Quando cognatio propioris ſumitur, omnino ſupponitur eum ſtipiti cognatum eſſe in gradu primo, aut ſecundo, tertio, quarto &c. ſtipiti quando exprimitur gradus, in quo remotior ſtipiti cognatus eſt, utique ad illum refertur tanquam cognatus in gradu ſecundo, tertio, quarto, quinto &c. ad cognatum communi ſtipiti in gradu vel primo, vel ſecundo, vel tertio, vel quarto &c. Quodſi hoc modo interpreteris regulam Juris canonici, qua computatur gradus cognationis collateralis in linea inæquali, quemadmodum æquitas interpretandi poſtulat (§. 921. *Log.*); nihil ea abſurditatis habet. Quamvis enim vulgo dicatur ex computatione canonica ſequi abſurdum, quod eadem perſona patri & filio; patri, filio & nepoti; patri, filio, nepoti & pronepoti &c. in eodem gradu cognata ſit; abſurditas tamen ſtatim evaneſcit, ſi penitius rem conſideres, prouti eandem hactenus ſufficienter explicavimus. Cum enim gradus idem, quo remotior a ſtipite diſtat, accipiatur in relatione ad cognatum ſtipiti propiorem, conſequenter cum reſpectu ad cognationem, quæ propiori cum ſtipite intercedit; non eodem reſpectu qui diſtat a ſtipite v. grat. gradu ſexto dicitur cognatus in gradu ſexto ei, qui ſtipiti cognatus eſt in primo, & ei, qui eidem cognatus eſt in ſecundo, vel alio quodam remotiori. Ecquis vero eſt, qui neſciat, tum demum naſci abſurdum, ſi eodem reſpectu remotior in eodem gradu cognatus dicatur & ei, qui in gradu propiori, & ei, qui in remotiori ſtipiti cognatus eſt. Hæc ut clarius intelligantur, ea ad exemplum ſuperius (*not.* 584.) applicare lubet. Mævius eſt pater Sempronii, avus Octaviani, proavus Titii, abavus Tanaquillæ, atavus Dianæ &c. Florens, diſtat a ſtipite Mævio quinque gradibus. Eſt ergo cognatus Sempronio in gradu quinto familiæ patris ejus, Octaviano in gradu quinto familiæ avi ejus, Titio in gradu quinto familiæ proavi ejus, Tanaquillæ in gradu quinto familiæ proavi ejus, Dianæ in gradu quinto familiæ atavi ejus &c. Ecquis vero dixerit cognationem in gradu quinto familiæ patris mei eſſe eandem cum cognatione in gradu quinto familiæ avi mei, aut cum cognatione in gradu quinto familiæ proavi mei & ita porro. Nonne potius intelligitur gradum quintum familiæ patris eſſe diverſum a gradu quinto familiæ avi, item a gradu quinto familiæ proavi & ita porro (§. 586.). Quod vero de patre, avo, proavo, abavo &c. dictum eſt, idem intelligitur de matre, avia, proavia, abavia &c.

BIU Cujas

§. 600.

De differentia graduum cognationis collateralis in linea collaterali inæquali.

Cognatus mihi in gradu sexto, vel alio quocunque familiæ patris mei uno gradu mihi propior est, quam cognatus in eodem gradu familiæ avi mei, & duobus gradibus propior, quam cognatus in eodem gradu familiæ proavi mei; tribus gradibus propior, quam cognatus in eodem gradu familiæ abavi mei & ita porro. Etenim qui in gradu sexto stipiti cognatus est, consequenter in gradu sexto familiæ ejus constitit, in linea inæquali cognatum propiorem habere nequit, quam filium stipitis communis, qui uno gradu ab eodem distat, & cujus stipes communis pater est (§. 576. 578.). Quamobrem cum in gradu secundo illius lineæ sint nepotes stipitis communis (§. 586.), cognatio ei, qui in gradu sexto familiæ constitit, cum iis intercedens erit uno gradu remotior, quam quæ eidem cum filiis stipitis intercedit. Et eodem modo intelligitur, cognationem in gradu sexto familiæ stipitis constitenti cum pronepotibus in linea collaterali intercedentem duobus gradibus remotiorem esse, quam quæ eidem intercedit cum filiis stipitis ac ita porro. Quamobrem cum communis stipes sit pater filiorum, avus nepotum, proavus pronepotum, abavus abnepotum & ita porro (§. 581.); cognatus mihi in gradu sexto, vel alio quocunque familiæ patris mei uno gradu mihi propior est, quam cognatus in eodem gradu familiæ avi mei, & duobus gradibus propior, quam cognatus in eodem gradu familiæ proavi mei, tribus gradibus propior, quam cognatus in eodem gradu familiæ abavi mei & ita porro.

In exemplo, ad quod modo provocavimus (*not.* §. 599.), id statim in oculos incurrit. Nemo enim negabit Florentem uno gradu Sempronio esse propiorem, quam Octaviano; duobus, quam Titio; tribus, quam Tanaquillæ, quatuor, quam Dianæ &c. Est vero Florens cognatus Sempronio in gradu sexto familiæ patris ejus, Octaviano in gradu sexto familiæ avi ejus, Titio in gradu sexto familiæ proavi ipsius, Tanaquillæ in gradu sexto familiæ abavi ejus, Dianæ in gradu sexto familiæ atavi ejus. Unde patet cognationem in gradu sexto familiæ patris esse uno gradu propiorem cognatione in eodem gradu familiæ avi; duobus propiorem cognatione in eodem gradu familiæ proavi; tribus propiorem cognatione in eodem gradu familiæ abavi; quatuor propiorem cognatione in eodem gradu familiæ atavi. Hinc clarissime perspicitur, eundem gradum, quo quis a stipite distat, diversum exprimere cognationis gradum, prout spectatur vel ut gradus familiæ patris, vel ut gradus familiæ avi, proavi, abavi, atavi personæ alterius in linea collaterali, ad quem persona certo gradu a stipite distans refertur, consequenter si eadem persona refertur ad filium, vel nepotem, pronepotem, abnepotem atnepotem stipitis. Quodsi ergo regulam juris canonici rite interpretemur, quemadmodum æquitas postulat, & natura cognationis exigit, falsum est, quod tanquam absurdum eidem objicitur, in eo cognationes diversas habere pro iisdem, ita ut eadem persona mihi & filio, nepoti, pronepoti &c. meo in eodem gradu cognata dicatur. Dicendum potius est, in jure civili nun satis distincte exprimi cognationem collateralium in linea inæquali numerando gradus ascendendo a persona una, veluti a Florente, ad stipitem Mævium & inde descendendo usque ad alteram, veluti Titium, seu numerando personas, demto stipite. Etenim Florens & Titius hoc modo cognati sunt in gradu octavo; sed Clelia & Tanaquilla itidem cognati sunt in gradu octavo. Refertur vero Florens ad Mævium tanquam atnepos Mævii ad pronepotem ejusdem Titium, Clelia vero ad Tanaquillam tanquam abneptis ad abnepotem Mævii. Quamobrem si tam Florens & Titius, quam *Clelia* & Tanaquilla dicantur cognati in gradu *octavo*; inde non intelligitur relatio, quæ propter mutuam dependentiam quoad ortum suum a stipite, in qua cognatio collateralis constitit (§. 599.), obtinet: neque enim eadem est relatio atnepotis Mævii ad pronepotem ejusdem, quæ abneptis ad abnepotem Mævii. Non tamen ideo reprehendimus JCtos Romanos, quod gradus isto modo numeraverint, cum eos invenerint non tam ad declarandum cognationem personarum, quam in usum Successionis ab intestato, ut pateret, cuinam personæ in successione ab intestato hæreditas deferenda sit isto jure.

§. 601.

De nominibus collateralium, quos habent ascendentes.

Patris frater ex patre, vel matre dicitur *Patruus*; matris autem frater ex patre vel matre vocatur *Avunculus*. Ast soror patris ex patre, vel matre *Amita*; soror matris ex patre, vel matre *Matertera*, appellatur. Avi frater *Patruus magnus*, soror *Amita magna*; aviæ autem frater *Avunculus magnus*, soror *Matertera magna* dicitur. Proavi frater

BIU Cujas

frater *Patruus major*, soror *Amita major*; proaviæ autem frater *Avunculus major*, soror *matertera major* appellatur. Abavi frater *Patruus maximus*, soror *Amita maxima*; abaviæ autem frater *Avunculus maximus*, abaviæ soror *Matertera maxima* vocatur.

Numerus collateralium, quos habent ascendentes, mirum in modum multiplicatur. Sed inanis labor in præsenti casu foret, in eundem inquirere velle pro diverso cognationis gradu. Quamobrem ab eodem abstinemus. Cui vero volupe fuerit eundem cognoscere, is adeat *Paulum* JCtum l. 10. ff. de grad. & affin. & nomin. eorum. Multitudo autem, quæ ascendendo continuo multiplicatur, non permittit, ut singularum cognationum collateralium species diversis nominibus insigniantur.

§. 602.

De diverso vinculo cognationis eorum, qui descendentibus meis collaterales sunt.

Quoniam fratres & sorores vel sunt ex parte eodem & matre eadem, vel ex eodem saltem patre, aut matre (§. 595.), patrui vero sunt fratres patris, avunculi fratres matris & amitæ sorores patris, materteræ sorores matris (§. 601.); *patrui* quoque *mei vel sunt ex eodem avo paterno & eadem avia materna, vel saltem ex eodem avo paterno, vel ex eadem avia paterna, ac idem eodem modo intelligitur de avunculis respectu avi materni & aviæ maternæ. Et similiter idem patet de amitis & materteris. Atque hinc intelligitur arctius cognationis patruorum, avunculorum, amitarum, materterarum vinculum*, prouti scilicet personæ istæ vel ab avo & avia mea simul, vel tantummodo ab avo, aut avia descendunt. *Eadem valent de patruis, avunculis, amitis & materteris magnis, majoribus & maximis, immo de majoribus cujusvis ordinis, quousque progredi libuerit, vel necesse fuerit.*

Vidimus supra, arctius cognationis vinculum esse, si quis mihi frater, vel si qua mihi soror ex utroque parente, quam si ex uno tantummodo fuerit (§. 595.). Quoniam itaque arctius patri meo cognatus est, qui mihi est patruus, vel avunculus ex avo & avia simul, vel tantummodo ex avo, aut avia, cognatio autem cum patruo, vel avunculo mediante patre mihi intercedit, ac idem intelligitur de amitis & materteris; facile apparet, patruorum, avunculorum, amitarum & materterarum cognationem arctiorem esse, si personæ istæ ex avo & avia simul, quam si tantummodo ex avo, aut avia mihi tales fuerint. Et non absimili modo idem intelligitur de patruis, avunculis, amitis & materteris magnis, majoribus & maximis; immo de majoribus cujusvis ordinis quoque progredi libuerit.

§. 603.

De nominibus eorum, qui a patruo, avunculo, amita & matertera descendunt.

Peculiaria nomina imponi iis, qui ex patruo, avunculo, amita, matertera descendunt, consultum non est. Præstat eos designari iis nominibus, quibus appellantur respectu eorum, a quibus descendunt. Dicendi itaque sunt descendentes illorum in primo gradu *Filii* & *Filiæ*, in secundo *Nepotes* & *Neptes*, in tertio *Pronepotes* & *Proneptes*, in quarto *Abnepotes* & *Abneptes*, in quinto *Atnepotes* & *Atneptes*, in sexto *Trinepotes* & *Trineptes* &c. *patrui, avunculi, amitæ* & *materteræ*. Ac idem eodem modo intelligitur de iis, qui a patruo, avunculo, amita & matertera magnis, majoribus, maximis &c. descendunt.

Vidimus jam superius (§. 589.), familias magis diffundi, prouti stipes communis tanquam caput familiæ inter ascendentes remotior assumatur. Patet autem non minus ex antecedentibus, stipitem communem nunc remotiorem, nunc propiorem assumendum esse, prout casus tulerit, nimirum prouti collateralium remotior, qui cum propiori in eadem familia diffusiori, sed non arctiori est, majore, minoreve graduum numero, aut uterque majore graduum numero, vel minore a stipite communi distat. Hoc igitur assumto facile collocantur cognati in dato casu attendendi, per quos scilicet cognatio ad collaterales datos venit, in suis familiæ tam diffusioris, quam arctioris gradibus.

BIU Cujas

§. 604.

De ordine collateralium in diversarum familiarum gradibus.

In familiæ avi paterni primo gradu sunt patruus & amita, ac in primo gradu familiæ avi materni avunculus & matertera. Similiter *in primo gradu familiæ proavi paterni sunt patruus magnus & amita magna, sicuti in primo gradu familiæ abavi materni avunculus magnus & matertera magna.* Porro *in primo gradu familiæ abavi paterni sunt patruus major & amita major, sicuti in primo gradu familiæ abavi materni avunculus major & matertera major.* Et *in primo familiæ atavi gradu sunt patruus maximus & amita maxima, sicuti in primo gradu familiæ ataviæ avunculus maximus & amita maxima* ac ita porro. *In gradu quolibet familiæ cujuslibet secundo collocantur eorum, qui in primo gradu sunt liberi primi gradus ac ita porro in sequentibus liberi secundi, tertii, ac ulterioris gradus.* Erenim patruus est patris mei frater & amita patris mei soror (§. 601.), consequenter pater meus, patruus & amita sunt liberi primi gradus avi mei paterni (§. 576. 578.). Quamobrem iidem sunt in primo gradu familiæ avi mei paterni (§. 586.). *Quod erat primum.*

Quoniam avunculus est frater, matertera soror matris meæ (§. 601.); eodem, quo ante, modo intelligitur, quod avunculus & matertera sint in primo gradu familiæ avi materni. *Quod erat secundum.*

Et quia patruus magnus est frater avi, amita magna soror avi (§. 601.); non absimili modo ostenditur, quod sint in gradu primo familiæ proavi paterni. *Quod erat tertium.*

Immo haud obscure intelligitur eodem modo ostendi cetera, quæ in propositione præsenti de gradu primo familiarum diffusiorum, seu ascendentium ulteriorum continentur. Quodsi vero, qui in gradu primo familiæ alicujus sunt, considerentur tanquam parentes eorum, qui ab iis porro descendunt; patet omnino in gradu secundo quolibet esse collocandos liberos primi gradus, in tertio eos gradus secundi & ita porro, illorum scilicet, qui in gradu primo collocantur (§. 578.). *Quod erat ultimum.*

Ut vero ea, quæ hic diximus, clariora evadant, uno vel altero exemplo eadem illustrare lubet. Ita nimirum obtinebitur, ut non modo cognatio collateralium intime perspiciatur, & collaterales suis nominibus a se invicem rite distinguantur; verum etiam in casu quolibet dato schema cognationis rite delineatur, quando quæstio incidit de cognatione duarum personarum, quarum cognatio cum stipite datur.

Familia avi & aviæ duos continet gradus (§. 587.). Ejus igitur schema tale erit:



Fami-

BIU Cujas

Familia proavi & proaviæ tres continet gradus (§. *cit.*). Ejus igitur ſchema tale erit:



Hæc facile applicantur ad ſchema, quo ſupra cognitionem in linea reliqua illuſtravimus (*not.* §. 584.). Nimirum ſi Mævius ſit pater, erunt Grachus & Sempronius fratres; ſi ſit avus, erit Grachus pater, Sempronius patruus Caji; ſi ſit proavus, erit Grachus avus, Cajus pater, Sempronius patruus magnus Sybillæ; ſi ſit abavus, erit Grachus proavus, Cajus avus, Sybilla mater Cleliæ & Sempronius patruus major ejuſdem. Erit autem in caſu primo Octavianus filius patrui Caji, in ſecundo filius patrui magni Sybillæ; in tertio filius patrui majoris Cleliæ. Notandum vero, quæ de familia avi, proavi, abavi &c. oſtenduntur in propoſitione præſente; eadem valere de familia aviæ, proaviæ, abaviæ &c. Neque enim ſemper contingit, ut, qui eundem habent avum, proavum, abavum &c. eandem quoque habeant aviam, proaviam, abaviam, propter nuptias nimirum ſecundas (§. 595.). Hinc brevitatis cauſa aviam avo, proaviam proavo ſubjecimus, ut duo ſchemata contraherentur in unum.

§. 605.

De cognatione ex concubitu illicito nato-rum.

Cognatio naturaliter eadem eſt, ſive quis in matrimonio fuerit natus, ſive ex concubitu quocunque illicito. Quoniam enim pater eſt, qui perſonam alteram genuit, quæ ad ipſum refertur, mater vero, quæ eandem peperit (§. 576.); qui ex concubitu illicito, veluti ex ſtupro, vel adulterio Grachi & Cleliæ naſcitur, patrem utique habet Grachum, matrem vero Cleliam, conſequenter utique cognatus eſt in gradu primo (§. 568.), eſtque filius tam Grachi, quam Cleliæ. Hinc porro patet patrem Grachi & patrem Cleliæ eſſe avum, matrem vero Grachi & matrem Cleliæ aviam ejuſdem, ac ita porro (§. 576.). Ac idem intelligitur de puella vel fœmina ex concubitu illicito nata. Quod ſi ponamus Grachum ducere uxorem Sybillam, Cleliam vero nubere Sempronio; erunt maſculi nati ex priori matrimonio illius fratres, fœminæ vero ſorores ex patre, nati autem maſculi ex matrimonio poſteriori fratres, fœminæ ſorores ex matre (§. 595.). Hinc porro facile patet illegitime quoque natum vel natam, habere patris ſui patrem avum, matrem aviam, & ſimiliter matris ſuæ patrem avum, matrem vero aviam. Ac idem intelligitur de aſcendentibus cujuſcunque gradus (§. 576.). Immo inde porro liquet, & fratrem patris eſſe quoque patruum, fratrem matris avunculum, ſororem patris amitam, ſororem matris materteram ex concubitu illicito nati, vel natæ. Ac idem intelligitur de patruo & avunculo magno, majore, maximo & de amita atque matertera magna, majore, maxima (§. 601.). Nativitas itaque illegitima in cognatione nihil immutat; conſequenter cognatio naturaliter eadem eſt, ſive quis in matrimonio fuerit natus, ſive ex concubitu quocunque illicito.

BIU Cujas

Cognatio nimirum omnis consistit vel in dependentia quoad ortum suum per generationem a persona altera, vel in dependentia quoad ortum suum ab eadem persona tertia (§. 563-590.). Quoniam itaque hæc dependentia minime mutatur, si vel maxime quis ex concubito illicito, veluti stupro aut adulterio nascatur; ideo quoque in ipsa cognatione ex concubitu isto nati natæve nihil immutatur, consequenter illegitime natorum cognati sunt iidem, qui forent, si legitime nati fuissent.

§. 606.

De relatione cognatorum conjugis unius ad alterum.

Si matrimonia contrahuntur, quæ ad unum conjugem respectum parentum vel liberorum habent personæ, eædem etiam ad alterum eundem quasi respectum habent. Etenim conjuges arctissime uniuntur, ut instar unius personæ spectari debeant (§. 469.). Quamobrem personæ, quæ ad unum conjugem referuntur tanquam parentes vel liberi, seu parentum vel liberorum respectum habent; ad alterum quoque conjugem quasi parentes vel liberi referri debent, seu parentum vel liberorum respectum habent.

Ex. gr. Pater mariti respectum quoque patris habet ad uxorem & contra. Frater mariti respectum fratris habet ad uxorem. Unio enim, quæ efficit ex duabus unam quasi personam, efficere quoque debet eandem quasi relationem personæ cujusdam tertiæ ad utramque inter se unitam. Hinc vulgo dicitur: personæ quæ uni conjugi sunt numero parentum & liberorum, eædem alteri sunt loco parentum & liberorum. Neque enim pater mariti pater uxoris est, cum uxor ab eodem per generationem minime descendat: est tamen loco patris, quia si revera esset eadem persona, quæ est maritus, per generationem descenderet ab ea persona, quæ pater mariti est; similiter frater mariti non est frater uxoris, cum non ab eodem patre descendant: est tamen loco fratris, quia si revera eadem esset persona uxor, quæ est maritus, cum fratre mariti eundem patrem haberet. Sicuti pater mariti est quasi pater uxoris, ita quoque filius ejus mariti frater est quasi frater uxoris. Quemadmodum enim moraliter maritus & uxor spectantur tanquam una persona, ita finguntur quasi per generationem descendentes ab eodem patre.

§. 607.

Affinitas quid sit.

Respectus cognatorum conjugis unius ad conjugem alterum dicitur *Affinitas*. Ac ideo cognati conjugis unius dicuntur *Affines* conjugis alterius, & *in quo gradu persona quædam cognata est conjugi uni, in eo affinis censetur conjugi alteri* (§. 606.). Per se autem patet, *affinitates contrahi per matrimonia, sive nuptias*.

Jure canonico triplex constituitur affinitatis genus. Primum genus est, quod per simplices nuptias contrahitur inter conjugem unum & alterius cognatos. Sint ex. gr.

Seja ⌣ Cajus — Sempronius

conjuges Fratres

Sempronius est affinis Sejæ in primo gradu affinitatis. Sint ut ante

Grachus pater Caji

Seja ⌣ Cajus

conjuges

Grachus est affinis Sejæ itidem in gradu primo affinitatis.

Secundum genus est, quod contrahitur per duplices nuptias inter conjugem unum & alterius affines primi generis. Sint ex. gr.

Seja ⌣ Cajus — Sempronius ⌣ Cornelia

conjuges Fratres conjuges

Seja est affinis Sempronio marito Corneliæ in primo genere affinitatis; ergo Corneliæ affinis est in genere secundo.

Similiter sint

Seja ⌣ Cajus Seja eadem ⌣ Titius

conjuges conjuges

Cornelia

Filia Sejæ ⌣ Florens

conjuges

Florens est affinis Sejæ in primo genere; ergo affinis in secundo genere.

Tertium genus est, quod per triplices nuptias contrahitur inter conjugem unum & alterius affines secundi generis.

Sint ex. gr.

Seja ⌣ Cajus Seja ⌣ Titius ⌣ Lucilla ⌣ Sempronius

conjuges conjuges conjuges conjuges

Cornelia

filia Sejæ ex Cajo.

Cor-

BIU Cujas

Cornelia eſt affinis Titio in primo genere, Lucillæ in ſecundo, Sempronio in tertio.
Similiter ſint



Camilla eſt affinis Sejæ in primo genere, Titio in ſecundo, Lucillæ in tertio.
Quamvis vero genera iſta affinitatis ratione naturali non deſtituantur, quatenus nimirum per nuptias ſimplices, duplices & triplices iſtiuſmodi reſpectus perſonarum vi unionis arctiſſimæ conjugum naſcuntur; cum tamen in Jure naturali nullus appareat uſus generis ſecundi ac tertii affinitatis, nulla quoque ratio eſt, cur ad ea genera hic animum advertamus.

§. 608.

An detur affinitas inter cognatos utriuſque conjugis.

Quoniam conjugis unius cognati ſunt affines conjugis alterius (§. 607.); *cognati unius conjugis non ſunt cognatis alterius conjugis affines, ſeu cognati utriuſque conjugis non ſunt inter ſe affines.*

Ex. grat. Ego duxi filiam tuam. Cum tu ejus ſis pater, cognatus ei es in gradu primo lineæ aſcendentis (§. 568.). Ergo mihi affinis es in gradu primo & loco parentis (§. 607.). Frater meus mihi cognatus eſt in gradu primo lineæ obliquæ, ſeu tranſverſæ (§. 592.). Tu ipſi affinis non es. Nimirum arctiſſima unio inter me & filiam tuam efficit, ut ſis mihi loco patris, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præcedentis (§. 606.) patet. Nulla igitur ratio eſt, cur tu quoque loco parentis eſſe debeas fratri meo. Ratio affinitatis cum ceſſet in fratre meo, tu & frater meus non eſtis vobis invicem affines. Idem eodem modo intelligitur in caſu quocunque alio.

§. 609.

Gradus affinitatis quid ſit.

Gradus affinitatis eſt diverſitas ejuſdem orta ex diverſo gradu, quo affinis conjugis unius eſt cognatus conjugis alterius.

Facile patet, gradum affinitati non tribui poſſe eodem ſignificatu, quo cognationi tribuitur. Etenim cognationis diverſitas oritur ex dependentia unius perſonæ ab altera, vel duarum a tertia quadam per generationem, & hinc per numerum generationum intercedentium æſtimatur, utrum perſonæ alteri cum altera intercedat propior, an remotior cognatio. Et ſic gradus exprimit diverſitatem cognationis. Quoniam vero affines neque a ſe invicem, neque ab eadem tertia perſona per generationem dependent, ſed affinitatis fons ſit unio conjugum, non generatio: nec gradus eo ſenſu de affinitate dicuntur, quo de cognatione, ſeu conſanguinitate. Cum tamen ideo mihi quis affinis ſit quia conjugi meo cognatus eſt, eorum vero, qui eidem cognati ſunt, alius propior, alius remotior exiſtat: affinis quoque unus mihi propior, alius remotior eſſe debet. Quoniam itaque diverſitas affinitatis oritur ex diverſitate cognationis; ideo eodem graduum numero exprimi poteſt diverſitas affinitatis, qui exprimit diverſitatem cognationis. Quamobrem quando quis dicitur affinis mihi in primo, ſecundo vel tertio gradu affinitatis; eo ipſo indicatur, affinitatem oriri ex primo, ſecundo vel tertio gradu cognationis. Nimirum affinitates diverſæ non aliter a ſe invicem diſtingui poſſunt, quam ut indicetur, ex quo gradu cognationis oriantur. Diverſitas omnis affinitatis unice pendet a diverſitate cognationis, neque ideo niſi per illam intelligitur. Patet itaque, quo jure admittuntur gradus cognationis, eodem quoque admittendos eſſe gradus affinitatis.

§. 610.

Nomina affinium.

Si pater ad ſecundas nuptias tranſit, vel etiam ad ulteriores; uxor ejus dicitur *Noverca*. Et vice verſa ſi mater ad ſecunda vota tranſit, maritus ejus dicitur *Vitricus*. In utroque caſu filius ex priori matrimonio vocatur Privignus, filia vero *Privigna* dicitur. Uxoris pater dicitur *Socer*; mater ejus *Socrus*. Iiſdem nominibus inſigniuntur mariti pater atque mater. Enimvero qui alterius perſonæ alterutrius ſexus filiam ducit, *Gener*; quæ vero filio perſonæ alterutrius ſexus nubet, *Nurus* appellatur. Nimirum *Gener* eſt maritus filiæ; *Nurus* uxor filii, *Conſoceri* audiunt, quorum alter filiam alterius filiæ maritum dedit. Avus uxoris meæ dicitur *Socer magnus*, ego ipſius *Progener* ſum: & retro

BIU Cujas

tro avus meus est *Socer magnus* uxoris meæ, ipsa vero ei *Pronurus* est. Similiter avia mea est *Socrus magna* uxoris meæ, & illi uxor mea *Pronurus* est, ac retro avia uxoris meæ mihi *Socrus magna* est, ergo illi *Progener* sum. Affinibus ceteris desunt nomina peculiaria, consultius enim est, ut retineant nomen cognationis respectu ejus conjugis, a quo affinitas venit, veluti ut dicantur Proavus, vel Proavia uxoris meæ, aut Proavus, vel Proavia mariti mei, Patruus, vel Amita uxoris meæ & Patruus vel Amita mariti mei & ita porro.

§. 611.

An detur affinitas inter consoceros & consocrus.

Consoceri & Consocrus non sunt inter se affines. Illorum enim unus est pater uxoris, alter mariti pater & harum una mater uxoris, altera mariti mater (§. 610.), consequenter consoceri & consocrus sunt cognati utriusque (§. 576.). Enimvero cognati utriusque conjugis non sunt inter se affines (§. 608.). Ergo etiam consoceri & consocrus non sunt inter se affines.

Honoris causa apud nos Soceri & Socrus vocantur a genero & nuro Patet ac Mater, & hic atque hæc retro Filius & Filia, ac consoceri & consocrus se invicem Patris ac Matris nominibus compellant, (§. 610.).

§. 612.

De vitrico, noverca & privignis prolibus.

Noverca & vitricus proli privignæ sunt affines in primo gradu & parentum loco; proles privignæ vero ipsis liberorum loco. Etenim privignus est filius, privigna filia mariti novercæ, vel uxoris vitrici (§. 610.). Quamobrem cum filius & filia patri ac matri jungantur in primo gradu cognationis (§. 576.), cognati autem unius conjugis sunt affines alterius conjugis, in eo quidem gradu, quo cognati sunt (§. 607.); noverca & vitricus proli privignæ sunt affines in primo gradu. *Quod erat unum.*

Enimvero affinitates per matrimonia contrahuntur (§. 607.). Quoniam itaque personæ, quæ respectum parentum vel liberorum ad unum conjugem habent, eundem quoque ad alterum habent (§. 606.); noverca quoque & vitricus ad prolem privignam parentum respectum habent, ac ideo eidem sunt parentum loco, hic vero ipsis liberorum loco (§. 610.). *Quod erat alterum.*

Quæ illustrationis causa jam supra monuimus ex iis jam patet, liberos ex priori matrimonio, quando ad secunda vota transitur, novum parentis conjugem habere parentis loco (*not.* §. 606.) Hic tamen idem demonstrandum erat, cum nobis etiam propositum sit methodum demonstrandi extra Matheſin reddere lectori *operum* nostrorum familiarem, & evolutionem notionum confusarum ac ejus, quod confuse perceptum in distinctis adhuc continetur, in potestatem lectoris redigere.

§. 613.

De novercæ ac vitrici parentibus.

Novercæ ac vitrici mater & pater non sunt affines proli privignæ, nec huic parentum loco sunt. Etenim privignus filius, privigna filia est novercæ mariti, vel vitrici uxoris (§. 610.), consequenter cognati conjugi unius sunt (§. 578.) mater vero ac pater novercæ & vitrici sunt cognati conjugis alterius (§. 576.). Quoniam itaque cognati conjugis unius non sunt cognatis conjugis alterius affines (§. 608.), nec mater & pater novercæ atque vitrici privignæ affines sunt. *Quod erat unum.*

Quod vero personæ quædam aliis sint loco parentum, id ab affinitate venit (§. 606. 607.). Cessante igitur affinitate, nec respectui parentelæ locus est. Quamobrem cum mater & pater novercæ ac vitrici non sint affines proli privignæ, *per demonstrata n.* 1. nec personæ istæ huic parentum loco esse possunt. *Quod erat alterum.*

Hanc

BIU Cujas

Hanc propositionem ideo addimus, quia in Jure Saxonico prohibentur matrimonia propter affinitatem cum novercæ & vitrici sui matre. Vid. *Struvius* in Jurispr. Rom. Germ. for. lib. 1. tit. 6. §. 8. Nulla tamen hic datur affinitas, nec respectus parentelæ attendi potest extra eandem, cum is nullo fundamento nitatur: quod ideo hic attendendum erat, quia in omni Jure naturæ id quoque intendimus, ut appareat legum positivarum apud nos receptarum cum Jure naturæ vel consensus, vel dissensus prouti jam alias monuimus.

§. 614.

Socer & Socrus sunt genero & nurui affines in primo gradu & hisce loco parentum, gener vero ac nurus illis loco liberorum. Socer enim est pater, socrus mater mariti, vel uxoris (§. 610.), maritus autem gener, uxor nurus est, ille nimirum parentum uxoris, hæc parentum mariti (§. *cit.*). Sunt itaque socer & socrus cognati conjugis unius, gener & nurus autem conjugis alterius locum obtinent. Quamobrem cum persona quælibet sit conjugi alteri in eo gradu affinis, in quo cognata est alteri (§. 607.); socer & socrus sunt genero & nurui affines in primo gradu (§. 576). *Quod erat unum.* *De socero, socru, genero & nuro.*

Quoniam vero in affinitate personæ sunt loco parentum & liberorum, quæ numero parentum & liberorum sunt in cognatione (§. 606. 607.); socer & socrus genero atque nurui parentum loco sunt, gener vero ac nurus illis liberorum loco. *Quod erat alterum.*

§. 615.

Noverca uxoris meæ non est mihi affinis nisi in gradu primo secundi generis affinitatis Jure canonico. Etenim noverca uxoris meæ est affinis uxori meæ in gradu primo (§. 612.), consequenter uxori meæ cognatione juncta non est. Enimvero personæ, quæ uxori meæ cognatæ non sunt, mihi affines non sunt (§. 607.). Quamobrem noverca uxoris meæ mihi affinis non est. *Quod erat unum.* *De noverca uxoris meæ.*

Enimvero Jure canonico conjugis unius affines sunt alteri affines in secundo genere affinitatis (*not.* §. 610.). Quamobrem cum noverca uxoris meæ sit eidem affinis & quidem in gradu primo (§. 612.); erit eadem Jure canonico mihi affinis in gradu primo generis secundi affinitatis. *Quod erat alterum.*

Ut hæc clariora evadant, schema delineandum.



Ita nimirum clarissime patet, uxori mei affinem esse novercam in primo genere per simplices nuptias, & mihi affinem in secundo genere per duplices nuptias. Idem quoque fieri debet in aliis casibus, etsi nos brevitatis causa id omittamus.

§. 616.

Vitricus mariti uxori suæ non est affinis nisi in secundo genere affinitatis Jure canonico. Ostenditur eodem prorsus modo, quo propositionem præcedentem demonstravimus. *De vitrico mariti.*

Idem statim patet, si schema delineare volueris ac idem cum anteriore (*not.* §. 615.) conferre.



Vitricus marito affinis est in primo genere ob simplices nuptias matris suæ cum vitrico suo. Accedentibus itaque novis nuptiis cum uxore sua, erit idem ob duplices hasce nuptias uxori meæ affinis secundi generis juxta Jus canonicum (*not.* §. 607.).

§. 617.

BIU Cujas

§. 617.

De ſocero magno, ſocru magna & proſocru.

Socer magnus pronurui & progenero affinis eſt & parentis loco : Socrus vero magna pronurui & proſocrus progenero affinis eſt & parentis loco, ubivis affinitas in ſecundo gradu. Etenim ſocer magnus eſt avus mariti, vel uxoris, maritus vero eidem progener, uxor pronurus reſpective (§. 610.). Avus mariti marito, avus uxoris uxori cognatus eſt in gradu ſecundo (§. 576.). Quamobrem ſocer magnus progenero & pronurui reſpective affinis eſt in gradu ſecundo (§. 607.). *Quod erat primum.*

Socrus magna eſt avia mariti & hujus uxor illi pronurus: proſocrus vero eſt avia uxoris & hujus maritus illi progener (§. 610.). Enimvero avia mariti marito, avia uxoris uxori cognata eſt in gradu ſecundo (§. 576.). Quamobrem ſocrus magna pronurui, proſocrum progenero affinis eſt in gradu ſecundo (§. 607.). *Quod erat ſecundum.*

Eſſe autem ſocerum magnum & ſocrum magnam pronurui ; ſocerum magnum & proſocrum progenero loco parentum, oſtenditur ut ante (§. 614.). *Quod erat tertium.*

§. 618.

De avo & avia vitrici atque novercæ.

Vitrici atque novercæ avus & avia non ſunt affines prolibus privignis. Eodem prorſus modo idem oſtenditur, quo ſupra demonſtravimus negandam eſſe affinitatem de patre ac matre vitrici & novercæ (§. 613.).

Ratio, cur propoſitionem hanc apponamus, eadem eſt, quam ſupra allegavimus (*not.* §. 613.) Per ſimplices hic tantumodo nuptias contrahetur affinitas, veluti patris mei cum noverca. Quamobrem nec Jure canonico obtinere poteſt affinitas generis remotioris (*not.* §. 607.).

§. 619.

De vitrico & noverca avi ac aviæ.

Avi & aviæ vitricus atque noverca mihi affines ſunt in gradu tertio & ſunt loco parentum. Etenim avi vel aviæ vitricus eſt maritus proaviæ meæ, & avi vel aviæ noverca eſt uxor proavi mei (§. 610.). Aſt proavus mihi cognatus eſt in gradu tertio & in eodem proavia mihi cognata (§. 576.). Ergo vitricus & noverca avi & aviæ mihi affines ſunt in gradu tertio. *Quod erat unum.*

Quod vero ſint loco parentum, patet ut ſupra (§. 614.). *Quod erat alterum.*

§. 620.

De filio & filia privigni privignæve.

Filius & filia privigni, vel privignæ uxoris meæ, mihi affinis non eſt; & filius ac filia privigni mei, vel privignæ ex priori ſcilicet matrimonio uxori meæ affinis non eſt. Filius vero & filia privigni mei, vel privignæ affines mihi ſunt in gradu ſecundo. Etenim privignus & privigna uxoris meæ mihi affines non ſunt (§. 607.). Quamobrem multo minus perſonæ, quæ ab iis deſcendunt, mihi affines eſſe poſſunt, conſequenter earum filia ac filiæ affines mihi non ſunt. *Quod erat primum.*

Eodem modo oſtenditur, filium & filiam privigni mei, vel privignæ, ex anteriori ſcilicet matrimonio, non eſſe affines uxori meæ. *Quod erat ſecundum.*

Privignus meus eſt filius uxoris meæ & privigna filia ejus (§. 610.), conſequenter filius privigni eſt nepos, filia privigni vel privignæ neptis uxoris meæ, vel privignæ (§. 578.). Quoniam itaque nepos & neptis eidem cognatione junguntur in gradu ſecundo (§. *cit.*); erunt eædem perſonæ mihi affines in gradu ſecundo (§. 607.). *Quod erat tertium.*

§. 621.

BIU Cujas

§. 621.

De sorore & fratre uxoris & mariti.

Uxoris meæ soror vel frater est mihi affinis in gradu primo, & eodem gradu soror mea, & frater meus uxori meæ affinis est. Etenim soror & frater uxoris meæ eidem junguntur in gradu primo cognationis & eodem in gradu mihi junguntur frater meus & soror mea (§. 578.). Quamobrem cum cognati mei sint eodem gradu affines uxori meæ, quo mihi junguntur, & cognati uxoris meæ sint in eodem gradu affines mihi, quo ipsi junguntur (§. 607.); uxoris meæ soror vel frater mihi affinis in gradu primo, & eodem gradu soror mea & frater meus uxori meæ affinis est.

§. 622.

De uxore filii fratris vel sororis.

Uxor filii fratris mei, vel sororis meæ est mihi affinis in gradu secundo. Etenim ego filio fratris vel sororis meæ cognatus sum in gradu secundo (§. 578.). Ergo quoque affinis sum uxori illius in gradu secundo (§. 607.).

§. 623.

De sorore uxoris fratris mei.

Soror uxoris fratris mei mihi affinis non est. Ego enim fratri meo conjugi uni cognatus sum & soror uxoris meæ eidem conjugi alteri cognata est (§. 595.). Sed cognati conjugis unius non sunt affines cognatis conjugis alterius (§. 608.). Ergo soror uxoris fratris mei mihi affinis non est.

Affinitas itaque demum contraheretur, si ego uxorem fratris mei, seu viduam ejus ducerem: tum enim soror ejus fieret mihi affinis, sicuti ante erat fratri meo (§. 607.).

§. 624.

De comprivignis.

Comprivigni & comprivignæ inter se affines non sunt. Etenim comprivignorum unus est cognatus marito, alter uxori (§. 595. 610.). Et idem eodem modo patet de sexu altero. Quare cum cognati utriusque conjugis non sint inter se affines (§. 608.); nec comprivigni, aut comprivignæ inter se affines sunt.

§. 625.

De filio & filia amitæ ac patrui conjugis unius.

Filia amitæ & patrui uxoris meæ mihi affinis est in gradu secundo. Et similiter filius patrui atque amitæ meæ uxori meæ affinis est in gradu secundo. Etenim filia amitæ ac patrui uxoris meæ eidem cognata est in gradu secundo & vicissim filius amitæ meæ ac patrui mei mihi jungitur in gradu secundo cognationis (§. 603.). Est igitur filia amitæ patruique uxoris meæ mihi, filius patrui ac amitæ meæ uxori meæ affinis in gradu secundo (§. 607.).

Idem eodem modo intelligitur in tertio gradu de filia & filio patrui magni & amitæ magnæ. Sed nolumus plura afferre exempla affinitatum particularium, cum ex iis, quæ in medium allata sunt, abunde perspiciatur, quomodo in dato casu affinitates sint investigandæ & eorum gradus sit determinandus.

§. 626.

An affinitates per sponsalia contrahantur.

Affinitates per sponsalia non contrahuntur. Sponsalia enim faciunt sponsum & sponsam (§. 369.), conjuges vero demum fiunt personæ desponsatæ per nuptias (§. 304. 498.), consequenter sponsus & sponsa nondum sunt conjuges, nec ideo arctissime ita uniuntur, ut instar unius personæ spectari debeant (§. 469.). Quamobrem cum unio

BIU Cujas

ista efficiat, ut quæ ad unum conjugem respectum parentum vel liberorum habent personæ, eædem etiam ad alterum eundem quasi respectum habeant (§. 606.), consequenter ex ea demum nascatur affinitas (§. 607.); per sponsalia affinitates non contrahuntur.

Jure Saxonico affinitas deducitur etiam a sponsalibus; sed id naturale non est.

§. 627.

De dissolutione sponsaliorum. Quoniam per sponsalia affinitas non contrahitur (§. 626.); *si sponsalia dissolvantur*, prouti naturaliter solo personarum desponsatarum dissensu dissolvi possunt (§. 383.), *cognati sponsi non fiunt affines sponsæ, nec cognati sponsæ affines sponso fiunt*, consequenter *fratre meo mortuo, sponsa ejus mihi affinis non est, nec mortua sorore sponsus ejus.*

Contrarium obtinet Jure Saxonico (*not.* §. 626.).

§. 628.

Quando per adulterium contrahatur affinitas. *Si maritus uxorem adulteram non repudiat, proles ex adulterio nata est ipsi affinis & refertur ad eum tanquam proles privigna ad vitricum.* Etenim si maritus uxorem adulteram non repudiat, manet ea uxor ipsius, matrimonio, quod propter adulterium dissolvi poterat (§. 511.), redintegrato. Enimvero proles ex adulterio genita est cognata uxori (§. 605.). Quamobrem affinis est marito si uxorem non repudiat (§. 607.), *Quod erat unum.*

Enimvero proles uxoris, quæ maritum patrem non habet, est proles privigna & ipse vitricus ejusdem (§. 610.). Quodsi ergo maritus uxorem adulteram non repudiet, proles ex adulterio nata refertur ad ipsum taaquam proles privigna ad vitricum. *Quod erat alterum.*

Patet omnino eodem modo, quod matrimonio propter adulterium a marito commissum non soluto proles quoque ex adulterio genita sit affinis uxori, & ad eam referatur tanquam proles privigna ad novercam.

§. 629.

Quando non nascatur ex adulterio affinitas. *Si matrimonium propter adulterium dissolvitur, proles adulterina non fit affinis parti innocenti.* Matrimonio enim dissoluto, pars nocens & innocens non amplius sunt conjuges, quod per se patet. Quamvis itaque proles adulterina cognata parti nocenti, utpote filius, vel filia ejusdem (§. 605.); non tamen fieri potest affinis parti innocenti (§. 607.).

Nimirum naturaliter adulterium tollit nexum conjugalem, consequenter unio illa, ex qua nascitur affinitas, non subsistit. Nulla igitur affinitas contrahi amplius potest.

§. 630.

De quasi conjugibus. *Qui copula carnali junguntur, sunt quasi conjuges.* Naturaliter enim concubitus appetendus non est nisi sobolis procreandæ causa (§. 239.), nec soboles procreari debet nisi in matrimonio (§. 269. 270.). Quamobrem qui copula carnali conjunguntur, per quam matrimonium consummatur (§. 367.); quasi matrimonium contrahunt, consequenter quasi conjuges sunt (§. 304.).

Qui copula carnali junguntur sibi invicem concedunt usum corporis sui instar conjugum. Actus physicus utrobique idem est: sed deficit moralitas, quæ eundem in conjugio reddit debitum (§. 309.)

BIU Cujas

(§. 309.) extra matrimonium vero illicitum. Quamobrem cum matrimonium, quo contracto fiunt conjuges (§. 304.), copula carnali consummetur, quod mutuo consensu in societatem conjugalem fuerat perfectum (§. 367. 270.); qui copula carnali junguntur matrimonium quasi momentaneum contrahunt, consequenter physice spectari possunt quasi conjuges. A copula carnali pendet generatio prolis, quatenus est actus physicus, adhærens enim eidem moralitas ad eandem nihil confert. Quamobrem quæ a generatione dependent, ea a copula carnali derivanda. Unde naturalis cognatio eadem prorsus est, sive quis in matrimonio fuerit natus, sive extra matrimonium (§. 605.). Et Jus canonicum affinitatem deducit a copula carnali.

§. 631.

Quoniam qui copula carnali junguntur, sunt quasi conjuges (§. 630.), conjugis autem unius cognati sunt affines conjugis alterius (§. 607.); *personæ, quæ alteri carnali copula jungitur, cognati sunt hujus quasi affines.* *De quasi affinitate.*

Copula carnalis sunt quasi nuptiæ (§. 498.). Quemadmodum itaque per nuptias contrahitur affinitas (§. 607.); ita per copulam carnalem contrahitur quasi affinitas.

§. 632.

Quoniam per copulam carnalem contrahitur quasi affinitas (§. 631.); *stupratori virginis quasi affinis fit soror ejusdem, & virgo stuprata affinis fratri stupratoris.* *Casus particularis.*

Non opus est ut plures casus particulares commemoremus: ab affinitate enim sine ullo negotio fit argumentatio ad quasi affinitatem. Quasi affinitatis vero mentionem injicere voluimus, immo debuimus, ut appareat, quandonam leges positivæ de affinibus recte extendantur ad personas alias, quæ stricto vocabuli significatui affines non sunt, veluti, quando quæritur, an liceat fœminam a fratre stupratam ducere uxorem, & in causa delictorum, quale sit delictum duorum fratrum scortatorum cum eadem fœmina.

CAPUT IV.

De Societate paterna.

§. 633.

Societas paterna est, quæ inter parentes & liberos horum educandorum gratia contracta intelligitur. *De societate paterna.*

Quamvis hæc societas nomen habeat a patre, non tamen ea tantummodo inter patrem & liberos subsistit, verum etiam mater hujus societatis membrum est, ad quam non minus cura educationis spectat, quam ad patrem (§. 263.). Falluntur autem, qui sibi persuadent, quia societas paterna pro fine habet educationem sobolis, ex definitione societatis conjugalis educationem sobolis exulare debere. Quodsi vero societas conjugalis definiatur per societatem sobolis procreandæ ac educandæ causa initam, tunc paternam cum conjugali misceri ac duas societates diversas contrahi in unam. Etsi enim societas conjugalis contrahatur etiam sobolis procreandæ causa, cujus causa inita intelligitur paterna; non tamen paterna & conjugalis contrahuntur inter easdem personas. Nam conjugalis contrahitur inter marem & fœminam; paterna autem inter conjuges & liberos. Simile quid observare licet in societate negotiatoria. E. gr. Ponamus Titium & Sempronium inter se convenire, quod lucrum & damnum commune esse debeat, quod sperandum vel metuendum ex societate a Sempronio inita cum Cajo & Gracho: ejusdem finis gratia contrahuntur duæ diversæ societates, quarum una inter Titium & Sempronium, altera inter Sempronium, Cajum & Grachum subsistit citra ullam confusionem vel commixtionem. Quemadmodum hic aliæ nascuntur obligationes & jura allia inter Titium & Sempronium, aliæ obligationes & jura alia inter Sempronium & Cajum atque Grachum respectu ejusdem negotiationis; ita similiter aliæ sunt obligationes & jura alia conjugum inter se quoad educationem prolis, aliæ obligationes & jura alia parentum atque liberorum in societate paterna. Ad quænam conjux conjugi obli-

BIU Cujas

obligetur vi societatis conjugalis quoad educationem liberorum, vidimus in capite præcedente; ad quænam vero parentes liberis & hi vicissim illis obligentur vi societatis paternæ, ostendendum erit in capite præsenti. Illa ex societate paterna deducere non licet, quemadmodum nec hæc ex societate conjugali. Absit itaque ut tibi persuadeas, nos nonnisi per præcipitantiam quandam educationem sobolis ad finem societatis conjugalis retulisse, cum id re probe expensa fecerimus. Qui matrimonium contrahunt, sibi invicem promittunt, quod sobolem natam communi cura & sumtu educare velint; parentes autem, qui societatem contraxisse intelliguntur cum liberis, iisdem promittere censentur, quod omnem curam in iis educandis adhibere velint. Ex promisso metienda est obligatio (§. 393. *part.* 3. *Jur. nat.*). Obligatio igitur, quæ quoad educationem prolis nascitur ex societate conjugali, prorsus alia est, quam quæ nascitur ex paterna. Quamobrem aliæ quoque sunt jura, quæ ex illa obligatione, conjugi nimirum uni in alterum, & ex hac parentibus in liberos & liberis in parentes nascuntur, prouti ex subsequentibus clarius elucescet.

§. 634.

Quod societas paterna sit quasi pactum.

Societas paterna est quasi pactum. Parentes obligantur ad prolem suam educandum (§. 263.), & hinc naturaliter proli nascitur jus exigendi a parentibus suis, ut ab ipsis educetur (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*). Parentes dum matrimonium contrahunt, sese invicem sibi obligant, quod in educanda prole vires suas conjungere velint (§. 270.), consequenter cum prolem natam agnoscunt & educandam suscipiunt, ipso facto proli declarant suam educandi eandem voluntatem. Quoniam vero proles se ipsam educare nequit, & naturaliter ipsi competit jus exigendi a parentibus suis, ut educetur *per demonstrata*; consensus in educationem præsumitur (§. 245. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum conventio ficta, in qua consensus alterius partis tantummodo præsumitur, fit quasi contractus, aut quasi pactum (§. 504. *part.* 5. *Jur. nat.*); Societas paterna, quæ inter parentes & liberos inita intelligitur (§. 633.), est quasi pactum.

Non omnes parentes societatem contrahunt cum liberis, etsi ad eos educandum obligentur. Sane qui liberos ex stupro natos negligunt, societatem cum iis non ineunt. Similiter qui liberos suos exponunt, cum iis societatem minime contrahunt. Societas itaque paterna, quemadmodum quasi contractus alii, supponit factum parentum, quo voluntatem suam liberis tanquam parti alteri declarant. Et horum itidem consensus præsumitur ob eandem rationem, qua præsumitur consensus partis alterius, quia id, quod fit, ad utilitatem partis alterius tendit (§. 506. *p.* 5. *Jur. nat.*). Non obstat, quod parentes naturaliter jam obligentur ad liberos educandos, & hinc vicissim liberi ad ea, sine quibus educatio eorum obtineri nequit: per pacta enim nos etiam obligare possumus ad ea, quæ jam naturaliter debentur (§. 399. 404. *p.* 3. *Jur. nat.*).

§. 635.

An naturaliter valeat tanquam quasi pactum.

Quoniam quasi contractus naturaliter valet, si quis consensum alterius præsumit, propterea quod alterius nomine quid faciendum utilitatis ipsius ac damni ab eo avertendi gratia (§. 506. *part.* 5. *Jur. nat.*), societas autem paterna quasi pactum est (§. 634.), cumque ea pro fine habeat educationem liberorum (§. 633.), horum consensus præsumatur, quod curam educationis in se suscipiant parentes utilitatis liberorum ac damni ab iis avertendi gratia, prouti non solum ex educationis notione intelligitur (§. 255.), verum etiam ex iis abunde patescet, quæ in subsequentibus demonstrabuntur; *societas paterna tanquam quasi pactum naturaliter valet.*

Sane si liberi ea intellectus vi essent instructi, ut nossent, quomodo utilitati ipsorum velificaretur, & quænam damna ab ipsis averterentur, dum parentes curam eos educandi in se suscipiunt, ac interrogarentur, utrum velint, nec ne, ut parentes hanc curam in se suscipiant; ecquis dubitabit, eosdem responsuros, quod velint. Consensus igitur eorum recte præsumitur. Atque hinc patet societatem paternam recte concipi tanquam quasi pactum & tanquam tale naturaliter valere. Quatenus lex naturæ parentes obligat ad hanc curam in se suscipiendam (§. 263.), eosdem obligat ad ita quasi paciscendum cum prole nata, consequenter ad societatem paternam ineundum.

§. 636.

BIU Cujas

§. 636.

De fonte obligationis parentum & liberorum,

Quia ſocietas paterna tanquam quaſi pactum naturaliter valet (§. 635.), ex quaſi contractu autem alter nobis obligatur ad id, ad quod obligatus fuiſſet, ſi revera contraxiſſet, & nos eidem viciſſim obligamur tanquam ex contractu vero (§. 505. *part.* 5. *Jur. nat.*); *Parentes non modo naturaliter* (§. 663.), *verum etiam ex quaſi contractu liberis obligantur ad eorum educationem diligenter curandam, & liberi viciſſim parentibus ad facienda ea omnia, ſine quibus educatio ipſorum obtineri nequit.*

Duplex adeo fons eſt obligationis, qua parentes tenentur liberis & viciſſim liberi parentibus. Obligationis nimirum naturalis fons eſt ipſa lex naturæ; contractæ autem quaſi pactum. Hanc vero obligationem, quæ ex quaſi contractu venit, non eſſe inanem, patebit ſuo loco.

§. 637.

Ad quam parentes liberis obligentur.

Quoniam parentes liberos educare debent (§. 636.), educantur autem, ſi conſerventur, ut adoleſcant, & apti efficiantur, ut ſibimetipſis de iis, quibus ad conſervationem ſui indigent, proſpicere & actiones ſuas juxta legem naturæ determinare poſſint (§. 255.); *Parentes obligantur liberos, quos procrearunt, conſervare, ut adoleſcant, & eos aptos efficere, ut ſibimetipſis proſpicere poſſint de iis, quibus ad conſervationem ſui indiget, & actiones ſuas juxta legem naturæ determinare valeant.*

Hiſce continentur omnia officia parentum erga liberos, quæ vi ſocietatis, quatenus quaſi pacto nititur (§. 635.), etiam in obligationem externam perfectam degenerant, ut parentes non modo in conſcientia ad ea liberis præſtanda obligentur, ſed ſi in iis negligentiores ſeſe præbeant, etiam vi adigi poſſint, ne officio ſuo deſint.

§. 638.

De jure infantes enecandi & exponendi.

Parentibus non competit jus enecandi infantes, nec jus infantes exponendi. Obligantur enim infantem ſibi natum conſervare, ut adoleſcat (§. 637.). Quamobrem ipſis permiſſum eſſe nequit eundem enecare, conſequenter jus enecandi infantem ipſis non competit (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Parentes liberos educare tenentur (§. 636.). Quoniam itaque eos educare detrectat, qui recens natos exponit, conſequenter fortunæ poteſtati ſubjicit, num forte alium nanciſcantur educatorem, lex autem præceptiva eſt ſimul prohibitiva contrarii (§. 722. *p.* 1. *Jur. nat.*); parentibus permiſſum non eſt infantes ſibi natos exponere, conſequenter jus infantem exponendi ipſis competere nequit (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Olim apud Romanos permiſſum erat infantes occidere, quos quis habere nollet, vel quorum educatio ſibi nimis gravis ac moleſta foret; id quod etiam hodienum apud gentes nonnullas præſertim barbaras obtinet. Enimvero cum id nimis atrox videretur, ſublata licentia infantes occidendi, in ejus locum ſurrogabatur jus liberos exponendi. Quoniam enim tunc temporis ſervitus erat recepta, facile reperiebatur, qui infantem expoſitum tolleret & eum educaret, ut ſervum haberet. Cum tamen durum quoque merito videretur, infantem innocentem perpetuæ ſervituti addicere, nec hoc amplius permiſſum. Facile autem apparet, ignorantiam Juris naturæ mores iſtos peperiſſe, ob quam falſo ſibi perſuaſerunt homines, vel hodienum perſuadent, quaſi de liberis ſuis perinde ac de re ſua pro arbitrio ſtatuere poſſint parentes, parum conſiderantes, liberos eſſe homines, quibus eadem debentur, quæ hominibus aliis. Sane nemo occidendus (§. 743. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ergo nec infantem ſuum occidere licet. Lex igitur naturæ, quæ in genere homicidium prohibet, nec jus dare poteſt parentibus liberos occidendi. Præter hanc obligationem generalem non occidendi infantes datur etiam ſpecialis, quam obligatio parentum, qua liberis tenentur, continet, & per quam tollitur infantes occidendi licentia, quemadmodum ex propoſitionis demonſtratione liquet.

§. 639.

BIU Cujas

§. 639.

De vita, sanitate & integritate membrorum corporis liberorum.

Parentibus curæ esse debet vita, sanitas & integritas omnium membrorum corporis liberorum suorum. Etenim obligantur conservare liberos, ut adolescant, & ut apti evadant ad sibimetipsis prospiciendum de iis, quibus ad conservationem sui indigent (§. 637.). Quamobrem cum finis hic obtineri nequeat, nisi vita, sanitas & integritas omnium membrorum corporis conservetur, quod per se patet; parentibus omnino vita, sanitas & integritas omnium membrorum corporis liberorum suorum curæ esse debet.

Ostenditur etiam hoc modo. Liberi cum sint homines, naturaliter obligantur, quemadmodum homines alii ad vitam suam (§. 350. *part.* 1. *Jur. nat.*), sanitatem (§. 393. *part.* 1. *Jur. nat.*) & integritatem omnium membrorum corporis sui conservandam (§. 372. *part.* 1. *Jur. nat.*). Enimvero liberi, antequam ad usum rationis pervenerint, & actiones suas juxta legem naturæ determinare didicerint, obligationi huic per se satisfacere nequeunt (§. 254.). Quamobrem cum parentes ipsorum loco eidem satisfacere debeant (§. 255. 263.); vita, sanitas & integritas membrorum omnium corporis liberorum parentibus curæ esse debet.

Convenit hoc primis naturæ. Videmus enim animantia bruta prospicere proli suæ de iis, quibus ad sui conservationem opus habent, & prolem defendere adversus vim, qua damnum dari poterat corpori ejusdem. Immo homines quoque naturali quodam instinctu huc feruntur, nisi aliæ adsint causæ, quæ animum in transversum agunt, vel eos negligentiores faciunt, qualia impedimenta a brutis procul absunt, ut in his facilius conspicere liceat, quinam sit instinctus naturæ, quam in hominibus.

§. 640.

De alimentis & vestimentis liberorum & periculo ab iis depellendo.

Quoniam vita, sanitas & integritas membrorum corporis liberorum parentibus curæ esse debent (§. 639.), ad vitam autem conservandam opus sit cibo ac potu (§. 380. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter alimentis (§. 381. 382. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ut sanitas conservetur, alimenta salubria esse debent (§. 395. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac vestimenta requiruntur ad tuendum corpus adversus injurias aeris (§. 446. *p.* 1. *Jur. nat.*), integritatis autem membrorum corporis conservandæ causa depellendum omne periculum, quod corpori imminere potest, quod per se patet; *parentes obligantur liberis suis prospicere de alimentis salubribus & vestimentis ad tuendum corpus contra injurias tempestatum aptis ac quævis ab iis avertere pericula, quæ corpori imminere possunt.*

Equidem hæc protrita & vulgaria videntur, & unicuique per se nota; non tamen propterea superfluum videri debet, quod demonstrentur. Neque enim solum necesse est, ut ea faciamus cum sensu officii nostri; verum etiam ut omnes officii hujus partes rite adimpleamus. Sane haud raro contingit, ut, qui eidem abundantius satisfacere sibi videntur, eidem tamen maxime desint, quatenus in alimentis non habetur ratio salubritatis, nec in vestimentis sanitatis, nec in avertendis periculis, quibus corpus lædi potest, sufficiens adest circumspectio. Hinc sane haud raro videas vel in summa fortuna natos vitio corporis laborare, nec integra sanitate frui, immo ante decedere, quam adolescant.

§. 641.

Principium generale de cura parentum circa liberos.

Quamdiu liberi per se officiis erga se ipsum satisfacere nequeunt; parentes facere tenentur, quæ ipsimet facere debebant, sed nondum possunt. Etenim parentes liberos educare debent (§. 263.), consequenter aptos ex sese efficere ad vitam hominis vivendum (§. 255.), ac ideo officiis erga seipsum satisfaciendi (§. 226. 225. *part.* 1. & §. 7. 18. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamdiu itaque per se officiis erga seipsum satisfacere nequeunt, parentes utique facere tenentur, quæ ipsimet facere debebant, sed nondum possunt.

Ge-

BIU Cujas

Genus humanum propagari debet ab hominibus, quemadmodum animantia bruta ſpeciem ſuam propagant. Non igitur ſufficit, ut proles generetur & in lucem edatur: neque enim generatio & nativitas facit niſi potentia hominem, educatio vero demum facit actu hominem. Si infans natus ſibi relinqueretur, aut miſere ipſi eſſet pereundum, aut ſiquidem a brutis eundem educari contingeret, vitam animalis viveret, non hominis. Quemadmodum itaque fœtus in utero eſt pars matris, a qua vitam naturalem trahit; ita in lucem editus moraliter cenſetur quaſi pars parentum, a quibus vitam moralem trahit, immo quoad vitam quoque naturalem adhuc ſpectari debet tanquam pars parentum, quatenus iidem perinde infantem alant neceſſe eſt, quemadmodum ſeipſos, ut vivere atque adoleſcere poſſit. Sicuti fructus tamdiu adhæret arbori ac inde nutrimentum capit, donec fuerit maturus; ita liberi tamdiu adhærent parentibus ſuis, donec ad maturam ætatem pervenerunt, ut vitam hominis per ſe vivere poſſint, nec parentum auxilio atque cura amplius indigeant. Natura ſibi in omnibus ſimilis, ut iſtiuſmodi comparationes attentionem mereantur. Ceterum propoſitio præſens principii heuriſtici vicem tuetur, cum inde intelligatur, quomodo invenire liceat ſingula, quæ ad curam parentum circa liberos pertinent.

§. 642.

Quoniam homo obligatur facere omnium facultatum ſuarum uſum, qui ad perficiendum animum, corpus & ſtatum noſtrum, & ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu noſtro imperfectionem requiritur (§. 173. *part.* 1. *Jur. nat.*), quamdiu vero liberi per ſe officiis erga ſeipſum ſatisfacere nequeunt, parentes facere debent, quæ ipſimet facere debebant, ſed nondum poſſunt (§. 641.); *parentes tamdiu omnem facere tenentur facultatum ſuarum uſum, qui ad perficiendum animam, corpus & ſtatum liberorum requiritur, & ad arcendum omnem ab anima, corpore & ſtatu liberorum imperfectionem exigitur, quamdiu ipſimet eundem facere nondum poſſunt, ac omnem dare operam, ut liberi ad eundem faciendum adducantur,* conſequenter *tam corpus, quam animam liberorum, eorundemque ſtatum perficere debent, quantum poſſunt.* *De corpore, anima & ſtatu liberorum perficiendo.*

Multum hic peccatur in praxi. Sane curam corporis quidem gerunt parentes, non vero animæ, aut quoad utrumque non ex aſſe adimplent omnes officii ſui partes. Alii non ſatis tempeſtive de anima perficienda cogitant, ut deinceps perfectio ejus reddatur admodum difficilis, immo prorſus impoſſibilis. Sed in hæc inquirere non eſt hujus loci: pertinent enim ad philoſophiam moralem, in qua etiam docendum, quomodo parentes officiis ſuis ſatisfacere debeant. Sunt enim quoque virtutes parentibus propriæ, ſunt etiam vitia iiſdem oppoſita, utut peculiaribus utraque deſtituantur nominibus. In utero materno fœtus primum vivit vitam vegetativam, qualis eſt plantarum, & ſucceſſive fit tranſitus ad vitam animalem, qualis eſt brutorum: neque enim natura facit tranſitum ab uno extremo ad alterum per ſaltum. Dum in lucem editur, vitam animalem vivit, & natura eundem curæ parentum committit, ut a vita animali perducatur ad vitam hominis, quæ ſecundum rationem eſt. Parentes igitur imitari debent naturam, quæ per inſenſibilia incrementa tendit ad maximum, &, dum fœtus in utero vitam vegetativam vivit, cum ſucceſſive ac inſenſibili modo ad vitam animalem præparatur aptumque efficit, & quemadmodum cetera omnia, ita etiam vitam animalem fœtus in utero ex inſenſibilibus gignit.

§. 643.

Parentes præcavere debent, ne ſenſus liberorum, præſertim oculi, vitia contrahant, & operam dare, ut imaginatio & memoria perficiatur. Operam enim dare debent, ut omnem imperfectionem a corpore liberorum arceant (§. 642.). Quamobrem cum conſtet, ſenſus in tenerrima inprimis ætate vitia contrahere poſſe, organis ſenſoriis depravatis; ipſorum utique eſt præcavere, ne iidem, præſertim oculi, vitia contrahant. *Quod erat unum.* *De vitiis ſenſuum præcavendis, & memoria ac imaginatione perficienda.*

Enimvero memoria & imaginatio perfici poſſunt (§. 196. & ſeqq. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum parentum ſit, ut liberos ſuos quoad animam & corpus perficiant (§. 642.); operam omnino dare debent, ut imaginatio & memoria liberorum perficiatur. *Quod erat ſecundum.*

Uſus facultatum inferiorum, veluti ſenſuum, imaginationis ac memoriæ, homini naturalis eſt, nec demum acquirendus (§. 200. *p.* 1. *Jur. nat.*). Organa tamen corporis huc ſpectantia depravari poſ-

BIU Cujas

possunt, ut eorum usus vel prorsus tollatur, vel arctioribus limitibus circumscribatur. Quamobrem parentum cura eo potissimum redit, ut organorum istorum destructionem, vel depravationem impediant. Ex. gr. nimia lux oculi aciem debilitat. Impediendum igitur, ne infantibus nimia lux affulgeat. Quamvis vero hæc protrita videantur, plura tamen observanda sunt, quam vulgo putatur, si officio huic ex asse satisfacere velint parentes. Ast quænam hic consideranda sint, in Philosophia morali doceri debet. Imaginatio & memoria perficiuntur usu, quem cum per se facere non possint infantes, parentum est eundem excitare, seu iis occasionem præbere imaginatione ac memoria utendi. Equidem vulgo hæc casui permittuntur & a moribus abhorret, ut ad talia animum advertamus; inde tamen inferri nequit, quod recte fiat, veritate adversus mores prævalente. Illud vero etiam notandum est, suo singula fieri debere tempore, neque enim eidem ætati conveniunt omnia, quin potius, quæ suo tempore prosunt, ea nocent, si ante tempus fiant. Immo pro diversa ætate differunt actiones ad eundem finem tendentes & ideo idem officium non eodem prorsus modo exercendum a parentibus. Acutiores facile vident, quam amplus aperiatur campus in Philosophia morali si eam novis veritatibus indies augere velimus, quemadmodum Mathematici Geometriam augere solent & Mechanicam. Sparsimus semina, ex quibus istiusmodi fructus sperare licet, modo ea agro fertili committantur: quod ut facilius fieri possit, exemplo præibimus in Philosophia morali, fidem oculatam daturi.

§. 644.

De diversa liberorum ætate. Ætas liberorum distinguitur in infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem & ætatem virilem. Sed de terminis cujusvis ætatis non satis convenit. Numero annorum definiri solet, ita ut *Infantia* terminetur anno septimo, *Pueritia* anno decimo quarto, *Adolescentia* vigesimo primo, *Juventus* vigesimo octavo; a quo termino *Ætas virilis* incipit: quæ distinctio ætatum per annorum septenarium convenit hypothesibus Medicorum veterum de annis climactericis, & corpus magis respicit, quam animam. Germani vulgo per numerum denarium ætates distinguunt & ideo nonnisi tres faciunt, quarum una terminatur anno decimo, altera vigesimo, tertia trigesimo, a quo incipit ætas virilis. Enimvero istæ ætatum distinctiones exiguum, aut nullum usum habent in determinandis iis, quæ cura parentum in educatione liberorum exigit: neque enim tam ad numerum annorum, quam ad usum facultatum animæ respiciendum, prouti se exerit. *Infantiam* igitur definire licet per eam ætatem, qua liberi adhuc destituuntur usu sermonis, consequenter ad eundem perducendi: *Pueritiam* per ætatem, qua usu sermonis pollentes usu tamen facultatum superiorum destituuntur, & ad eum perducendi: *Adolescentiam* per ætatem, qua usus facultatum superiorum equidem se exerit, sed judicium tamen adhuc imbecille est & magis firmandum, *Juventutem* per ætatem, qua judicium magis maturuit, & *Ætatem virilem* per eam, qua judicium perfectum videtur ad vivendum vitam hominis per se.

Hæc mihi distinctio commoda videtur ad determinandam varietatem curæ, quam parentes in educanda prole adhibere debent, ne quod necessarium quovis tempore negligatur, nec præpostero studio vel nihil agatur, vel magis noceatur liberis, quam consulatur. Ceterum nemini in discernendis istis ætatibus litem movebimus, nec cuiquam ea in re legem præscribimus. Abundet unusquisque suo sensu. Nobis sufficit, ut parentes in educatione prolis suæ ad ea animum attendant, per quæ ætates istas discrevimus, ut quovis tempore agant quod officii sui est, nec quicquam præpostere fiat. Etsi qui fuerint, qui latum istum campum, quem modo diximus (*not.* §. 643.), ingredi voluerint, ad eadem omnino animum attendere debent, ut constet, quænam sumenda sint, ut ex iis deducantur alia, cum per se pateat, ex annorum numero nihil deduci posse, quæ parentibus in educatione liberorum sint observanda, nisi hæc vel ista ætati huic convenire supponas, consequenter ea sumas, per quæ nos ætates, aut, si mavis, diversos status liberorum educandorum distinximus. Ut vero appareat, illam ætatum distinctionem in praxi esse attendendam, exemplum aliquod facile addere lubet illustrationis gratia. Diximus, ad curam parentum pertinere, ut præcaveant, ne oculi vitium contrahant. Quando liberi usu sermonis nondum pollent, nec fieri potest, ut legere discant. Quamobrem in infantia præcavetur, ne oculorum acies obtundatur, si lumen intensius, quale est solare, immo dum ex tenebris uteri haud ita pridem egressi sunt, ipsa lux diurna, ab iis avertatur, & si non permittatur, ut oculorum aciem in candelam ardentem, vel ignem intendant. Ast in pueritia præcavere debent, ne legentes libro nimis prope admoveant oculos, aut luce crepera legant. Rationes ex Optica petendas jam prætereo.

§. 645.

BIU Cujas

§. 645.

De usu facultatum animæ acquirendo.

Parentibus curæ esse debet, ut liberi consequantur omnem facultatum animæ usum, quem acquirere valent. Usus facultatum superiorum animæ, intellectus ac voluntatis liberæ, non inest homini natura, sed exercitio acquiritur (§. 199. *part.* 1. *Jur. nat.*) & facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iisdem utendi (§. 209. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum parentibus curæ esse debeat animam liberorum perficere, quantum possunt (§. 642.), iisdem quoque curæ esse debet, ut ipsi consequantur omnem facultatum animæ usum, quem acquirere valent.

Facultates superiores hominem a brutis potissimum distinguunt. Quoniam vero usus illarum natura homini non inest (§. 199. *p.* 1. *Jur. nat.*); illa differentia non ante in sensus incurrit, quam ubi homo facultatibus istis utitur. Usu isto destitutus bruto similis videtur (§. 461. *Psych. rat.*). Parentes, ut jam supra monuimus (*not.* §. 641.), genus humanum propagare debent, consequenter etiam formare animum liberorum, ut actu rationales sint: id quod sine usu facultatum animæ superiorum fieri non posse, cum experientia palam loquitur, tum Psychologia evidenter demonstrat. Parentum itaque cum sit non modo generare prolem, sed formare quoque hominem, ad usum facultatum superiorum eosdem adducendo & habitus iisdem utendi ipsis conciliando; Societatis non modo paternæ necessitas inde elucescit, verum etiam conjugalis, seu matrimonii. Propagatio generis humani requirit, ut homines ea conferant, sine quibus fieri nequit, ut in rerum natura existant homines. Non igitur sufficit generari homines, sed iidem quoque educandi. Ex superioribus abunde liquet imaginem hujus juris conspici in ipsis brutis, quibus proles sua tamdiu curæ est, donec vitam speciei suæ convenientem per se vivere possit.

§. 646.

De cautione in conciliando liberis facultatum usu adhibenda.

Quoniam parentibus curæ esse debet, ut liberi consequantur omnem facultatum animæ usum, quem acquirere valent (§. 645.), experientia autem aperte loquitur, non cuivis ætati, aut, si mavis, statui liberorum, quorum unus successive excipit alterum, convenire acquisitionem usus cujuslibet (§. 644.); *parentibus curæ esse debet, ut liberos perducant ad usum facultatum unicuique ætati convenientem*, consequenter *probe discernant, quænam infantiæ, quænam pueritiæ, quænam adolescentiæ, quænam juventuti conveniant* (§. *cit.*).

Hinc patet, cur ætates hominis a prima infantia usque ad virilem ætatem non tam annorum numero, quam aptitudine ad certos facultatum usus & iis convenientes habitus acquirendi in Jure naturæ ac philosophia morali distingui conveniat, quemadmodum fecimus (§. 644.). Quænam vero ætati unicuique conveniant, non tam in Jure naturæ, quam in philosophia morali demonstrandum, quippe quæ docere debet, quomodo obligationi naturali satisfaciamus, recto facultatum nostrarum inter se consentientium usu.

§. 647.

De usu facultatis locomotivæ.

Parentibus curæ esse debet, ut liberi acquirant usum facultatis locomotivæ cuilibet ætati convenientem. Quoniam usus facultatis locomotivæ, quatenus appetitui sensitivo & aversationi sensitivæ subest, homini natura inest, quatenus vero volitionibus & nolitionibus solis respondet, appetitionibus autem & aversionibus sensitivis solis per se respondere nequit, demum acquirendus (§ 314. *part.* 1. *Jur. nat.*), omnis tamen subest directioni animæ (§. 315. *part.* 1. *Jur. nat.*), & in actione humana recta, ad cujus rectitudinem naturaliter obligamur (§. 89. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nihil quoque desiderari debet ex parte facultatis locomotivæ (§. 79. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eodem quoque, quo ante (§. 645.), modo patet parentibus curæ esse debere, ut liberi acquirant usum facultatis locomotivæ, qui scilicet non sua sponte sese prodit, dum corpus adolescit, sed demum acquirendus. *Quod erat unum.*

Enimvero distinguendas hic esse ætates, ut dijudicetur usus unicuilibet earum con-

BIU Cujas

veniens, eodem modo patet, quo de usu facultatum animæ idem ostendimus (§. 646.). *Quod erat alterum.*

Facultatem locomotivam perfici posse, a posteriori constat. Sane homo vires suas augere potest exercendo & majus corporis robur acquirere. Usus facultatis locomotivæ destinari potest ad certos fines. Quamvis itaque virium exercitium & usus facultatis locomotivæ casui permittatur, quemadmodum alia, quæ ad educationem pertinent, casu permitti solent; inde tamen minime inferri potest, quod talia non sint in potestate nostra & recte casui permittantur.

§. 648.

De cognitione rerum ad quam liberi perducendi.

Parentes obligantur ad omnem diligentiam adhibendam, ut liberi rerum cognitu sibi possibilium cognitionem acquirant, nec ullam prætermittere occasionem, qua rei cujuscunque cognitio ipsis comparari potest. Homo enim obligatur ad distinctam rerum cognitu possibilium cognitionem acquirendam (§. 220. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec ullam prætermittere occasionem, qua rei cujuscunque cognitionem sibi comparare valet (§. 221. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum intellectus absque rerum cognitione distincta perfici non possit, sed tanto sit perfectior, quo plures res distincte sibi repræsentare valet (§. 218. *part.* 1. *Jur. nat.*), parentes vero intellectum perficere debeant (§. 641.); parentes utique obligantur ad omnem diligentiam adhibendam, ut liberi rerum cognitu sibi possibilium cognitionem acquirant, nec ullam prætermittere occasionem, qua rei cujuscunque cognitio ipsis comparari potest.

Parentes funguntur officio liberorum, quamdiu ipsimet eodem defungi non possunt, quemadmodum jam ante monuimus (*not.* §. 641.). Quamobrem quicquid ad hoc conferre possunt, ut liberi rerum notitiam acquirant; id omnino conferre tenentur. Plura vero in hoc genere a prima statim ætate conferre possunt, quam vulgo putatur. Et quæ in prima statim ætate liberis imprimuntur notiones, non modo firmiter agunt radices in anima, verum etiam plurimum prosunt ad scientiam acquirendam & augendam.

§. 649.

De cura singulari circa notiones sibi comparandas.

Liberis primum in tenera adhuc ætate insinuandæ sunt notiones rerum obviarum claræ, etsi adhuc confusæ, deinde successive præparandi ad distinctas, & tandem manuducendi sunt ad acquirendum habitum notiones distinctas formandi. Parentes enim obligantur ad omnem diligentiam adhibendam, ut liberi rerum cognitu sibi possibilium cognitionem acquirant (§. 648.). Quoniam vero omni ætati non omnia conveniunt, cum per gradus sit ascendendum ad perfectiorem rerum cognitionem, prout non modo a posteriori constat, verum etiam ex iis, quæ de diversitate notionum traduntur in Logica & Psychologia empirica abunde colligitur, parentibus autem curæ esse debet, ut liberi faciant usum facultatum suarum cognoscendi, qui ætati ipsorum convenit (§. 646.); ab infimo gradu cognitionis utique initium facere tenentur, ascendendo deinceps ad altiorem, dum liberos suos ad rerum cognitionem perducere student. Quoniam itaque notiones claræ, sed confusæ, sunt primus gradus cognitionis humanæ, a quo ascendendum ad notiones distinctas (§. 80. 88. *Log.*), ad has vero acquirendas certa opus est attentione & reflexione (§. 678. *Log.*), quæ cum naturaliter non adsit, ad illas acquirendas præparamur, dum attentioni ac reflexioni adsuescimus; parentes liberis in prima ætate insinuare debent notiones rerum obviarum claras, etsi adhuc confusas; deinde vero eos præparare ad distinctas acquirendas. Quoniam vero habitum acquirere debemus notiones distinctas formandi (§. 227. *part.* 1. *Jur. nat.*); parentes quoque tandem manuducere debent liberos ad habitum notiones distinctas formandi acquirendum.

Quoniam in Jure naturæ saltem docetur, quænam sint parentum obligationes vel officia, philosophiæ moralis vero est ostendere, quomodo iisdem satisfieri potest; ideo in præsenti non addimus, quomodo pro diversa liberorum ætate, immo & pro diversa eorundem conditione, tum

tum notiones quædam veluti basis omnis cognitionis futuræ, iisdem sint insinuandæ, in quonam consistat præparatio ad notiones distinctas inde derivandas & quomodo habitus notiones distinctas formandi iis concilietur. Perfectio intellectus duplici modo considerari potest, vel objective, vel subjective. Objective spectata æstimatur ex multitudine notionum distinctarum & veritatum evidenter cognitarum; subjective autem considerata consistit in habitu operationes intellectus eliciendi, qui quidem sine rerum cognitione acquiri nequit, non tamen utilitatem ejus ac necessitatem respicit. Ita utimur ad intellectum perficiendum veritatum geometricarum cognitione, quemadmodum docui in Commentatione de studio mathematico recte instituendo, quæ continetur in Tomo quinto Elementorum Matheseos universæ, etsi veritates istæ nulli nobis sint usui, immo in spem futuræ oblivionis addiscantur. Quamvis enim veritates istæ oblivioni tradantur, non tamen propterea extinguitur habitus operationes intellectus eliciendi & iisdem in rerum cognitione rite utendi. Atque hæc notasse proderit, siquidem in educatione liberorum officio, quod in propositione præsente urgetur, satisfacere velimus.

§. 650.

Parentes præcavere tenentur, ne animus liberorum in pueritia imbuatur notionibus erroneis ac superstitiosis. Notiones enim, quibus animus liberorum in pueritia imbuitur, non modo firmiter eidem inhærent; verum etiam liberis, qui sibi conscii in ætate adultiore non sunt, unde venerint, quasi innatæ videntur, ut posthac difficulter eradicentur. Quamobrem cum nemo non agnoscat, notiones erroneas ac superstitiosas obstare, quo minus verum cernamus, consequenter animum liberorum reddi imperfectiorem, quando iisdem imbuuntur, parentes vero omnem imperfectionem, quantum datur, ab anima liberorum removere debeant (§. 642.); iidem utique præcavere tenentur, ne animus liberorum in pueritia imbuatur notionibus erroneis ac superstitiosis. *Quænam hic vitanda.*

Non minima pars est illius curæ parentum, quæ ad educationem pertinet, animum liberorum in tenera ætate immunem præstare ab omnibus opinionibus falsis, præsertim insulsis atque superstitiosis, & nullibi fere magis peccatur, quam hac in parte. Nocent autem istiusmodi notiones haud parum, non modo quatenus posthac impediunt, ne possimus cernere verum, conscientia veluti adversus evidentiam reluctante; verum etiam quatenus eædem in appetitum influunt eundemque corrumpunt, ut sensitivus posthac prævaleat adversus rationalem, nec is cum hoc in gratiam redire queat. Non alia de causa *Cartesius* Princip. philosoph. part. 1. §. 1. voluit, ut semel in vita de iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperimus, immo ea, de quibus dubitamus, pro falsis habere, ut tanto clarius, quidnam certissimum & cognitu facillimum sit, inveniamus. Nec sine ratione hanc dubitationem etiam extendit ad ea, quæ antea pro maxime certis habuimus §. 5. quia vidimus aliquando nonnullos errasse in talibus, & quædam pro certissimis ac per se notis admisisse, quæ nobis falsa videbantur. Contingit sane, ut homines, quæ a pueritia ipsis familiaria facta sunt, pro per se notis habeant, propterea quod sine ratione iisdem assensum præbuerunt & deinceps ea pro veris constanter habuerunt, nullo prorsus dubio emergente. Enimvero cum non tam facile sit eradicare præjudicia, quæ firmas in animo radices egerunt, cum etiam hic consuetudo sit altera natura, quam ne furca quidem expellere datur, quin redeat; ideo necesse omnino est, ut caveatur, ne notiones erroneæ teneris puerorum animis insinuentur & radices altas in iisdem agant. Ceterum cum non omnes idem vitæ genus sectentur, facile patet pro diverso vitæ genere, cui destinantur liberi, variari tantisper curam a parentibus in hoc genere adhibendam. Sed ea curatius examinare non est præsentis instituti. Patet autem hanc curam pertinere ad parentes & eos, quibus educatio liberorum ab illis ex parte committitur (§. 641.), cum liberi in pueritia usu rationis adhuc destituti verum a falso separare neutiquam possint, sed credere tenentur, quæ ab aliis dicuntur.

§. 651.

Parentes tempestive studere debent, ut liberos ad usum rationis perducant. Quoniam enim operam dare tenemur ut rationem perficiamus (§. 253. *part.* 1. *Jur. nat.*), nemo autem est, qui nesciat, infantes natos usu rationis destitui, nec eos per se eundem consequi posse certum est (§. 641. *Psych. nat.*); parentibus omnino curæ esse debet, ut liberi ad usum rationis perducantur (§. 641.), cumque omnem diligentiam in quavis educationis parte adhibere debeant (§. 301. *part.* 1. *Jur. nat.*), tempestive studere tenentur, ut liberi usum rationis consequantur. *De usu rationis.*

BIU Cujas

Ratio homines potiſſimum a brutis diſtinguit. Quoniam itaque infantes naſcuntur potentia ſaltem homines, ſed actu fiunt homines per educationem (*not.* §. 641.), educationis haud poſtrema pars eſt, quovis modo ſtudere, ut liberi uſum rationis conſequantur: qui quo amplior erit, eo rectius parentes ſatisfeciſſe intelliguntur officio ſuo. Non igitur a vero aberrant, qui eandem doctoribus referunt gratiam quam parentibus, qui eos doctrina ſolida rationales effecerunt. Nos ſane philoſophiam in ſyſtema veri nominis redigendo id potiſſimum intendimus, ut rationis uſum amplificemus, & homines quam maxime rationales efficiamus. Nec deſunt plures inter eruditos, qui ex operibus noſtris hunc fructum perceperunt & propterea in literis gratias egerunt.

§. 652.

De principio rationis ſufficientis inculcando.

Quoniam parentes tempeſtive ſtudere debent, ut liberos ad uſum rationis perducant (§. 651.), principium autem rationis ſufficientis rationis veluti baſis eſt (§. 483. *Pſych. empir.* & §. 56. *Ontol.*); *parentes, quam primum datur, liberos adſuefacere debent, ne propoſitioni cuidam aſſentiantur ſine ratione, & ut ſemper quærant, cur hoc ita ſit, vel eſſe debeat* (§. 70. *Ontol.*).

Principium nimirum rationis ſufficientis a teneris unguiculis liberis inculcandum. Imitari autem debemus naturam, ut per gradus hoc fiat. Sufficit itaque primo, ut tantummodo firmiter ipſis imprimatur, nihil eſſe ſine ratione, etſi nondum diſcernere valeant, utrum rationem norint ejus, nec ne, cui aſſenſum præbent. Neque enim ætati omni conveniunt omnia. Prudenter itaque dijudicanda ſunt, quæ ætati unicuique conveniant. Quemadmodum enim naturaliter obligamur ad prudenter agendum (§. 258. *part.* 1. *Jur. nat.*); ita lex quoque naturæ prudentiam requirit in educatione liberorum.

§. 653.

De præjudicio auctoritatis arcendo.

Parentes præcavere debent, ne liberorum animus præjudicio autoritatis imbuatur. Etenim adſuefaciendi ſunt, ne quid admittant abſque ratione, ſed quærant rationem ejus, cui aſſentiendum (§. 652.). Quamobrem cum illi, qui præjudicio autoritatis imbuti ſunt, aſſenſum præbeant dictis propter autoritatem dicentis (§. 1013. *Log.*); parentes præcavere debent, ne liberorum animus præjudicio auctoritatis imbuatur.

Quamdiu intellectus liberorum imbecillis eſt, fieri equidem aliter non poteſt, quam ut aſſenſum præbeant iis, quæ ipſis dicuntur, quia dicuntur. Quodſi tamen tempeſtive adſuefiant quærere rationem eorum, quæ ipſis dicuntur, vel quæ eſſe aut quæ fieri vident (§. 652.); eo ipſo præcavetur, ne præjudicium autoritatis ſeſe inſinuet animo eorundem, ac facile deinceps diſcunt, ob imbecillitatem intellectus ſeſe capere non potuiſſe rationem. Immo cum præjudicio autoritatis prorſus carere nequeant, qui adſcientiam animum appellunt, immo in negotiis quoque humanis haud raro alienis oculis videndum ſit; ideo utile quoque eſt, ut liberi, quando per ætatem hoc fieri poteſt, doceantur, quamdiu & quandonam aſſenſum præbere conveniat propter autoritatem dicentis. Sed de his dicendum eſt in philoſophia morali.

§. 654.

De ingenio perficiendo.

Parentes ingenium liberorum perficere debent. Ingenium enim perficere tenemur (§. 252. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum parentum ſit perficere animum liberorum, quantum poſſunt (§. 642.); quin etiam ingenium liberorum perficere teneantur, dubitandum non eſt.

Idem etiam oſtenditur hoc modo. Ingenium in facultatum animæ numero eſt (§. 476. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum parentum ſit curare, ut liberi conſequantur omnem facultatum animæ uſum, quem acquirere valent (§. 645.); ad eorum curam quoque pertinet liberis familiarem reddere uſum ingenii. Quoniam itaque facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iiſdem utendi (§. 209. *part.* 1. *Jur. nat.*); parentes quoque ingenium liberorum perficere tenentur.

Erunt

BIU Cujas

Erunt forsitan qui existimaturi sunt, necesse non esse, ut homines omnes sint ingenioſi. Enimvero hi non satis perpendunti, quid sit ingenium & quemnam usum homini cuilibet præstet. Nulla homini facultas frustra data, sed omnes suum unicuique præstant usum, eidemque utiles sunt, quamvis non eadem singulis hominibus eveniat utilitas. Consistit ingenium in facilitate observandi rerum similitudines, quæ quam necessaria sit omni homini, ac is præsertim, qui scientia destituuntur, in Philosophia morali disertius docendum; ubi etiam inquirendum, quibusnam mediis pro diversa liberorum ætate & diverso vitæ genere sit utendum, ut finem intentum consequamur.

§. 655.

De virtutibus intellectualibus & moralibus.

Parentes operam dare debent, ut liberi consequantur virtutes omnes tam intellectuales, quam morales. Perfectio enim animæ acquisita consistit in virtutibus intellectualibus & moralibus (§. 548. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum parentes animam liberorum perficere debeant, quantum possunt (§. 642.); operam omnino dare debent, ut iidem consequantur virtutes omnes tam intellectuales, quam morales.

Virtutes intellectuales sunt habitus intellectus, quibus subordinatur ministerium sensuum; morales autem sunt habitus voluntatis & noluntatis (§. 547. *part.* 1. *Jur. nat.*). Pendent morales ab intellectualibus, nec sine his perfectæ esse possunt. Quamobrem cum nemo virtutibus moralibus carere debeat, quod jam sumere licet, nemine contradicente; nemo quoque virtutibus intellectualibus carere potest. Virtutes intellectuales tam objective, quam subjective spectari possunt (*not.* §. 649.), & utroque modo spectatæ suos habent gradus, nec iidem conveniunt singulis. Hoc igitur probe perpendendum, ne inanes circa studium acquirendis virtutibus intellectualibus impendendum difficultates nectantur. Quodcunque vitæ genus aliquis sectetur, in eo virtutibus intellectualibus carere nequit, quæ tamen variant cum objective, tum subjective spectatæ pro diversitate ejusdem. Sed talia disertius docenda in philosophia morali.

§. 656.

De virtutibus intellectualibus in specie.

Quoniam parentes operam dare debent, ut liberi consequantur omnes virtutes intellectuales, (§. 655.), in numero autem virtutum intellectualium sunt scientia (§. 594. *Log.*), ars inveniendi (§. 454. *Psych. empir.*), sapientia (§. 678. *Psych. rat.*), prudentia (§. 256. *p.* 1. *Jur. nat.*) & ars (§. 260. *part.* 1. *Jur. nat.*), homo autem quilibet eas artes addiscere debet, ad quas addiscendas maxime aptus, & quæ ipsi maxime necessariæ (§. 262. *part.* 1. *Jur. nat.*); *parentes operam dare debent, ut liberi consequantur scientiam, sapientiam, prudentiam & artes, ad quas addiscendas maxime apti & quæ ipsis maxime necessariæ.*

Quilibet equidem facile concedet, ad educationem liberorum in genere pertinere, ut liberi efficiantur sapientes ac prudentes in suo genere & addiscant artes sibi necessarias, veluti artem legendi ac scribendi, qua nemo facile carere potest nisi incommodo suo; non tamen eadem facilitate largientur omnes, promiscue liberis omnibus insinuandam esse scientiam & artem inveniendi, immo non dubito fore haud paucos, quibus impossibile videbitur, ut hoc fiat. Enimvero hi erunt, qui non perpendunt diversitatem graduum, quos admittit non minus ars inveniendi, quam scientia, sive eam objective, sive subjective consideres, nec eundem gradum promiscue convenire omnibus: neminem vero esse hominum, cui omnis prorsus negetur. Id demum absurdum foret, si quis contenderet, ut quoad instillandas liberis virtutes intellectuales parentum omnium eadem sit cura ac idem studium.

§. 657.

De virtutibus moralibus conjungendis.

Nemo hominum virtute ulla morali carere debet. Virtutes enim morales, qui habitus voluntatis ac noluntatis sunt (§. 547. *part.* 1. *Jur. nat.*), sunt habitus actiones suas legi naturæ conformiter dirigendi (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & requirunt voluntatem constantem & perpetuam non committendi actiones, nisi quæ legi naturæ conformes sunt (§. 328. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum obligatio, quæ a

lege

BIU Cujas

lege naturæ venit, sit necessaria & immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nemo quoque hominum virtute ulla morali carere debet.

Qui contendere vellet, non omnes virtutes morales hominibus promiscue singulis necessarias esse; circa naturæ legem dispensandi facultatem sibi arrogaret, consequenter obligationem immutabilem in mutabilem convertere auderet: id quod in se absurdum. Virtutes non sunt sejungendæ, sed conjungendæ. Non dantur virtutes sibi invicem contrariæ, ut simul in eodem subjecto inesse non possint.

§. 658.

De virtutibus conjungendis.

Quoniam nemo hominum virtute ulla carere debet (§. 657.), parentes vero operam dare debent, ut liberi consequantur virtutes morales (§. 656.); *parentum* omnino *est virtutis omnium exercitium liberis reddere familiare.*

Alia est ratio virtutum moralium, quam intellectualium. Harum omnium non omnes sunt æque capaces, nec tanta est earum conjungendarum necessitas, quanta moralium. Non igitur necesse est, ut hic sigillatim enumerentur virtutes, ad quas liberi sunt adducendi, *cum nullius* studium sit negligendum.

§. 659.

De directione actionum liberorum.

Quamdiu liberi ignorant, quænam actiones sint legi naturæ conformes, quænam vero eidem repugnent; quid facere debeant, quid non, jubere ac prohibere debent parentes, nec permittere, ut sine ipsorum jussu, vel ipsis insciis ac inconsultis quicquam faciant. Etenim parentum est virtutis omnis exercitium liberis reddere familiare (§. 658.), consequenter eos aptos efficere ad actiones suas juxta legem naturæ determinandum (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam vero exercitio comparantur habitus (§. 430. *Psych. empir.*) & continuo usu conservatur ac perficitur (§. 431. *Psych. empir.*), exercitium vero in actuum specie vel genere eorundem iteratione consistit (§. 195. *Psych. empir.*); quamdiu liberi ignorant, quænam actiones sint legi naturæ conformes, quænam vero eidem repugnent; quid facere debeant, jubere, quid non facere, prohibere debent parentes, cumque habitus amittatur & contrarius acquiratur, editis continuo actionibus eidem contrariis (§. 433. *Psych. empir.*), consequenter habitus non acquiratur, actionum identitate contrariis interrupta, nec permittendum est a parentibus, ut sine ipsorum jussu vel ipsis insciis ac inconsultis liberi quicquam faciant.

Patet hinc, quam necesse sit, ut liberi quasi continuo constituantur sub oculis parentum, aut, ubi ipsimet per alia negotia actionibus eorundem non constanter attendere possunt, sub eorum oculis, quibus hanc curam demandarunt.

§. 660.

De jure parentum in actione liberorum.

Quoniam parentes jubere debent, quod liberi facere debent, & prohibere, quod non facere, seu omittere debent, nec iis permittendum, ut sine parentum consensu, aut ipsis insciis ac inconsultis faciant, quod libuerit, quamdiu ignorant, quid facere debeant, vel omittere (§. 659.); *parentibus competit jus determinandi actiones liberorum, quamdiu ipsimet easdem juxta naturæ legem determinare non norunt* (§. 159. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), *& liberi actiones suas componere tenentur ad voluntatem parentum.*

Nascitur hoc jus ex obligatione liberos educandi, quæ tenet parentes (§. 263.), quippe vi cujus aptos ex se efficere debent ad vivendum vitam hominis (§. 255.). Obligatio liberos educandi cum a lege naturæ veniat (§. 263.), naturalis est (§. 141. *part.* 1. *Phil. pract. univers.*). Quamobrem jus in actiones liberorum parentibus tribuitur ab ipsa naturæ lege, immo cum Deus quoque parentes obliget ad educandum prolem suam (§. 266.), idem jus parentibus tributum intel-

BIU Cujas

intelligitur ab ipso Deo. Deus igitur & natura liberos subjecerunt parentibus, quamdiu ex sese apti non sunt ad vivendum vitam hominis. Dubium movere non debet, quod homines omnes natura liberi sint (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter nemini subjecti (§. 134. 135. *p.* 1. *Jur. nat.*). Neque enim liberi ante censendi actu homines, seu homines perfecti, quam ubi vitam hominis vivere possunt (*not.* §. 641. 645.). Quamdiu liberi ignorant, quid debeant facere quid non facere, tamdiu quoque manent pars parentum, quorum intellectus & voluntas ipsis loco intellectus & voluntatis est (§. 641.). Natura igitur sibi minime contraria, quæ vult, homines esse liberos, seu alteri cuidam minime subjectos, liberos tamen ad certum tempus subjicit parentibus, nec sinit esse sui juris.

§. 661.

Determinatio actionum liberorum dicitur *Regimen* & Jus eas determinandi *Potestas patria*, consequenter *regimen potestatis patriæ exercitium est*. Quoniam itaque jus determinandi actiones liberorum utrique parenti competit (§. 660.); *potestas patria non solum patri, verum etiam matri competit, seu utrique parenti communis est.* *De regimine liberorum & potestate patria.*

Apud Romanos potestas patria tantummodo competebat patri, minime autem matri: unde etiam a patre nomen accepit jus in liberos. Sed potestas, quæ patri tributa Jure Romano, naturalis non est, sed civilis, eaque Romanorum propria. Repugnat eadem non una ex parte Juri naturæ, nec ejus ratio hic habenda. Monuimus jam fontem illius potestatis esse obligationem educandi sobolem, quæ cum communis sit utriusque parentis, eundem quoque utrique communem facit (§. 660.), nec aliunde aliquod jus parentibus in liberos nasci potest (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*). Istiusmodi autem potestatem, qualem Jus Romanum patri tribuerat, ex obligatione educandi sobolem deducere minime licet. Nec concipi aliqua in liberis potest obligatio, quippe quæ rationem sufficientem in essentia & natura illorum habere debebat, unde veniat istiusmodi potestas.

§. 662.

Potestas patria imperium est parentibus in liberos competens. Potestas enim patria est jus determinandi actiones liberorum (§. 661.). Quamobrem cum jus determinandi actiones liberas alterius pro lubitu suo dicatur imperium (§. 194.); potestas patria imperium est, & quia etiam matri competit (§. 661.), imperium est parentibus in liberos competens. *Quale jus sit potestas patria.*

Consultius ideo fuisset, potestatem patriam imperium parentum in liberos, vel *imperium parentale* dicere, sicuti *Ovidio* animæ parentum dicuntur umbræ parentales. Ast nolumus terminos novos introducere in disciplinas, ubi alii jam prostant. Sufficit itaque ostendisse, potestatem patriam naturalem (de hac enim sola nobis sermo est in Jure naturæ) non esse aliud jus, quam imperium.

§. 663.

Naturaliter parentibus jus aliud in liberos competere nequit, nisi in actiones eorundem. Per se patet, cum jus sit facultas moralis agendi (§. 156. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nemini in animam alterius jus quoddam competere posse, quippe quod prorsus inutile foret, quia omni exercitio destitutum nullum haberet effectum. Nemini hominum competit jus in corpus suum, vel ullum ejus organon, nisi eodem utendi, quoties usum exigit obligatio quædam naturalis (§. 374. 376. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum parentes vitam, sanitatem & integritatem omnium membrorum corporis liberorum suorum obligentur conservare (§. 639.), de ipsa substantia corporis disponere ipsis non licet: quoniam vero parentes facere debent, quæ ipsimet facere debebant liberi, sed nondum possunt, quamdiu scilicet ipsi per se officiis erga se ipsum satisfacere nequeunt (§. 641.), jus quoque ipsis competere debet determinandi usum organorum corporis, quem obligatio naturalis exigit. Enimvero usus iste consistit in actio- *Quale jus naturaliter parentibus in liberos competere possit.*

BIU Cujas

actionibus liberis externis (§. 12. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem naturaliter parentibus jus aliud in liberos competere nequit nisi in actiones eorundem.

Deus dominus hominis est quoad animam atque corpus (§. 379. *part.* 1. *Jur. nat.*). Qui itaque homini tribuere vellet jus, quale est dominium, in animam & corpus hominis cujusdam alterius, vel etiam in corpus suum; is jus Deo proprium in hominem transferre auderet, improbo sane ausu.

§. 664.

An praeter imperium jus aliud in liberos competat.

Quoniam naturaliter parentibus jus aliud in liberos competere nequit, nisi in actiones eorundem (§. 663.), jus vero in actiones alterius imperium est (§. 199.); *naturaliter parentibus jus aliud in liberos competere nequit, nisi imperium.*

Patria itaque potestas ultra limites, quos lex naturæ eidem constituit, extensa olim a Romanis, qui liberos constituerunt in dominio parentum, ut a servis parum differrent. Ex qua erronea notione multa alia deduxerunt jura particularia, quorum reliquiæ nonnullæ ex Jure Romano hodienum apud nos supersunt.

§. 665.

De subjectione liberorum.

Liberi subjecti sunt parentibus. Etenim parentibus competit imperium in liberos (§. 661. 662.). Quoniam itaque alteri quis subjectus est, qui imperium in eum habet (§. 201.); liberi parentibus subjecti sunt.

Subjectio nimirum liberorum in eo consistit, quod pati teneantur, ut voluntate parentum determinentur ipsorum actiones, quasi propria voluntate destituti essent. Toti in agendo dependent a voluntate parentum (§. 209.). Definiri itaque potest *subjectio liberorum* per dependentiam eorundem a voluntate parentum in agendo.

§. 666.

De obedientia liberorum.

Quoniam liberi subjecti sunt parentibus (§. 665.), subjectus vero imperanti parere, seu obedire obligatur (§. 206.); *liberi parentibus parere, seu obedire tenentur*; consequenter cum alteri obediat, qui actiones suas ad voluntatem ipsius componit, faciendo scilicet, quod fieri vult alter, & non faciendo, quod fieri non vult (§. 205.), *liberi actiones suas ad voluntatem parentum componere debent, facere nimirum, quod jubent parentes, non facere, quod prohibent.*

Obedientia limites suos recipit ab imperio parentum. Quam late patet imperium parentum, ad tantam quoque latitudinem extenditur obedientia liberorum. Patebit autem ex sequentibus, imperium parentum limitari ipsa lege naturæ, & ex eo metienda obedientia liberorum.

§. 667.

De inobedientia liberorum.

Similiter quia subjectus inobediens esse non debet (§. 208.), liberi autem parentibus subjecti sunt (§. 665.); *liberi inobedientes non esse debent*, consequenter cum inobediens sit, qui actiones suas non vult componere ad voluntatem alterius (§. 207.), *non licet liberis actiones suas componere ad propriam potius, vel tertii cujusdam voluntatem, quam ad voluntatem parentum, faciendo scilicet non quod parentes volunt, sed vel ipsimet facere malunt, aut ut faciant, tertius quidam ipsis suadet, vel etiam faciendo, quod parentes nolunt, vel quia ipsis lubet, vel quia alii volunt, ut faciant.*

Hinc liberi non excusantur, si quid fecerint suasu vel jussu alterius cujusdam, parentibus vel invitis, vel insciis saltem ac inconsultis. Obedire enim debent parentibus, non aliis (§. 666.).

§. 668.

BIU Cujas

§. 668.

De obligatione parentum quoad obedientiam liberorum.

Quoniam liberi parentibus obedire debent (§. 666.), non aliis (§. 667.), parentum vero est virtutis cujuslibet exercitium reddere liberis familiare (§. 658.); *parentes* quoque *obligantur liberos efficere obedientes, nec permittere, ut obediant aliis, ipsis inscitis ac inconsultis, aut prorsus invitis.*

Parentes haud raro ipsimet in culpa sunt, ut liberi fiant inobedientes. Circumspectio nimirum haud exigua requiritur, ne inobedientiam inopinanter contrahant liberi; qua igitur utendum sit, in Philosophia morali inquirendum.

§. 669.

De jure obligandi liberos ad obedientiam praestandam.

Parentibus competit jus obligandi liberos ad actiones suas sic & non aliter determinandas. Etenim parentibus competit imperium in liberos (§. 662.). Enimvero imperium involvit jus obligandi alterum ad actiones suas sic & non aliter determinandas (§. 197.). Parentibus igitur competit jus obligandi liberos ad actiones suas sic & non aliter determinandas.

Vide, quæ supra annotavimus (*not.* §. 197.).

§. 670.

Jus puniendi liberos & eos praemiis invitandi ad agendum.

Parentibus competit jus liberos puniendi, si actiones suas ad nutum ipsorum componere nolint, & praemiis invitandi ad agendum. Parentibus enim competit imperium in liberos (§. 662.). Qui vero imperium in alterum habet, ei competit jus puniendi eum, qui actiones suas ad nutum ipsius componere non vult, & sibi subjectum invitandi praemiis ad agendum (§. 198.). Ergo etiam parentibus competit jus liberos puniendi, si actiones suas ad nutum ipsorum componere nolint, & praemiis eos invitandi ad agendum.

Ostenditur etiam idem hoc modo. Parentibus competit jus obligandi liberos ad actiones suas sic & non aliter determinandas (§. 669.). Enimvero positiva obligatio, qualis est parentum (§. 290. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), aliter introduci nequit, quam poenarum metu, aut spe praemiorum (§. 301. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ergo parentibus competit jus liberos puniendi, si actiones suas ad nutum ipsorum componere nolint, & praemiis invitandi ad agendum.

Cum duplex detur obligandi modus, unus, qui consistit in poenis irrogandis, alter, qui consistit in praemiis persolvendis; facile intelligitur, non sine ratione ex duobus unum esse eligendum. Quamobrem ulterius inquirendum, qua lege regatur electio.

§. 671.

Effectus poenarum & praemiorum.

Metu poenarum obligantur liberi ad inobedientiam vitandam & obedientiam non abjiciendam; spe autem praemiorum obligantur ad obedientiam praestandam. Quoniam enim poena est malum physicum, quod immittitur liberis a parentibus, si faciant, quod ipsi nolunt, vel non faciant, quod volunt (§. 285. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); metu poenarum deterreri debent liberi, ne faciant, quod parentes nolunt, vel ne facere negligant, quod volunt, consequenter eodem impediri debet, ne actiones suas ad voluntatem parentum componere detrectent. Quamobrem cum inobedientes sint, si actiones suas ad voluntatem parentum componere nolint (§. 207.), obedientes vero, si componant (§. 205.) inobedientiam vero vitent, si faciant, quod volunt parentes, etsi non facere mallent, aut non faciant, quod nolunt parentes, etsi facere mallent, aut obedientiam non abjiciant, si faciant, quod parentes volunt, quia vo-

BIU Cujas

volunt, & non faciant, quod iidem nolunt, quia nolunt, voluntatem suam & noluntatem voluntati ac noluntati parentum conformando; metu pœnarum obligantur liberi ad inobedientiam vitandam & obedientiam non abjiciendam. *Quod erat unum.*

Quoniam præmium est bonum, quod a parentibus confertur in liberos, si faciant, quod ipsi volunt, vel non faciant, quod iidem nolunt (§. 295. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), liberi autem obedientes sunt, si faciant, quod ipsi volunt, vel non faciant, quod nolunt (§. 205.), & voluntas eorundem repræsentatione boni determinatur ad faciendum, quod volunt parentes, vel non faciendum, quod ipsi nolunt (§. 904. *Psych. empir.*); spe præmiorum liberi obligantur ad obedientiam præstandam. *Quod erat alterum.*

Patet hinc, qua lege nitatur electio modi obligandi liberos. Si quis enim ad inobedientiam proni sint, metu pœnarum obligandi sunt, ut illam vitent, nec abjiciant obedientiam: quodsi vero ad obedientiam jam propendeat animus, ad eandem præstandam spe præmiorum facilius adducuntur. Notandum tamen, pronitatem ad inobedientiam & propensionem ad obedientiam in eodem subjecto variare pro diverso actionum genere, ut in quibusdam facilius, in aliis difficilius obtemperent liberi pro diversitate dispositionum & inclinationum naturalium: quæ ipsa etiam in causa est, ut non eædem pœnæ, nec eadem præmia conveniant omnibus. Multa igitur circumspectione opus est, ut prudenter fiat modi obligandi electio: alias enim aut inefficax erit obligatio, aut prorsus nocua evadet. Sed de his dicere Philosophi est in philosophia morali.

§. 672.

Quanam parentes liberis imperare nequeunt.

Parentes liberis imperare nequeunt, quæ juri naturæ repugnant, seu non debent præcipere, quæ lege naturæ prohibentur, nec prohibere, quæ eadem lege præcipiuntur. Et enim obligatio naturalis, quæ a lege naturæ venit, immutabilis & necessaria est (§. 142. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem nec parentibus in ea quicquam immutare licet, consequenter nec liberis præcipere, quæ lege naturæ prohibentur, nec prohibere, quæ eadem præcipiuntur.

Ostenditur etiam hoc modo. Parentum est virtutis exercitium liberis reddere familiare (§. 658.), consequenter eos aptos efficere ad actiones suas juxta legem naturæ determinandum (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem iisdem præcipere non debent, quæ jure naturæ prohibentur, nec prohibere, quæ eadem præcipiuntur.

Parentibus equidem competit jus determinandi actiones liberorum, quamdiu ipsi easdem juxta naturæ legem determinare nequeunt (§. 660.); non tamen a voluntate eorum dependet, quomodo easdem determinare velint. Lex naturæ norma est, juxta quam tam actiones proprias, quam liberorum determinare debent. Qui aliter faciunt, peccant & ad peccandum *liberos* seducunt (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quos ab iisdem avocare debebant.

§. 673.

Quando liberi parentibus obedire non tenentur.

Parentibus legi naturæ adversa præcipientibus liberi obedire non tenentur. Quoniam lex naturæ rationem sufficientem habet in ipsa natura & essentia humana (§. 135. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); non minus liberi, quam parentes obligantur ea facere, quæ lege naturæ præcipiuntur, & non facere, quæ eadem prohibentur. Et quoniam obligatio, quæ ab ista lege venit, necessaria & immutabilis est (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si parentes præcipiant, quæ legi naturæ adversantur, ea facere non debent, consequenter legi naturæ adversa præcipientibus obedire non tenentur (§. 205.).

Peccant parentes, si liberis præcipiunt legi naturæ adversa, veluti ut faciant, quæ lex naturæ prohibet, vel ut non faciant, quæ præcipit (§. 672. *h.* & §. 440. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Multo magis itaque peccant, si obedire nolentes puniant, vel pœnarum metu eos obligent ad committendum quidpiam, quod legi naturæ repugnet. Facile autem apparet, si liberi obedire non debeant, supponendam esse in iis legis naturæ notitiam: alias enim de eo, quod parentes præcipiunt, vel prohibent, judicium ferre nequeunt.

§. 674.

BIU Cujas

§. 674.

Si liberi parentibus legi naturæ adversa præcipientibus obediant, quamdiu nondum fieri potest, ut ipsimet de convenientia actionum cum lege naturæ, aut disconvenientia judicent; id ipsis imputari nequit. Etenim si fieri nondum possit, ut liberi ipsimet de convenientia actionum cum lege naturæ, aut disconvenientia judicent, ignorantia eorum invincibilis est (§. 28. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ignorantia invincibilis (§. 550. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter actio ex eadem profecta nemini imputari possit; nec liberis imputari potest, quod parentibus legi naturæ adversa præcipientibus obediant, quamdiu fieri nondum potest, ut ipsimet de convenientia actionum cum lege naturæ, aut disconvenientia judicent.

Quando liberis imputari nequeant actiones legi naturæ adversæ.

Nimirum quamdiu liberi per se de actionum moralitate judicium ferre nequeunt, parentum judicium ac inde dependens voluntas eorum est loco intellectus ac voluntatis liberorum, qui tamdiu censentur pars parentum (*not.* §. 660.). Actiones igitur liberorum spectantur in hoc statu tanquam actiones parentum, nec liberi aliter se habent, quam instrumentum, quod per se non agit. Quamobrem actiones liberorum imputandæ sunt parentibus, non liberis, quemadmodum homicidium non imputatur gladio, sed homicidæ gladio abutenti ad occidendum alterum. An vero ignorantia liberorum sit invincibilis, non ex annorum numero, sed ex educationis circumstantiis dijudicandum. Miseranda est sors liberorum, qui ob pravam educationem ignorantia eorum laborant, quæ per ætatem nosse poterant.

§. 675.

Quamdiu liberi ignorant, quomodo actiones suas juxta naturæ legem determinare debeant; actiones eorum sunt in dominio parentum. Etenim quamdiu liberi ignorant, quomodo actiones suas juxta naturæ legem determinare debeant, parentibus competit jus eas determinandi, & liberi actiones suas ad voluntatem parentum componere tenentur (§. 660.). Actiones igitur liberorum spectantur tanquam res, de quibus jure sibi proprio parentes disponere possunt pro lubitu suo. Quamobrem cum res, de quibus quis jure sibi proprio disponere potest pro lubitu suo, sint in dominio ipsius (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); actiones liberorum sunt in dominio parentum, quamdiu liberi ignorant, quomodo eas juxta naturæ legem determinare debeant.

Quatenus jus parentum in liberos assimiletur dominio.

Vidimus in superioribus (*not.* §. 664.), veteres constituisse liberos in dominio parentum, quod facile caperent, ipsos de actionibus liberorum pro lubitu suo disponere posse, quemadmodum disponunt de actionibus jumentorum, quæ sunt in dominio ipsorum. Non abs re itaque fuit ostendere, quatenus jus parentum in liberos, quod imperium esse demonstravimus (§. 662.), assimiletur dominio, ne id ultra limites in præjudicium veritatis extendatur. Etsi autem actiones liberorum sint in dominio parentum, non tamen contra legem naturæ eas determinare licet. Quemadmodum enim abusus dominii lege naturali in genere prohibitus (§. 170. *p.* 2. *Jur. nat.*); ita nec parentibus abuti licet dominio, in quo sunt actiones liberorum suorum, quippe cujus exercitium restringitur ad legem naturæ tanquam normam (§. 672.). Libertas in nullo actionum humanarum genere tollit obligationem naturalem (§. 159. *part.* 1. *Jur. nat.*), quamobrem nec ea tollitur quoad educationem liberorum, dum actiones eorundem subjiciuntur voluntati parentum.

§. 676.

Quoniam actiones liberorum tamdiu sunt in dominio parentum, quamdiu ipsimet ignorant, quomodo eas juxta naturæ legem determinare debeant (§. 675.), in infantia autem & pueritia usu facultatum superiorum destituuntur liberi (§. 644.), consequenter ignorant, quid fieri, aut non fieri debeat, & in adolescentia judicium ipsorum adhuc imbecille est (§. *cit.*), ut facile a vero aberret: *in infantia & pueritia actiones liberorum omnes sunt in dominio parentum, nec in adolescentia prorsus eodem*

Quo tempore actiones liberorum sint in dominio parentum.

BIU Cujas

eximuntur, sed parentes diligenter attendere debent animum ad actiones liberorum, ne quid faciant, quod rectum non est, nec a recto tramite ad avia deflectant.

Nimirum actiones duplices sunt, aut tales, quas liberi juxta voluntatem parentum jam alias sic & non aliter determinarunt aut tales, quas antea nondum patrarunt. In iis sequuntur voluntatem parentum jam antea ipsis cognitam atque perspectam, parentum vero est sedulo attendere, ne contraria ratione eadem determinent, ac degeneres fiant: in his consilio parentum adhuc opus habent, consequenter ipsis inconsultis facere non debent, quod propter judicii imbecillitatem dijudicare nondum satis valent. *Aristoteles* tempus imperfecti judicii, vel deficientis vis electricis appellat, in quo liberi nondum discernere valent ea, quæ ipsis utilia sunt, ab iis, quæ noxia sunt, consequenter nondum norunt, quodnam eligere debeant. Libertas voluntatis cum consistat in hac electione (§. 491. *Psych. empir.*), tempore isto nondum norunt libertate voluntatis uti, consequenter necesse est, ut ea regatur ab aliis, nimirum a parentibus, quibus hæc cura lege naturæ demandatur (§. 660.).

§. 677.

De potestate legislatoria parentum.

Parentes liberis ferre possunt leges. Etenim parentibus competit jus actiones liberorum determinandi, quamdiu ipsimet eadem juxta legem naturæ determinare nesciunt & liberi actiones suas ad voluntatem parentum componere tenentur (§. 660.), consequenter ipsis præscribere possunt regulas, juxta quas actiones suas determinare tenentur. Iidem vero liberos etiam obligare possunt ad actiones suas sic & non aliter determinandum (§. 669.), consequenter juxta regulas, quas iisdem præscribunt. Quamobrem cum regula, juxta quam actiones nostras determinare obligamur lex sit (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); parentes liberis ferre possunt leges.

Leges quas parentes ferunt liberis, positivæ sunt (§. 149. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Non tamen ideo excipere licet, istiusmodi legibus non esse opus, quia parentes liberorum actiones juxta legem naturæ determinare, nec eidem adversa imperare debent (§. 660. 672.). Etenim leges naturæ abeunt in leges positivas, quando ad eas obligatio positiva accedit (§. 149. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), pœnæ enim, quas parentes decernunt, vel etiam præmia, quorum spe flectunt voluntatem liberorum ad agendum legi naturæ conformiter (§. 671.), juris naturalis non sunt, cum utraque voluntate parentum definiantur.

§. 678.

Leges paternæ quænam sint.

Leges, quas parentes ferunt liberis suis, dicuntur *Leges paternæ*: quodsi patre mortuo ferantur a matre, *maternæ* quoque appellari possunt.

Leges paternas veras esse leges, ex demonstratione propositionis præcedentis liquet. Quodsi enim hoc concedere nolles, negandus foret canon Logicorum: cui competit definitio, eidem etiam competit definitum (§. 349. *Log.*), fundamentale rectæ ratiocinationis principium: quod quam sit absurdum, nemo non videt. Potestas legislatoria continetur sub imperio, quod parentes in liberos habent (§. 662.), & in societate paterna locum habet, quemadmodum in omni societate reliqua (§. 46.). In societate paterna parentes sunt superiores, liberi inferiores, ut leges parentum non minus sint jussus superioris inferiori promulgatus ipsumque obligans, quam leges civiles in civitate, quemadmodum vulgo hæ definiri solent.

§. 679.

Quonam modo leges paternæ ferri debeant.

Leges paternæ ferri debent mutuo parentum consensu. Etenim potestas patria utrique parenti communis est (§. 661.). Quamobrem cum ea sit imperium (§. 662.), consequenter jus determinandi liberas actiones liberorum pro lubitu suo (§. 194.), lex autem paterna regula est, juxta quam liberi actiones suas determinare obligantur (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 678. *h.*); leges paternæ ferri debent mutuo parentum consensu.

Na-

BIU Cujas

Naturaliter hæc ita obtinent, nisi per pactum sive expressum, sive tacitum jus quoddam potius ab uxore in maritum fuit translatum. Quodsi parentes satisfaciant officio suo, haud difficilis erit consensus, cum lex paterna naturæ legi immutabili repugnare non debeat. Sed cum non adeo facile sit in educandis liberis ex asse satisfacere officio suo; haud raro etiam imperia parentum inter se contendunt.

§. 680.

Si parentum imperia inter se contendunt, & uxor subjecta sit viro, patris imperium præferendum. Etenim si uxor subjecta sit viro, huic in illam imperium competit (§. 491.), consequenter uxor actiones suas ad voluntatem mariti componere tenetur (§. 492.), & maritus eam punire valet, si componere nolit (§. 494.). Quodsi ergo parentum imperia inter se contendant, & uxor subjecta sit viro; patris imperium utique præferendum. *Quando in casu collisionis patris imperium præferendum.*

Imperium a marito in uxorem pacto acquiri posse, supra ostendimus. Pacto autem æquivalere mores, pervulgatum est. Quando igitur uxor tenetur sequi voluntatem mariti, cui subjecta est, sequi etiam debet eandem, cum legem præscribit liberorum educationi, consequenter si imperia inter se contendant, patris imperium utique præferendum.

§. 681.

Si parentum imperia inter se contendant, naturaliter ea tenenda sunt, quæ de paritate votorum demonstrata sunt. Ostenditur eodem prorsus modo, quo idem de dissensu conjugum in rebus ad societatem conjugalem spectantibus demonstravimus (§. 482.). Immo idem inde deducitur sequentem in modum. Quoniam educatio sobolis pertinet ad societatem conjugalem (§. 270.), quando leges ferendæ sunt liberis, conjuges statuere debent de rebus ad societatem conjugalem spectantibus. Enimvero si de rebus ad societatem conjugalem spectantibus conjuges inter se dissentiunt, ea tenenda sunt, quæ de paritate votorum demonstrata sunt (§. 482.). Ergo eadem quoque tenenda sunt, si leges liberis ferendæ, consequenter si ipsis quædam imperanda, parentum vero imperia inter se contendunt. *Quid naturaliter valeat.*

Quoniam educatio sobolis non minus ad societatem conjugalem (§. 270.), quam paternam spectat (§. 633.); quæ ad educationem pertinent, tam ad societatem conjugalem, quam paternam referri possunt, diverso licet respectu. Quando conjuges deliberant de rebus ad educationem spectantibus, cum tum satisfacere velint officio conjugum, nimirum ut conjunctis viribus consulant proli suæ; deliberatio ista ad societatem conjugalem spectat. Deliberant enim qua conjuges, quorum est educare prolem: tum nimirum ipsis non est negotium cum liberis, sed negotium conjugi cum conjuge, etsi agatur de eo, quod liberos respicit.

§. 682.

Si, quando imperia parentum inter se contendunt, imperium patris præferri debeat, vel in certis rebus patris, in certis autem matris; id speciali pacto definiendum & ut pacto definiatur consultum est. Ostenditur eodem prorsus modo, quo supra ostendimus, pacto definiendum esse, cuinam votum decisivum competere debeat, si vota conjugum inter se contendant, & consultum esse, ut definiatur (§. 483.). *Quomodo imperii prævalentia acquiratur.*

Parentum jus in liberos æquale est: neque enim datur ratio naturalis, cur & quando patris vel matris imperium sit præferendum. Qui enim affirmant, ob præstantiam sexus patris imperium præferendum esse, non dicunt, quod intelligi possit, consequenter pro ratione sufficiente haberi (§. 56. *Ontol.*), cum distincta notione non explicent, in quonam præstantia sexus consistat, & quomodo inde sequatur, patris imperium semper esse præferendum. Quodsi dicas, cum lege naturali obligemur ad id, quod melius est, alteri præferendum (§. 192. *part. 1. Phil. pract. univ.*); standum esse sententiæ ejus, qui meliora imperat; facile patet, hoc modo negotium exitum habere non posse, prout supra ostendimus, vota meliora concludere non posse

BIU Cujas

se (§. 76.). Quamobrem aliunde prærogativa imperii nasci nequit, quam ex pacto, sive expresso, sive tacito. Vide, quæ supra annotavimus (*not.* §. 483.).

§. 683.

De jure non patiendi, ut fiant legi naturæ adversa.

Pater pati non tenetur, ut mater, nec mater, ut pater imperet, quæ legi naturæ manifesto repugnant, vel in educanda prole faciat, quæ eidem manifesto adversantur. Etenim parentes liberis imperare non debent, quæ juri naturæ repugnant (§. 672.), nec conjux unus naturaliter pati tenetur, quæ educationi sobolis adversantur (§. 486.). Quodsi ergo mater imperet, quæ legi naturæ manifesto repugnant, vel in educanda prole faciat, quæ eidem manifesto adversantur, hoc pati non tenetur pater, & vicissim mater pati non tenetur, ut pater tale quid imperet, vel faciat.

Esse multa, quorum repugnantia cum Jure naturæ adeo manifesta est, ut in dubium revocari non possit, nemo negaverit. In evidentibus non opus est Judice, qui dirimat sententias oppositas. Atque in hoc casu illicita imperanti aut liberis permittenti resistendum, prouti in talibus & liberi obedire recte recusant (§. 673.). Ita pater pati non debet, ut mater filiæ permittat scortationem, vel consuetudinem cum juvenibus, quæ stupro facile occasionem dat: nec mater pati ex adverso debet, ut pater quæstus causa filiam prostituat, vel filium ad defraudandum alios aut conviciandum seducat, aut ebrietatem & otium filii ferat. Quamvis itaque ita fuerit conventum, ut educationi filiarum præsit mater, educationi autem filiorum pater; hoc tamen non obstante pater attendere debet, num mater, & mater vicissim, num pater officio suo rite fungatur: obligatio enim naturalis, quæ tenet utrumque parentem (§. 263.), ob immutabilitatem suam ac indispensabilem necessitatem (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) non permittit, ut pater omnem curam educationis filiarum, aut mater omnem curam educationis filiorum prorsus abjiciat.

§. 684.

Quando parentes liberos ob inobedientiam punire nequeant.

Parentibus illicita imperantibus jus non est puniendi liberos, si obedire noluerint. Etenim parentes liberis imperare non debent, quæ juri naturæ repugnant (§. 672.), & eidem adversa imperantibus liberi obedire non tenentur (§. 673.). Quamobrem cum metu pœnarum obligandi sint liberi ad obedientiam non abjiciendam (§. 671.), lex autem naturæ non det jus nisi ad ea, sine quibus obligationi naturali satisfieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.* & §. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*); parentibus illicita imperantibus jus non est puniendi liberos, si obedire noluerint.

Malum, quo liberi afficiuntur a parentibus illicita imperantibus ob inobedientiam, proprie loquendo pœna non est, sed vi illicitæ attribuendum: Quamobrem parentes in hoc casu duplici modo peccant, nimirum primo, quod illicita imperent, deinde quod liberos punire audeant, quod obligationi suæ satisfaciant.

§. 685.

Pœna capitales & crudeles quænam sint.

Pœnæ capitales dicuntur, quibus vita adimitur: *crudeles*, appellantur, quibus damnum datur corpori aut sanitati, vel cruciatu horrendo afficitur corpus.

Pœnæ crudeles ex accidente fieri possunt capitales, quatenus nimio cruciatu perire quis potest, vel ex damno corpori dato sequitur morbus funestus.

§. 686.

An eidem parentibus permissa.

Parentibus permissum non est liberos pœna capitali afficere, vel pœnis crudelibus. Etenim parentes metu pœnarum obligare debent liberos ad inobedientiam vitandam & obedientiam non abjiciendam (§. 671.), consequenter non alio fine puniuntur, quam ut in posterum non denuo faciant, quod fecerant, vel ut posthac faciant, quod non

BIU Cujas

non fecerant (§. 205.). Quoniam igitur pœna capitalis, qua liberis vita adimitur (§. 685.), effectum hunc habere nequit, quod per se patet; nec parentibus permissum esse potest pœna capitali afficere liberos. *Quod erat unum.*

Enimvero parentum est conservare sanitatem & integritatem omnium membrorum corporis liberorum (§. 639.). Quamobrem pœnæ, quibus ad obedientiam præstandam obligari debent (§. 671.), extendi nequeunt ad damnum corpori aut sanitati liberorum inferendum. Et quoniam in puniendo modum excedere non licet (§. 1066. *p.* 1. *Jur. nat.*), consequenter pœnæ graviori locus non est, ubi levior sufficiebat (§. *cit.*), experientia autem constat, ut liberi obligentur ad obedientiam non abjiciendam & inobedientiam vitandam, horrendis non opus esse cruciatibus, sed sufficere dolores moderatos, præsertim nisi culpa parentum mores ipsorum fuerint corrupti: nec parentibus licet pœnas, quibus liberos afficiunt, ad horrendos cruciatus extendere. Quoniam itaque pœnæ crudeles sunt, quibus damnum datur corpori, aut sanitati, vel cruciatu horrendo afficitur corpus (§. 685.); nec parentibus permissum est pœnis crudelibus afficere liberos. *Quod erat alterum.*

Pœnæ liberorum emendatrices sunt, consequenter non ad perdendum liberos tendunt. Quodsi tempestive adhibeantur, antequam liberi reddantur inobedientes; leniores plerumque sufficiunt, præsertim si ad veram boni ac mali cognitionem perducantur, quamprimum usus rationis sese exerit. Absurdum est sævire in liberos, quos negligentia & indulgentia tua corrupisti. Immo si liberi nimis duriter tractentur, crudelitas magis nocet, quam prodest. Sufficit jam provocare ad experientiam. Accuratius vero talia discutienda sunt in philosophia morali. Quoniam vero pœnæ leniores sufficiunt ad educationem liberorum, ideo vulgo *castigationes paternæ* appellari solent, ut a pœnis civilibus ipso nomine separentur, quibus in civitate animadvertitur in maleficos.

§. 687.

De pœnæ remissione.

Si emendationis spes sit absque pœnæ executione, ea remittenda. Pœna enim non alio fine infligitur, quam emendationis causa, ne scilicet qui fuerant inobedientes posthac obedientiam denuo abjiciant (§. 671.). Quoniam voluntas non potest cogi (§. 927. *Psych. empir.*), quando pœna infligitur, nonnisi emendationis spes concipi potest (§. 799. *Psych. empir.*). Quodsi igitur emendationis spes jam adsit absque pœnæ executione, non opus est, ut, qui puniri poterat licite, vel debebat, actu puniatur, consequenter cum pœna remittatur, quando non punitur, qui licite puniri poterat (§. 1089. *part.* 1. *Jur. nat.*), pœna remittenda.

Spes emendationis nunquam adeo certa esse potest, ut fallere nequeat, & quæ aliunde concipitur haud raro major est, quam quæ a pœna inflicta derivatur. Immo remissio pœnæ subinde plus prodest, quam pœnæ executio. Sed hæc ad prudentiam in educatione adhibendam pertinent, in quam inquirendam in Philosophia morali. In Jure naturæ docetur, quid sit licitum; quomodo vero jure recte utendum, in Philosophia morali doceri debet.

§. 688.

De pœnæ mitigatione.

Quoniam pœnæ mitigatio æquipollet remissioni partis ejusdem (§. 1099. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac ideo rationes pœnam mitigandi eædem sunt, quæ pœnam remittnndi (§. 1100. *part.* 1. *Jur. nat.*), pœna autem remittenda, si emendationis spes sit absque pœnæ executione (§. 687.); *pœna etiam mitiganda*, consequenter *leviori, quam quæ decreta fuerat, locus fieri debet* (§. 1090. *part.* 1. *Jur. nat.*), *si spes emendationis ex pœna leviori inflicta, addita comminatione majoris, concipi potest.*

Praxis in pœna mitiganda subest prudentiæ, quam modo diximus (*not.* §. 687.). Imprudentia plurimum nocet in educatione, immo subinde magis nocet, quam negligentia.

§. 689.

BIU Cujas

§. 689.

De scientia boni & mali liberis instillanda.

Quamprimum liberi ad usum rationis perveniunt, parentes iisdem scientiam boni & mali legumque naturalium, quantum sufficit, instillare debent, eosque perducere ad eam cognitionem, quæ ad bona vera ab apparentibus, mala item vera ab apparentibus discernenda sufficit. Parentes enim operam dare debent, ut liberi consequantur omnes virtutes morales (§. 655.), consequenter voluntatem constantem & perpetuam non committendi actiones, nisi quæ legi naturæ conformes sunt (§. 328. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) & quidem ob earundem bonitatem intrinsecam, quemadmodum ex adverso nolluntatem constantem ac perpetuam non committendi actiones legi naturæ difformes ob earundem malitiam intrinsecam (§. 336. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque metu pœnarum ac spe præmii positivi voluntas non emendatur, sed tantummodo actio externa legi naturæ conformis efficitur (§. 347. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec recta actio est, qualem lex naturæ exigit (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); quæ metu pœnarum extorquetur, vel spe præmii tantummodo elicitur (§. 349. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), necesse omnino est, ut parentes, quamprimum liberi ad usum rationis perveniunt, iisdem scientiam boni & mali legumque naturalium, quantum sufficit, instillent eosque perducant ad eam cognitionem, quæ ad bona vera ab apparentibus, mala itidem vera ab apparentibus discernenda sufficit, ne scilicet tanquam bonum appetant, quod malum, aut tanquam malum aversentur quod bonum est (§. 894. *Psych. empir.*).

Emendatio voluntatis liberorum parentibus quam maxime curæ esse debet. Ut voluntas emendetur, antequam ad usum rationis perveniant, prorsus impossibile est. Quamdiu igitur is abest, nonnisi præcaveri potest, ne appetitus sensitivus liberorum exorbitet, & ne consuetudinem male agendi contrahant, ac curandum, ut potius consuetudinem bene agendi contrahant, atque ideo posthac virtus sese ipsis facilius commendet, ac odium vitiorum inspirari queat. Huc vero requiritur, ut non modo norint, quid bonum sit, quid malum, verum etiam ut intelligant, cur bonum, vel malum sit, consequenter ut ipsis manifesta sit ratio, cur quid revera bonum sit, aliud vero nonnisi speciem boni præ se ferat, & cur quid revera malum sit, aliud vero nonnisi speciem mali præ se ferat. Diximus supra (*nor.* §. 652.), principium rationis sufficientis a teneris unguiculis liberis inculcandum. Id maxime observandum est quoad ea, quæ imperantur, rationem ipsis indicando, cur hoc sit malum, ac ideo omittendum, & cur istud sit bonum, ac propterea committendum: alias sane fieri nequit, ut peccare oderint virtutis amore, atque odio vitii, & cum gaudio faciant, quod legi naturæ convenit, consequenter virtutis est, sicque revera efficiantur virtuosi (§. 348. 368. *part.* 1. *Phil. pract. univers.*). Tristia exempla quotidie loquuntur, quantum a scopo aberrent, qui pœnarum metu ac præmiorum spe adolescentes ad virtutem perducere student, aut cœca obedientia consuetudinem bene agendi introducunt, quam perperam cum virtute confundunt.

§. 690.

De exemplis parentum.

Parentes obligantur liberis exempla bona præbere, mala autem non prodere. Etenim aliis exempla bona præbere, mala autem non prodere obligamur (§. 930. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum parentes liberos ad virtutes intellectuales ac morales perducere debeant (§. 655.), exemplis autem bonis eædem doceantur & alii ad easdem incitentur, pravis contra alii doceantur vitia & ad eadem incitentur (§. 929. *part.* 1. *Jur. nat.*); parentes multo magis obligantur liberis exempla bona præbere, mala autem non prodere.

Ostenditur quoque hoc modo. Constat pueros, hoc est liberos, quamdiu usu rationis destituuntur, seu ipsimet bonum a malo discernere nondum valent, imitari alios, consequenter ea facere, quæ facere vident alios (§. 204. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum parentes liberos ad virtutes morales perducere debeant (§. 605.), consequenter curæ habere, ut iidem actiones suas ad legem naturæ componant; necesse omnino est, ut ipsorum quoque actiones, quas vident liberi, sint legi naturæ con-

BIU Cujas

conformes, minime autem eidem contrariæ. Exempla igitur bona liberis suis præbere, mala vero non prodere obligantur (§. 929. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Duplex parentum obligatio est ad exempla bona liberis præbenda, mala vero non prodenda, altera universalis, quæ omnes homines tenet, altera particularis, quæ parentum propria. Illa fluit ex obligatione generali aliorum animam, quantum datur, perficiendi, & omnem imperfectionem ab eadem arcendi (§. 609. *p.* 1. *Jur. nat.*); hæc vero ex obligatione particulari sobolem suam educandi (§. 255. 263.). Quoniam utraque immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), particularis universalem non tollit, sed fortiorem efficit. Ac ideo mali exempli parentum turpitudo intrinseca major est, quam mali exempli aliorum.

§. 691.

Quoniam parentes obligantur liberis exempla bona præbere, mala autem non prodere (§. 690.), ex obligatione autem, qua parentes liberis devincti sunt, iisdem nascitur jus aliquod (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), vi tamen libertatis naturalis conscientiæ parentum relinquendum, quid faciant (§. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*), liberi vero obligantur ad exemplum malum parentum non sequendum (§. 931. *part.* 1. *Jur. nat.*); *liberis naturaliter competit jus a parentibus postulandi, ne ipsis exemplum malum, sed bonum præbeant.* *De jure liberorum respectu illorum.*

Vide, quæ alias annotavimus (*not.* §. 923. *p.* 1. *Jur. natur.*), cum hoc jus in genere unicuique homini competens demonstraremus (§. *cit.*). Facile patet, quamdiu liberi bonum a malo discernere nequeunt, ipsos jure hoc suo uti non posse. Non tamen propterea inutile censeri debet, quoniam alii a parentibus postulare possunt, ut liberis suis præbeant exempla mala, sed ut præbeant bona, prout ex sequentibus patebit.

§. 692.

Quoniam liberis competit jus postulandi a parentibus, ut exempla ipsis bona præbeant, non mala (§. 691.), parentes vero jus hoc suum liberis non tribuunt, si mala præbeant, vel bona præbere negligant (§. 921. *part.* 1. *Jur. nat.*, & injustus est, qui alteri jus suum non tribuit (§. 926. *part.* 1. *Jur. nat.*); *si parentes liberis exempla mala præbeant, vel bona præbere negligant, erga liberos suos injusti sunt.* *An mala parentum exempla sint ad injustitiam referenda.*

Repugnat nimirum justitiæ universali (§ 934. *part.* 1. *Jur. natur.*), quæ lege naturali præcepta (§. 935. *part.* 1. *Jur. nat.*). Patet hinc effectus juris liberis competentis quoad exemplum parentum (§. 691.), etiamsi ipsimet nondum intelligant, quod sibi competat hoc jus, nec ipsis imputari possit, quod exemplis malis parentum sese addant. Ceterum ex hoc jure etiam descendunt justæ liberorum querelæ, quando ad maturitatem judicii pervenerunt & damnum sibi exemplis istis datum sentiunt.

§. 693.

Quilibet sibi maxime cavere debet, ne pueris atque adolescentibus mala præbeat exempla. In genere enim obligamur nemini exemplum malum præbere (§. 930. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac neminem ad vitia quomodocunque seducere (§. 711. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum puerorum sit imitari alios, consequenter actionem suam ad alterius actionem conformare (§. 204. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); adolescentes autem, quorum adhuc imbecille est judicium (§. 644.), exemplis malis facillime se addant, quilibet sibi maxime cavere debet, ne pueris atque adolescentibus mala præbeat exempla. *De exemplo malo pueris & adolescentibus non prodendo.*

Turpitudo actionis utique æstimanda est ex nocumento, quod affert. Quo major vero est actionis turpitudo, eo major quoque est naturalis ad eam non committendam obligatio, quippe cujus omittendæ motivum desumitur a turpitudine ejus intrinseca. Exempla mala nemini magis nocent, quam pueris: male enim agendi consuetudo degenerat quasi in naturam, difficillime posthac, immo prorsus non eradicanda. Pueris autem imputari nequit, quod alios imitando con-

BIU Cujas

consuetudinem istam contrahant. Eadem fere sors est etiam adolescentum, quorum appetitus sensitivus tanto facilius prævalet adversus rationalem, quo magis propendet in actionem, quam exempla aliorum tuentur. Etsi itaque meliora edocti ætate adultiore videant meliora probentque, deteriora tamen sequuntur.

§. 694.

De jure puerorum, & adolescentum quoad exempla.

Pueris inprimis atque adolescentibus competit jus postulandi, ne quis ipsis mala exempla præbeat. Homini unicuique competit jus postulandi, ne alter ipsi exemplum malum præbeat (§. 933. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum pueri, qui usu facultatum superiorum adhuc destituuntur (§. 644.), sibi cavere non possint, ne exempla mala sequantur, adolescentes vero, quorum adhuc imbecille est judicium (§. *cit.*), exemplis malis facile sese addant, consequenter utrique ad vitia facillime seducantur; pueris inprimis atque adolescentibus competit jus postulandi, ne quis mala ipsis præbeat exempla.

Lex naturæ hoc jure maxime tuetur pueros atque adolescentes adversus seductionem, quæ non majores vires aliunde acquirit, quam ab exemplis. Ipsa igitur hoc jus urget adversus eos, quorum animus in malas propendet actiones, etsi pueri atque adolescentes de eodem non cogitent, nec perpendere valeant, quantum ipsis nocumentum afferant exempla mala.

§. 695.

De injuria in pueros & adolescentes per exempla commissa.

Quoniam pueris inprimis atque adolescentibus competit jus postulandi, ne quis ipsis mala præbeat exempla (§. 694.), consequenter qui hoc faciunt, jus ipsorum, quod perfectum est (*not.* §. 933. *part.* 1. *Jur. nat.*), violant, violatio autem juris perfecti alterius injuria est (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*); *qui pueris atque adolescentibus mala exempla præbent, in eos maxime injurii sunt.*

Non magis læduntur pueri atque adolescentes, quam si exemplis malis ad vitia seducantur. Vulgo læsio ista vix agnoscitur, certe non tanta videtur, quanta est, quasi animum lædere minus sit, quam corpus. Vitia morbi animi sunt, qui difficillime curantur, cumque hominem reddant infelicem (§. 406. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec vitio deditus felix esse possit (§. 493. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), qui felicitatem rite ponderare novit, facile intelliget, quantum lædatur, si ab alio ad vitia seducitur.

§. 696.

De seductione liberorum præcavenda.

Parentes præcavere debent, ne liberi ab aliis ad vitia seducantur. Etenim parentes operam dare debent, ut liberi consequantur virtutes omnes morales (§. 655.), consequenter cum virtus & vitia sibi mutuo opponantur (§. 321. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), parentes quoque præcavere debent, ne animus liberorum vitiis imbuatur (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Præcavere igitur etiam debent, ne liberi ab aliis ad vitia seducantur.

Virtus non acquiritur nisi continuo committendo actiones legi naturæ conformes (§. 323. 321. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*), & eodem modo conservatur ac perficitur (§. 324. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo alii seducant liberos ad facienda, quæ legi naturæ repugnant; fieri non potest, ut iidem virtutem acquirant, etsi parentes iisdem non præcipiant, nisi quæ legi naturæ conveniunt, ac ea prohibeant, quæ eidem adversantur. Omni igitur animi sollicitudine præcavere tenentur parentes, ne suasu vel exemplo aliorum adducantur ad actiones committendas, quæ legi naturæ repugnant, vel omittendas, quæ eadem præcipiuntur.

§. 697.

BIU Cujas

§. 697.

Quoniam parentes præcavere debent, ne liberi ab aliis ad vitia seducantur (§. 696.), mores autem bonos inficit ac corrumpit consuetudo cum hominibus improbis, aut male moratis, quod a posteriori notum sumitur; *parentes permittere non debent consuetudinem liberorum cum hominibus improbis, aut male moratis.* *De consuetudine cum improbis non permittenda liberis.*

Haud postrema cura parentum est, probe perpendere, cuinam liberi se faciant sodales, nisi in formando animo eorum inanem operam sumere ac educationem molestam sibi facere velint. Pueri enim ac adolescentes non modo prompte sequuntur exempla eorum, quibus familiariter utuntur, verum etiam dicto eorundem audientes sunt. Pravum itaque sodalitium corrumpit ipsorum mores tanto facilius, quanto magis fieri non potest, ut ipsi bonum a malo separent, & quodnam nocumentum hoc ipsis afferat, intelligant.

§. 698.

Optimus modus obligandi liberos est exemplum parentum. Quoniam enim pueri usu facultatum superiorum destituti & adolescentes imbecilli adhuc judicio utentes (§. 644.) cœco impetu imitantur alios (§. 208. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), qui vero alios cœco impetu imitantur, iis exemplum aliorum præbet motivum agendi (§. 284. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*); exemplum parentum pueris atque adolescentibus motivum agendi præbet. Quoniam itaque parentes liberos suos obligant ad actiones committendas, dum motivum agendi ipsis præbent (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ad sequendum vero parentum exemplum pueri atque liberi jam proni sunt, *per demonstrata*; non melior concipi potest modus obligandi liberos exemplo parentum, consequenter hic optimus eos obligandi modus est. *De modo optimo obligandi liberos.*

Non est, quod excipias, optimos parentes pessimos haud raro habere liberos: præterquam enim quod nulla excogitari possit obligatio, quæ nunquam vi sua destituatur, sed semper efficax sit, multæ sunt rationes, cur parentes etiam optimi diligentiam suam in educatione liberorum desiderari patiantur, ut liberi ipsorum negligentia, incuria, indulgentia corrumpantur. Non sufficit bonum præbere exemplum, sed cetera quoque observanda sunt, quæ ad educationem requiruntur. Inprimis ea negligenda non sunt, quibus liberi permoventur, ut exemplum parentum lubenter sequantur, & præcavendum, ne malis potius aliorum exemplis sese addant. Talia vero curatius expendenda in philosophia morali. Qui novit, quanta sit vis exemplorum, quam prolixe evicimus alibi (§. 258. & seqq. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), immo experientia didicit, quid tribuant homines exemplis; is facile largietur, liberos, in prima præsertim ætate, in qua empirici sunt in agendo, non facilius obligari ad actiones suas ad legem naturæ componendas, quam exemplo parentum. Quodsi deinceps præcaveatur, ne exempla sodalium, aut aliorum, cum quibus agunt, mores eorum inficiant; sed potius curæ sit, ut aliorum exempla conformia ad exempla parentum accedant, obligatio ista effectu suo minime destituetur, cum ex adverso exempla prava vim detrahant obligationi, quæ pœnarum metu introducitur.

§. 699.

Parentibus curæ esse debet, ut liberi mature pietatem consequantur. Etenim pietas studium virtutis facilitat & virtutem acquisitam conservat (§. 344. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum parentes operam dare debeant, ut liberi consequantur omnes virtutes morales (§. 655.); ipsis quoque curæ esse debet, ut mature pietatem consequantur. *De pietate.*

Ad virtutes quoque referenda est pietas, quæ officia omnia erga Deum complectitur, & in qua cultus divinus internus consistit. Quamobrem si parentibus opera danda, ut liberi omnes consequantur virtutes morales, eo ipso quoque obligantur liberos docere pietatem. Enimvero quia pietas mirifice prodest ad virtutes ceteras consequendas & conservandas; ideo necesse est, ut liberis mature pietas instilletur, & ut cum studio cujusvis virtutis conjungatur.

BIU Cujas

§. 700.

De agnitione Dei.

Quoniam parentibus curæ esse debet, ut liberi mature pietatem consequantur (§. 699.), consequenter actiones suas omnes determinent per motiva ab attributis divinis desumta (§. 339. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), præsertim a voluntate Dei, (§. 341. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), per se autem patet, hoc fieri non posse, nisi Deum agnoscant, hoc est, nisi norint, existere Deum & quænam sint ejus attributa; *parentibus* quoque *curæ esse debet, ut liberis mature agnitionem Dei instillent.*

Docendi nimirum sunt, Deum esse mundi hujus autorem & ipsum velle, ut actiones nostras sic & non aliter determinemus, quemadmodum præscribunt parentes. Ita nimirum agnitio Dei acquiritur una cum virtute, ut pietas cum eadem indivulso nexu cohæreat, dum pro diversitate actionum, quas committere jubentur, vel prohibentur, diversa Numinis attributa ipsis inculcantur. Instituti præsentis non est, ut de singulis officiis erga Deum sigillatim hic dicamus: cui enim ea perspecta sunt, is facile videbit, quomodo commode liberi ad ea præstanda adducantur, præsertim ubi in philosophia morali docuerimus, quænam de praxi quoad singula observanda sint.

§. 701.

De falsiloquio pueris & adolescentibus nunquam permittendo.

Pueris atque adolescentibus permittendum non est, ut moraliter falsum loquantur. Quoniam enim pueri ob defectum judicii, adolescentes ob imbecillitatem ejusdem falsiloquium licitum ab illicito discernere nequeunt (§. 644.); moraliter falsum loqui adsuescunt, quando alteri animi sui sensa indicare obligantur, consequenter mendaces fiunt (§. 182. *part.* 3. *Jur. nat.*), si ipsis moraliter falsum loqui permittatur, quando licet. Quamobrem cum mendacium vitium sit (§. 182. 183. *part.* 3. *Jur. nat.*), veracitati tanquam virtuti oppositum (§. 181. *part.* 3. *Jur. nat.*), parentes vero operam dare debent, ut liberi virtutes consequantur (§. 655.), consequenter vitia fugiant; pueris quoque atque adolescentibus permittendum non est, ut moraliter falsum loquantur.

Lege positiva ex naturaliter licito effici potest illicitum. Quamobrem cum parentes liberis suis leges ferre possint (§. 677.); omne quoque falsiloquium promiscue iisdem prohibere possunt, immo debent, ne veracitati obicem ponant, ad quam liberi sunt perducendi. Nocuum admodum vitium est mendacium, sicuti ex adverso veracitas hominem aliis mirifice commendat. Parentibus itaque quam maxime curæ esse debet, ne occasionem præbeant mendaciis.

§. 702.

De taciturnitate liberorum observanda.

Pueris atque adolescentibus permittendum non est, ut narrent de aliis, quæ vel viderunt, vel ab iis narrari audiverunt. Etenim cum pueri propter defectum judicii, adolescentes ob imbecillitatem ejusdem discernere nequeant, quandonam veritas sit reticenda (§. 644.); si ipsis permittatur, ut narrent de aliis, quæ vel viderunt, vel ab iis narrari audiverunt, facile contingit ut dicant, quæ reticere debebant, consequenter ut taciturni non fiant (§. 258. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum taciturnitas virtus sit (§. *cit.*), parentes vero operam dare debeant, ut liberi virtutes consequantur (§. 655.); pueris quoque & adolescentibus permittere non debent, ut narrent de aliis, quæ vel viderunt, vel ab iis narrari audiverunt.

Eadem hic tenenda sunt, quæ modo ad propositionem præcedentem annotavimus (*not.* §. 701.). Taciturnitas virtus est, quæ omni homini maxime necessaria: ejus ex adverso defectus magnum subinde, immo maximum haud raro nocumentum affert. Parentibus itaque quam maxime curæ esse debet, ne quid permittant liberis, quod virtuti isti obicem ponat. Severe igitur liberis interdicere debent, ne ea dicant, quæ reticenda sunt, in casibus particularibus; in genere autem prohibere, ne quicquam dicant de aliis, quod vel viderunt, vel ab iis dictum audi-

BIU Cujas

audiverunt. Crescente judicio, successive magis magisque restringenda prohibitio, donec tandem discernere valeant, quænam dicere liceat, quænam reticenda sint. Multa hic & in casu propositionis præcedentis cautione opus est, de qua dicendum in philosophia morali.

§. 703.

De recte pecuniæ usu.

Mature parentes docere debent liberos, quomodo pecunia recte uti debeant. Qui enim pecunia recte uti non didicerunt, vel plures & majores faciunt pro facultate patrimonii sui expensas, quam quas officia erga se, vel alios exigunt, ac ostentationis solius causa pecuniam profundunt, vel ex adverso pauciores ac minores faciunt pro facultate patrimonii sui expensas, quam quas officia erga se, vel alios exigunt, consequenter vel prodigi fiunt ac luxu diffluunt (§. 385. 387. *part.* 4. *Jur. nat.*), vel tenaces evadunt (§. 391. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum prodigalitas & luxus sint vitia valde nocua, quæ ad paupertatem, egestatem, immo mendicitatem vel ditissimos redigunt (§. 238. *part.* 4. *Jur. nat.*), & tenacitas officiis erga se & alios multum detrahat (§. 391. *part.* 4. *Jur. nat.*); parentum omnino est sedulo præcavere, ne vitiis istis obnoxii fiant liberi, consequenter eos mature docere debent, quomodo pecunia recte uti debeant.

Prodigalitatis tristia commemorare poteramus exempla, nisi talia satis obvia essent, nec quisquam esset, qui dubitet, prodigalitatem maxime nocuam esse. Luxus hodie adeo invaluit, ut, quænam damna det, indies experiri liceat. Nemo igitur sanus negare audebit, haud postremam parentum curam esse debere, ne liberorum animus vitiis istis inficiatur. Præstat omnino liberos adsuefacere ad recte utendum pecunia, quam multas corradere opes, quibus recte uti nesciunt. Quomodo autem hoc fieri debeat, in philosophia morali docendum. Vulgo hæc cura prorsus abjicitur; sed quantum noceatur liberis, quod abjiciatur, experientia abunde loquitur.

§. 704.

De nummis in futurum usum servandis.

Quoniam parentes mature docere debent liberos, quomodo pecunia recte uti debeant (§. 703.), ad rectum vero pecuniæ usum requiritur, ut quædam servetur in futuros usus; *parentes liberos quoque adsuefacere debent, ut nummos quosdam, quos ab ipsis accipiunt, non erogent, sed in futuros usus asservent.*

Quantæ utilitatis sit, ut homines mature cogitent de nummis in futurum usum servandis, nemo facile negaverit, qui ad casus humanos animum advertit.

§. 705.

Quibusnam officiis mature assuefaciendi liberi.

Parentes inprimis operam dare solent, ut a prima statim ætate liberos assuefaciant officiis isto vitiorum generi oppositis, in quæ vulgo homines maxime proni esse solent. Quæ enim in prima statim ætate nobis inculcantur, ea nobis quasi connata videntur & in naturam degenerant, ita ut non absque repugnantia quadam interna contrario assentiamur vel contrarium faciamus: quod a posteriori satis notum atque exploratum sumimus. Quamobrem patet, si quibusdam officiis mature assuefacti fuerint liberi, eos facilius resistere vitiis, quæ iisdem contrariantur, nec ab iis tam facile deflectere posse. Quoniam vero parentibus, qui operam dare debent, ut liberi omnes consequantur virtutes (§. 655.), inprimis curæ esse debet, ut muniantur contra vitia, in quæ vulgo homines maxime proni esse solent; iidem omnino operam dare debent, ut mature, seu a prima statim ætate liberos assuefaciant officiis isto vitiorum generi oppositis, in quæ vulgo homines maxime proni esse solent.

Quo majus est periculum, eo major quoque esse debet cura periculum avertendi. Nemo igitur, qui non per præcipitantiam judicat, in dubium revocare poterit propositionem præsentem. Quamdiu liberi rationis usu destituuntur, nonnisi consuetudinem agendi contrahere valent. Atque ideo parentes aliud agere nequeunt quam ut liberi committant actus externos legi naturæ conformes & omittant eidem contrarios. Nulla igitur est excusatio, liberos nondum esse æta-

BIU Cujas

ætate ea, ut talia discernere possint, consequenter iis facile condonanda esse ea, quibus sibi non nocent, quasi vero vitio cuique assuefieri, ut posthac difficulter, aut prorsus non eradicetur, non sit nocere sibi & nocumentum tantummodo æstimandum sit ex eo, quod corporis saluti aut utilitati futuræ e diametro adversatur.

§. 706.

De honorandis aliis.

Quoniam parentes operam dare debent, ut a prima statim ætate liberos adsuefaciant officiis isto vitiorum generi oppositis, in quæ homines vulgo maxime proni esse solent (§. 705.), constat vero eos maxime pronos esse ad alios contemnendum, conviciandum & aliorum laudi, existimationi atque honori detrahendum; *parentes operam dare debent, ut liberos a prima statim ætate assuefaciant aliis honorandis, & quantum per eam datur, existimandis ac laudandis, nequaquam vero ferre, ut alios contemnant, vituperent, convicientur, aut eorum laudi, existimationi atque honori detrahant.*

Plurima omnino sunt, quæ circa praxin prudentiæ parentum relinquenda. Neque enim ætati omni conveniunt omnia, prouti facile perspiciet, qui definitiones eorum, quorum mentio fit in corrollario præsenti, in parte prima Juris naturæ evolvit, ex quorum collatione simul patebit existimationi, honori ac laudi contrarii contemtum, vituperium convicium, & morem aliorum laudi, existimationi ac honori detrahendi.

§. 707.

Quarumnam imitationi ac fugæ liberi mature assuefaciendi.

Ex eadem ratione *mature assuefieri debent liberi imitationi eorum, quæ laudem merentur in aliis & fugæ illorum, quæ dedecori sunt aliis, utque ex alieno casu sapere discant.*

Mature nimirum discere tenentur liberi, esse in aliis, quæ imitanda, esse etiam, quæ vitanda. Cum vero per se ea a se invicem discernere nequeant liberi, immo nec semper adolescentes, a parentibus docendi, quænam imitari, quænam vitare debeant, addita ratione, cur alia imitanda, alia vitanda, quamprimum per ætatem eam capere possunt (§. 652.). Ubi philosophia moralis fuerit pertractata eodem modo, quo hactenus usi sumus, abunde constabit ex motivorum doctrina, quænam sint ea, per quæ commendari debeant imitanda, & dissuaderi vitanda.

§. 708.

De indicandis iis, ex quo alii æstimandi.

Ex eadem ratione *liberis mature indicanda sunt ea, ex quibus alios æstimare debemus, & ad quæ in quolibet homine animum attendere debeant.*

Loquimur hic de personis singularibus, quæcunque tandem fuerint, & quocunque demum casu nobis obviæ fuerint. Quantæ utilitatis sit, ut ad quælibet corporis ac animi bona, quæ dantur in aliis, animum advertamus, unusquisque in seipso experietur, qui huic attentioni animum assuefacere voluerit, suo autem loco distertius explicandum.

§. 709.

De officiis liberorum erga parentes inculcandis.

Parentes liberos a prima statim ætate assuefacere debent officiis, quæ ipsis debentur. Etenim liberi per se non norunt, quænam officia parentibus debeant: id quod per se patet. Enimvero parentes liberos educare (§. 263.), consequenter ex sese aptos efficere debent ad vitam hominis vivendum (§. 255.), ac ideo officiis quoque erga parentes satisfaciendum (§. 226. 225. *part.* 1. & §. 718. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Ergo etiam eos a prima statim ætate assuefacere debent officiis, quæ ipsis debentur.

Ostenditur etiam hoc modo. Quamdiu liberi ignorant, quid facere debeant, quid non facere, parentes illa jubere, seu prohibere debent (§. 659.). Quamobrem cum liberi per se non norint, quænam officia parentibus debeant; parentes a prima statim ætate eos assuefacere debent officiis, quæ ipsis debentur.

Quam-

BIU Cujas

Quamdiu liberi ignorant, quomodo actiones suas juxta naturæ legem determinare debeant, actiones eorum sunt in dominio parentum (§. 675.). In eodem igitur etiam esse debent actiones pertinentes ad officia, quæ parentibus debentur. Quando igitur liberis ea præcipiunt, quæ officiis conveniunt, prohibent, quæ repugnant; nil faciunt, quod ipsos dedeceat. Sane ipse Deus præcipit, ut homines ea sibi præstent officia, quæ ipsi debentur, & prohibet, ne faciant iisdem contraria (§. 918. 900. *part.* 1. *Theol. nat.*). Parentes itaque officia liberorum, quæ ipsis debentur, urgentes Deum imitantur. Maxime quoque necessarium est, ut officiis hisce a primis statim unguiculis assuefiant liberi, ac omni rigore eadem urgeantur, cum in iis maximum præsidium educationi universæ positum sit. Vix majus impedimentum educationi liberorum concipi potest, quam neglectus officiorum erga parentes. Quamobrem cum parentes liberos educare debeant (§. 263.), exinde quoque ipsis non modo jus nascitur ad urgenda officia, quæ liberi ipsis debent, verum etiam ea urgere obligantur, consequenter haud leviter peccant, si in iis exigendis fuerint negligentiores (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Natura nullam inter parentes inæqualitatem admittit, sed eos omnes æquales facit, qualiscunque tandem sit eorum alias conditio, quæ ad relationem parentum ad liberos nullum momentum affert. Debentur nimirum officia parentibus a liberis, quia parentes sunt, ac proptrea ab omnibus liberis parentibus omnibus eadem debentur. Non est, quod objicias exemplo animantium brutorum nos doceri, quod proles instinctu quodam naturali feratur ad amorem parentum. Officia enim liberorum erga parentes non sunt juris hominum ac brutorum communis, sed hominum proprii, & iis assuefieri possunt liberi, etiam ante usum rationis & interea temporis, dum eundem consequuntur, ut ideo longe dispar sit brutorum atque hominum ratio. Quodsi imaginem quandam hujus juris, de quo nobis in præsenti fermo est, in brutis conspicere volueris, animum attendere debes ad naturalem illum amorem, quo bruta persequuntur prolem suam, & qui effectum quendam amori similem in prole erga parentes excitat.

§. 710.

De felicitate liberorum promovenda.

Parentibus curæ esse debet, ut liberos suos reddant felices. Etenim liberos aptos efficere debent ad actiones suas juxta naturæ legem determinandum (§. 637.) & operam dare, ut virtutes omnes morales consequantur (§. 655.). Quamobrem cum felicitatem legis naturalis custodia consequamur (§. 396. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), eademque nonnisi custodia hujus legis conservari possit (§. 397. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), sine ea autem nemo felix esse (§. 399. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec felicitas a virtute sejungi queat (§. 400. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), vitio autem deditus felix esse nequeat (§. 403. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), vitio autem deditus felix esse nequeat (§. 403. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & legis naturæ transgressione homo infelix fiat (§. 405. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); non alio fine parentes liberos aptos efficere debent ad actiones suas juxta naturæ legem determinandum, & ad virtutem eosdem adducere, a vitiis autem avocare, quam ut fiant felices. Parentibus itaque curæ esse debet, ut liberos suos reddant felices.

Finis ultimus educationis liberorum est felicitas eorundem, qua homo in quacunque fortuna frui potest, modo inter felicem & fortunatum distinguas, quemadmodum fieri debet (§. 636. *Psych. empir.* & §. 409. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Bona fortunæ, quæ hominem fortunatum efficiunt (§. 409. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), per se non reddunt felicem (§. 410. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), etsi non repugnet, ut, qui fortunatus est, idem sit felix (§. 414. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec in potestate parentum semper est, ut liberos fortunatos efficiant, sicuti semper in potestate eos reddere felices, modo non educationi bonæ objiciantur impedimenta extrinseca, quæ removeri nequeunt. In hoc autem casu liberi non culpa parentum, sed propria infelices fiunt, quemadmodum ex philosophia morali suo tempore clarius elucescet. Ne tamen ipsis aliqua culpa tribui possit, nihil eorum omittere tenentur, quæ ad felicitatem liberorum promovendam conferre possunt. Imputent deinde sibi liberi, si dicto parentum non fuerint audientes, quemadmodum esse debebant (§. 666.), aut a virtutis tramite, in quem eos perduxere parentes, se deinceps ad avia seduci patiantur.

§. 711.

BIU Cujas

§. 711.

Qualis debeat esse appetitus sensitivus respectu liberorum.

Parentes ex felicitate liberorum voluptatem percipere debent. Quoniam enim iisdem curæ esse debet, ut liberos suos reddant felices (§. 710.); voluntas quoque ipsis esse debet constans & perpetua felicitatem liberorum promovendi (§. 1062. *part.* 1. *Theol. nat.*). Unde porro eodem prorsus modo ostenditur parentes ex felicitate liberorum voluptatem percipere debere, quo idem in genere ostendimus, quemlibet scilicet hominem ex felicitate alterius cujuscunque voluptatem percipere debere (§. 616. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Equidem amor ille naturalis quo bruta ac homines prolem suam prosequuntur (§. 259.), efficit, ut parentes ex felicitate liberorum voluptatem percipiant (§. 633. *Psych. empir.*); non tamen is sufficit, ut parentes officio huic satisfaciant ex omni parte. Patet inde perceptionem voluptatis ex felicitate liberorum primis naturæ convenire, & rationem nos eo ducere debere, quo natura ducit; plura tamen requirit lex naturæ, quam ab affectu isto expectari possunt, quem natura hominibus indidit. Rationis enim est discernere felicitatem veram ab apparente, ne liberos reddamus infelices, quos felices reddere intenderamus, vel etiam eos felices reddere negligamus ex vana persuasione, quasi felices reddere non sit in potestate nostra: id quod indies fieri observamus. Plurimæ deinde dantur rationes, ob quas naturalis iste affectus, quo parentes in felicitate liberorum feruntur, debilitatur, aut prorsus supprimitur. Id, ad quod natura feruntur, homines vi facultatum inferiorum, etsi conveniat legi naturæ, nondum tamen est id ipsum, quod lex naturæ præcipit. Urget hæc consensum appetitus rationalis, seu voluntatis cum appetitu sensitivo (§. 267. *p.* 1. *Jur. nat.*), ac ideo appetitum sensitivum rationi subjicit, quæ eundem regere debet, ne abusu, vel non usu facultatis cognoscitivæ superioris, intellectus scilicet, alio dirigatur, quam natura intendit: id quod in brutis facultatibus superioribus destitutis metuendum non est. Accedit, quod abusu & non usu facultatis cognoscitivæ superioris appetitus sensitivus in homine corrumpi queat: quod denuo in brutis metuendum non est. Hinc videas homines odio prosequi liberos, ad quos amandos ducit natura. Sed nolo addere plura, cum hæc abunde sufficiant, ut intelligamus, non superfluam atque inutilem esse obligationem naturalem ad voluptatem percipiendam ex eorum felicitate, quod natura eo ducantur. Quæ vero hic annotamus, ea quoque tenenda sunt in aliis, quæ ad prima naturæ pertinent.

§. 712.

De dilectione liberorum.

Parentes liberos suos diligere debent tanquam semetipsos. Etenim parentibus curæ esse debet, ut liberos suos reddant felices (§. 710.), consequenter sollicite sibi *caveant*, ne eos infelices reddant (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Constans igitur ipsis ac perpetua esse debet voluntas omni studio id agendi, ut liberi sint felices, ac cavendi, ne fiant infelices (§. 1062. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem cum alterum diligat, qui voluntatem constantem ac perpetuam habet omni studio id agendi, ut alter felix sit, ac cavendi, ne fiat infelix (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*); parentes liberos suos diligere debent. *Quod erat unum.*

Quod vero liberos suos diligere debeant tanquam semetipsos eodem modo porro ostenditur, quo idem in genere demonstravimus de dilectione aliorum (§. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Nullum dubium est, cum liberi nostri sint homines, nos eos perinde ac alios homines diligere debere tanquam nosmetipsos (§. 618. *p.* 1. *Jur. nat.*). Enimvero præter obligationem generalem datur adhuc specialis, qua tanquam parentes liberis devincti sumus: qua de causa etiam non applicavimus ad liberos obligationem generalem, sed specialem ex officiis parentum erga liberos deduximus.

BIU Cujas

§. 713.

Quoniam liberos non modo diligere debemus tanquam nosmetipsos qua homines (§. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*), verum etiam qua liberos (§. 712.); *in casu collisionis liberi extraneis quoad dilectionem sunt præferendi*, consequenter *liberis quoad eandem prærogativa quædam naturaliter competit* (§. 93. *part.* 1. *Jur. nat.*). *De prærogativa liberorum quoad dilectionem.*

Equidem natura homini nulli prærogativa ulla competit (§. 94. *p.* 1. *Jur. nat.*); non tamen inde inferri potest, natura liberis prærogativam nullam competere posse quoad dilectionem respectu parentum suorum. Quando enim ostenditur, homini nulli naturaliter prærogativam ullam competere, homines omnes in universum spectantur tanquam homines, consequenter non sermo est nisi de juribus universalibus (§. 13. *part.* 1. *Jur. nat.*), non autem spectantur relationes particulares, ex quibus nascuntur jura singularia (§. 14. *part.* 1. *Jur. nat.*), quale est jus prælationis liberorum, de quo nobis in præsenti sermo est. Absit itaque, ut tibi persuadeas, nos parum memores eorum, quæ alibi docuimus nobismetipsis contradicere. Quoniam duplex obligatio fortior simplici, quod per se patet; nemo non facile agnoscit, duplicem obligationem in casu collisionis jus prælationis parere in præstatione officiorum.

§. 714.

Quoniam in casu collisionis liberi quoad dilectionem extraneis a parentibus sunt præferendi (§. 713.), dilectio autem consistit in promotione felicitatis (§. 617. *p.* 1. *Jur. nat.*); *si felicitas liberorum & extraneorum inter se colliditur, felicitas liberorum felicitati extraneorum est præferenda.* *Felicitas liberorum præponenda felicitati aliorum.*

Charitas, quæ est virtus, qua diligimus alios tanquam nosmetipsos (§. 620. *p.* 1. *Jur. nat.*), consequenter felicitatem aliorum promovere studemus perinde ac propriam, quantum in potestate nostra est (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*), per se respicit omnes promiscue homines, nemine excepto absque ullo discrimine; ejus tamen exercitium speciali ratione restringitur ad liberos, ut citra injustitiam liberis præferri nequeant alii.

§. 715.

Parentes liberos amare debent tanquam seipsos. Etenim ex felicitate liberorum voluptatem percipere debent (§. 711.), quemadmodum ex propria percipiunt, quatenus per naturam suam eandem appetunt (§. 324. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quoniam igitur animus eorum dispositus esse debet ad voluptatem percipiendam ex felicitate liberorum, quemadmodum ex propria percipiunt, alterum vero is amat tanquam seipsum, cujus animus dispositus est ad voluptatem percipiendam ex alterius felicitate, qualem ex propria percipit (§. 633. *Psych. empir.*); parentes liberos amare debent tanquam seipsos. *De amore liberorum.*

Amorem, quem natura parentibus indidit (§. 259.), ratio alere ac fovere debet (§. 154. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Et dum hoc modo appetitus sensitivus ad consensum cum rationali reducitur, dilectio nascitur (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*). Hæc ubi in habitum abit, charitas gignitur (§. 620. *part.* 1. *Jur. nat.*). Natura igitur, dum amorem liberorum parentibus indit, charitati eorum eosdem commendat: huic autem commendationi locum faciunt, dum ratio actiones parentum eo dirigit, quo natura tendit. Quæ hic dicuntur, intelligenda quoque sunt de amore ac dilectione aliorum atque charitate in genere, & ad similia trahi possunt. Probe hæc notanda sunt: magnum enim momentum afferunt ad praxin moralem, quatenus rectitudo actionum, ad quam obligamur (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), requirit consensum facultatum superiorum cum inferioribus (§. 65. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & inclinationes naturales ratione eo dirigendæ, quo natura tendit. Sed talia hic nondum satis intelligi possunt, nec hic uberius explicanda.

BIU Cujas

§. 716.

De labore & otio liberorum.

Parentes liberos mature labori assuefacere debent, & ab otio avocare. Hominibus enim omnibus laborandum est (§. 514. *part.* 1. *Jur. nat.*), nemini semper, aut prorsus otiandum (§. 515. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum parentes liberos aptos efficere debeant ad actiones suas juxta naturæ legem determinandas (§. 637.), & quamdiu iidem per se officiis satisfacere nequeunt, ipsi eorum actiones determinare teneantur (§. 659.); liberos quoque mature labori assuefacere & ab otio avocare debent.

Labor hic sumitur in significatu latissimo, quem vocabulo imposuimus (§. 512. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ad laborem igitur liberorum etiam refertur diligentia in addiscendis iis collocata, quæ ipsis discenda sunt. Ratio habenda est cum ætatis, tum conditionis vitæ. Quamobrem ludi quoque spectandi sunt tanquam labor puerorum, quibus ad laborandum & otium vitandum præparantur. Instillanda est cupiditas semper aliquid agendi liberis a primis statim unguiculis, ut in naturam abeat, & fuga otii iisdem insinuanda, ut ex eo molestiam percipiant. Absit itaque, ut tibi persuadeas plebejæ conditionis seu infimi generis hominibus tantummodo convenire labores: sunt enim sui labores etiam hominibus in summa fortuna notis, fit ita quod vulgo laborum nomine non veniant ea, quæ ipsis negotium facessunt, quatenus ad notionem laboris accessit notio quædam secundaria, quæ illi aliquid vile atque abjectum adjecit, & per hoc significatum vocabuli restringit. Venit hoc ab opinione hominum, cujus nullæ sunt partes in philosophia, ubi veritati litatur.

§. 717.

Qua cautione in eo sit opus.

Quoniam parentes liberos labori mature assuefacere debent (§. 716.), nihil tamen imperare, quod legi naturæ adversatur (§. 672.), laborem vero nimium ac nimis gravem vitare obligamur (§. 519. *part.* 1. *Jur. nat.*); *parentibus non licet obligare liberos ad laborem nimium nimisque gravem subeundum.*

Qui perpendit, quinam labor sit nimius, quinam nimis gravis (§. 516. 517. *p.* 1. *Jur. nat.*), & officia cetera parentum erga liberos in anterioribus demonstrata cognita atque perspecta habet, is facile intelliget, coactionem ad laborem nimium nimisque gravem illis repugnare.

§. 718.

Cautio adhuc alia.

Similiter quoniam unusquisque hominum eum laborem seligere debet, cui obeundo se parem sentit (§. 528. *part.* 1. *Jur. nat.*); eodem modo, quo ante (§. 717.) intelligitur, *parentes liberos assuefacere debere labori, cui obeundo pares sunt.*

Relegenda hic sunt, quæ de diversitate laboris alibi annotavimus (*not.* §. 527. *p.* 1. *Jur. nat.*). Et quoniam in statu civili homines omnes non sunt ejusdem conditionis, quod a posteriori satis notum; hujus quoque in determinando genere laborum habenda est ratio. Accedunt præterea rationes aliæ, quæ a diversitate pendent, quam dominia particularia introduxerunt.

§. 719.

De vitæ genere, cui liberi destinandi.

Parentes liberos destinare debent certo vitæ generi, cui apti sunt & quo se utiliores aliis præbere possunt. Etenim parentes aptos efficere debent liberos, ut sibimetipsis prospicere possint de iis, quibus ad conservationem sui indigent (§. 637.), consequenter cum absque labore non comparentur necessaria vitæ subsidia, quod per se patet, certo vitæ generi eos destinare. *Quod erat unum.*

Enimvero unusquisque hominum eligere debet vitæ genus, ad quod aptus est (§. 533. *part.* 1. *Jur. nat.*), & quo se utiliorem aliis præbere potest (§. 534. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum liberi ex sese de eo statuere nequeant, quamdiu autem liberi per se officio cuidam erga seipsum satisfacere nequeunt, parentes facere tenentur, quæ ipsi-

met

BIU Cujas

met facere debebant, sed non possunt (§. 641.); parentes liberos destinare debent vitæ generi, cui apti sunt, & quo se utiliores aliis præbere possunt. *Quod erat alterum.*

Liberos destinare certo vitæ generi cum ipsa necessitas imperet, non adeo frequenter contingit, ut officio huic desint parentes. Ast cum plurimæ sint rationes, cur eos destinent vitæ generi, cui minus apti sunt, aut quo se non adeo utiles præbent aliis, quemadmodum alio poterant; in eo tanto frequentius peccatur. Videmus quotidie, quantus sit numerus eorum, qui studiis literariis a parentibus consecrantur, ad quæ parum apti sunt, immo qui haud raro carent necessariis facultatum subsidiis. In aptitudine enim æstimanda non solum ratio habenda facultatum animæ ac corporis, verum etiam externarum. Per illas enim fieri potest, ut huic vitæ generi destinentur liberi; hæ autem requiruntur, ut actu destinentur, & quidem utiliter. Per illas igitur intrinseca, per has vero extrinseca aptitudinis possibilitas determinatur. Ita non minus ineptus ad studia literaria censendus est, cui desunt studiorum sumtus, quam qui caret iis animi dotibus, quæ ad ea requiruntur. Utrumque scilicet in causa est, ut studia leviter saltem attingantur. Similiter opificio parum aptus censetur, qui præter laborem sumtum impendere nequit, quem exigit. Parum prudentis est, sub prætextu providentiæ divinæ, nimia certe de Deo confidentia lege naturali prohibita (§. 1193. 1194. *part.* 1. *Jur. nat.*), fortunæ committere ea, ad quæ consequenda spes nulla nobis affulget. Experientia indies loquitur, quam parum liberis prospiciant parentes, qui ad hæc animum non attendunt: haud raro nimirum liberos in egestatem præcipites dant, qui in alio vitæ genere fortunam sibi magis faventem experturi fuissent. In æstimandis animi dotibus, quas exigit aptitudo ad certum vitæ genus, non modo animum attendere debemus ad facultates cognoscendi, verum etiam ad facultates appetendi ac aversandi. In illo certe vitæ genere, ad quod te non trahit tua voluptas, minime singularis futurus. Quemadmodum itaque quoad facultates cognoscendi potissimum respiciendæ sunt dispositiones naturales, ita quoad facultates appetendi & aversandi considerandæ inclinationes naturales, sicuti in facultate locomotiva vis, robur atque dexteritas. Hæc breviter indicamus, ut rectius intelligatur, quid præsens propositio urgeat, & quam sit necesse ut officio huic satisfiat.

§. 720.

Quoniam parentes liberos certo vitæ generi destinare debent (§. 719.), quodlibet autem vitæ genus suum requirit laborem (§. 531. *part.* 1. *Jur. nat.*), & *parentes liberos* assuefacere debent labori, cui obeundo pares sunt (§. 710.); eos quoque *mature præparare tenentur ad futurum vitæ genus, cui eosdem destinarunt*, consequenter *curæ habere, ut discant, quæ ad idem prosunt, immo quam primum per ætatem datur, docendi sunt omnia, quæ discunt, referre ad futurum vitæ genus* (§. 222. *part.* 6. *Jur. nat.*). *De præparatione liberorum ad futurum vitæ genus.*

Ita nimirum cavetur, ne qua prætermittatur occasio discendi aliqua, quæ olim proderunt, nec ea, quæ cognitu necessaria unicuique sunt, postponantur aliis, quorum non eadem est necessitas, ut cognoscantur. Cumque hoc sit officii nostri, præferre cognitionem eorum, quæ in eo, quod elegimus, genere cognitu necessaria sunt, cognitioni aliorum, quæ non æque necessaria existunt (§. 222. *part.* 1. *Jur. nat.*); parentes liberis sedulo inculcare debent ea, quæ in eo vitæ genere, cui destinati sunt, suum habent usum (§. 641.).

§. 721.

Operæ ministeriales liberorum dicuntur, quæ fiunt in ministerium parentum, veluti si filius patrem juvet in opificio, vel mercatura; filia matrem in vestibus lavandis, ubi lotrix fuerit, vel in nendo, si netrix. *Operæ artificiales simplices* vocantur, quibus liberi aliquid acquirunt, sed quæ non fiunt in ministerium parentum, veluti si nendo filia quid acquirit. *Operæ* autem obsequiales appellantur, quæ in usum ac commodum parentum fiunt quocunque modo. *De operarum divisione, quas liberi præstant parentibus.*

Utimur hic eadem distinctione, qua in distinguendis operis ab uxore præstandis usi fuimus (§. 427.). Quamobrem definitiones earundem ad definitiones supra traditas aptavimus.

BIU Cujas

§. 722.

De operis obsequialibus liberorum.

Liberi obligantur ad præstandas operas obsequiales. Etenim liberi sunt membra societatis paternæ (§. 633. 4.). Sed singula societatis membra, seu socii singuli (§. 4.), obligantur facere, quod ad finem societatis consequendum facere possunt (§. 7.), consequenter præstare operas, quæ in usum & commodum societatis, consequenter etiam sociorum (§. 6.), præstare possunt. Liberi igitur etiam præstare debent operas, quæ in usum ac commodum societatis paternæ, consequenter & parentum præstare valent. Quamobrem cum operæ istæ liberorum sint obsequiales (§. 721.); liberi obligantur ad præstandas operas obsequiales.

Operæ obsequiales non sunt acquisitivæ & per hoc distinguuntur ab operis artificialibus tam simplicibus, quam ministerialibus, quibus aliquid acquiritur. Ita operas obsequiales præstat filia, si in usum membrorum societatis paternæ pensa diurna colo facit, si cibum coquit, si matri ægrotanti adsistit.

§. 723.

De jure parentum ad operas obsequiales liberorum.

Quoniam liberi obligantur ad operas obsequiales præstandas (§. 722.), *parentibus* vero competit jus obligandi liberos ad actiones suas sic & non aliter determinandas (§. 669.); *parentibus competit jus obligandi liberos ad operas obsequiales præstandas*, consequenter *jus eosdem puniendi, si eas præstare nolint, vel negligant* (§. 670.).

Lege naturali obligantur liberi præstare operas obsequiales (§. 722.). Quamobrem eædem quoque sunt perinde atque actiones ceteræ lege naturæ præceptæ in dominio parentum (§. 676.), & per consequens de iisdem disponere possunt, prouti ipsis visum fuerit, liberi autem perinde ac in ceteris obedire tenentur parentibus operas obsequiales imperantibus (§. 666.). Ad inobedientiam itaque vitandam & obedientiam non abjiciendam metu pœnarum quoad hasce quoque operas obligari possunt (§. 671.).

§. 724.

De operis ministerialibus liberorum.

Si liberi parentibus operas ministeriales præstare possunt, & per ea, quæ ipsis discenda sunt, vacat; illas præstare obligantur. Etenim pater per operas suas, mater per operas ministeriales & artificiales simplices, si quas præstat (§. 427.), acquirere studet, quæ ad sumtus educationis faciendos requiruntur. Quamobrem cum hosce facere sumtus sit officium parentum erga liberos (§. 263.), ad officia vero erga alios præstandum non obligamur, nisi quatenus alii id, quod præstandum est, ipsimet in potestate sua non habent (§. 608. *p.* 1. *Jur. nat.*); si liberi quicquam conferre possunt ad minuendos, vel sustentandos sumtus educationis, id facere omnino obligantur. Quoniam itaque operæ ministeriales fiunt in ministerium parentum (§. 721.), consequenter liberi eas præstantes concurrunt ad acquirendum ea, quibus sumtus educationis sustentantur *per demonstrata*, nemo autem obligatur ultra id, quod possibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec in specie liberi negligere debent ea, quæ ipsis addiscenda sunt, quod per se patet; si operas ministeriales præstare possunt, & per ea, quæ ipsis addiscenda, vacat, eas utique præstare obligantur.

Indigentia liberorum in causa est, ut parentes sumtus educationis facere teneantur, quemadmodum supra jam annotavimus (*not.* §. 527.). Cessat autem hæc indigentia sive in totum, sive ex parte, si liberi per operas ministeriales citra neglectum educationis suæ parentibus quid acquirere valent, quod in educationem impendere tenentur. Iniquum igitur censeri nequit, quod operas ministeriales a liberis suis exigant parentes ad onera educationis sublevanda. Quodsi liberi eidem vitæ generi destinentur, quod sequuntur parentes, cum parentes obligentur eos ad idem præparare & curæ habere, ut discant, quæ ad hoc prosunt (§. 720.), nova ratio accedit, cur operas ministeriales ab iis exigere non modo possint, verum etiam debeant parentes. Non di-

co,

BIU Cujas

co, si per operas obsequiales vacaverit liberos ad ministeriales obligari, quas præstare valent. Quoniam enim actiones liberorum sunt in dominio parentum (§. 676.), & per consequens parentes de iis disponere possunt pro arbitrio suo (§. 118. *p.* 2. *Jur. nat.*); a parentum arbitrio pendet, utrum operas ministeriales, an obsequiales a liberis suis exigere malint, per se autem patet, fieri non posse, ut uno eodemque tempore simul exigant & obsequiales, & ministeriales. Enimvero cum operas obsequiales & ministeriales eodem jure exigere possint, liberis vero obediendum sit (§. 666.); si eos avocent a ministerialibus ad obsequiales, relictis illis has promte præstare tenentur (§. 205.). Equidem hæc talia videntur, quæ quasi per se nota ac nemini ignota nulla demonstratione, nec uberiori explicatione indigent; qui tamen ita sentiunt, minime perpendunt, in Jure naturæ non quæstionem esse de eo, quod vulgo fit, sed num jure fiat, atque hoc nobis demonstrandum erat. Neque dubium est, in exigendis operis ministerialibus non minus, quam in non exigendis non uno modo peccare parentes; unde subinde nascuntur tam liberorum querelæ, quam censuræ parentum, quæ utræque utrum justæ sint, nec ne, ex iis omnino definiendum, quæ in Jure naturæ demonstrantur.

§. 725.

Quoniam liberi operas ministeriales præstare tenentur, si eas præstare valent & per ea, quæ discenda ipsis sunt, vacat (§. 724.) *parentibus* vero competit jus obligandi liberos ad actiones suas sic & non aliter determinandas (§. 669.); iisdem quoque *competit jus obligandi liberos ad præstandum operas ministeriales, si eas præstare valent & per ea, quæ ipsis discenda sunt, vacat*, consequenter *jus eosdem puniendi, si eas præstare nolint, vel negligant, aut saltem negligenter præstent* (§. 671.). *De jure parentum in operas ministeriales liberorum.*

Notanda hic eadem sunt, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 723.).

§. 726.

Parentes propter operas ministeriales liberos non destinare debent ei vitæ generi, quod ipsi sequuntur, si ad id apti non sint, nec propter eas, vel etiam obsequiales, destruere fortunam eorum. Parentes enim obligantur liberos destinare vitæ generi, cui apti sunt (§. 719.), consequenter si generi isti apti non sint, nec eidem destinandi (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamvis itaque obligare possint liberos ad operas ministeriales præstandas, quas præstare valent (§. 724.), cum tamen in hoc casu collidatur jus parentum cum officio eorundem (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter lex permissiva cum præceptiva (§. 164. 165. *part. I. Phil. pract. univ.*), immo prohibitiva (§. 163. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*) in casu autem isto collisionis lex præceptiva vincat (§. 211. *part. I. Phil. pract. univ.*); parentes liberos propter operas ministeriales non destinare debent ei vitæ generi, quod ipsi sequuntur, si ad id apti non sunt. *Quod erat unum.* *De abusu juris istius vitando.*

Porro parentes obligantur liberos aptos efficere, ut ipsimet sibi de iis prospicere possint, quibus ad sui conservationem indigent (§. 637.), consequenter si liberi experiantur fortunam sibi faventem, ut ad eum statum pervenire possint, parentes occasionem oblatam ambabus manibus amplecti, nequaquam vero eadem privare liberos debent. Quamvis itaque liberos obligare possint ad operas ministeriales præstandas, quas præstare valent (§. 725.), nec non ad obsequiales (§. 723.); eodem tamen, quo ante, modo patet, quod hoc facere in præsenti minime debeant, nec propter operas ministeriales, vel etiam obsequiales destruere fortunam eorum. *Quod erat alterum.*

Plures dantur casus particulares, qui ex propositione præsente definiendi, quam videri poterat. Non tamen opus est, ut in iis recensendis diligentiam nostram defatigemus, cum, ubi obvii fuerint, facile agnoscantur. Educatio, ex qua fluit jus parentum ad operas obsequiales & ministeriales liberorum, prouti ex demonstrationibus præcedentibus patet, non tam ad bonum & commodum parentum, quam liberorum tendit, & per consequens hoc isti in casu collisionis semper anteferendum.

§. 727.

BIU Cujas

§. 727.

De operis artificialibus simplicibus præstandis.

Si liberi operas artificiales simplices præstare possint, eas præstare obligantur. Ostenditur eodem modo, quo idem de operis ministerialibus demonstravimus (§. 724.).

Operæ artificiales simplices perinde ac ministeriales sunt acquisitivæ, ut ex iis parentes fiant locupletiores (§. 721.), ac ideo, quod per eas acquiritur, ad sustentandos vel levandos sumtus educationis impendi possit. Perinde igitur est, sive per operas ministeriales, sive per artificiales simplices aliquid acquiratur.

§. 728.

De jure parentum in operas artificiales simplices liberorum.

Quoniam liberi obligantur ad operas artificiales simplices præstandas, quas præstare possunt (§. 727.); eodem, quo ante (§. 725.) modo patet, *parentibus competere jus obligandi liberos ad præstandum operas artificiales simplices, quas præstare possunt, immo ut præstare possint eos aptos efficiendi.*

Eadem hic quoque notanda veniunt, quæ supra (*not.* §. 723.) annotavimus. Quoniam quilibet jus suum remittere potest (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); si parentibus molestum non fuerit de suo facere sumtum educationis, quod liberi per operas ministeriales aut artificiales simplices acquirunt, ipsis proprium relinqui æquitati minime repugnat, præsertim si plures fuerint liberi, quorum aliqui nihil acquirere valent.

§. 729.

De bonis fortunæ liberorum.

Parentes operam dare debent pro virili, ut liberi consequantur bona fortunæ, & eos aptos efficiant ad ea consequenda. Etenim quilibet homo alium quemcumque ope ipsius indigentem juvare debet, ut consequatur fortunæ bona, quantum in potestate sua est (§. 62. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam parentes operam dare debent, ut liberi consequantur bona fortunæ, quantum in potestate ipsorum est, seu pro virili. *Quod erat unum.*

Quilibet homo etiam obligatur operam dare, ut ea consequatur bona fortunæ, quæ in potestate ipsius sunt (§. 181. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque parentes liberos aptos efficere debent, ut actiones suas juxta legem naturæ determinent (§. 637.); eos quoque aptos efficere debent ad bona fortunæ consequenda. *Quod erat alterum.*

Equidem bona fortunæ per se hominem non reddunt felicem (§. 410. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), non tamen obstant, quo minus felix esse possit (§. 412. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): immo ad felicitatem hominis concurrunt, quatenus ex iis innocua percipitur voluptas (§. 651. *part.* 1. *Jur. nat.*). Bona fortunæ vera omnino bona sunt (§. 556. 557. *Psych. empir.*), nec nisi abusus hominibus nocet, quatenus ea sunt fomes vitiorum, quia a virtute, animi bonis, sejunguntur, quod quo minus fiat, curare debent parentes (§. 658. 696.). Tum demum parentes merito reprehenduntur, si fortunam liberorum saltem amplificare studeant, ea vero negligunt, quæ ad felicitatem eorum faciunt: quod ut plurimum fieri solet. Quoniam vero fortunæ bona in potestate nostra non sunt, nec ea in potestatem alterius pro lubitu redigere valemus; obligatio quoque parentum hac in parte non extenditur ultra id, quod fieri ab ipsis potest (§. 209. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*). Si desint vires, si desit occasio liberorum fortunæ consulendi, sufficit adesse voluntatem constantem ac perpetuam eos fortunis augendi & quoad ea, quæ in potestate ipsorum non sunt, providentiæ divinæ eos commendare. Multa omnino sunt, quæ ad exercitium officii præsentis pertinent; sed ea ad philosophiam moralem spectant.

§. 730.

BIU Cujas

§. 730.

Quoniam parentes operam dare debent pro virili, ut liberi consequantur bona fortunæ & eos aptos efficiant ad ea consequenda (§. 729.), lex vero præceptiva est etiam prohibitiva contrarii (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*); *parentes liberos bonis fortunæ privare minime debent, quibus eos augere poterant, nec negligere eam curam, quam adhibere debebant, ut ad paranda bona fortunæ fierent apti.* *Quanam circa bona fortunæ liberorum illicita.*

Multis modis parentes in hoc genere peccant. Exemplum est, si parentes patrimonia sua profundunt, immo insuper æs alienum contrahunt, ut liberi post eorum obitum paupertate & egestate premantur. Simile exemplum est, si ea committunt, ob quæ graves inimicitias capiunt in liberos suos.

§. 731.

Quoniam parentes operam dare debent pro virili, ut liberi consequantur bona fortunæ & eos aptos efficiant ad ea consequenda (§. 729.), bona autem fortunæ sunt, quæ statum hominis externum perficiunt (§. 556. *Psych. empir.*), consequenter pecuniæ, sive opes, amicitiæ, honor, laus & fama bona; *parentes operam dare debent pro virili, ut liberi consequantur pecuniam, sive opes, amicitias, honorem, laudem ac famam bonam, eosque aptos efficiant ad pecuniam, sive opes, amicitias; honorem, laudem & famam bonam consequendum.* *Cura parentum circa bona fortuna liberorum.*

Honorem, laudem & famam bonam esse bona fortunæ, ex ipsis notionibus honoris, laudis atque famæ ostendimus (§. 688. *p.* 1. *Jur. nat.*). Pecuniam quoque ad bona fortunæ esse referendam, quibus scilicet status externus hominis perficitur, nemo in dubium revocare potest, nisi immemor fuerit, ad tolerandam vitæ necessitatem & ad commode ac jucunde vitam degendam pecunia opus esse. Similiter idem constat de amicis, qui cum nos ament (§. 625. *part.* 1. *Jur. nat.*), voluptatem nobis creare, tædium vero a nobis avertere student (§. 652. *Psych. empir.*), consequenter opem, qua indigemus, quantum in potestate ipsorum est, ferre parati sunt. Bona equidem fortunæ in potestate nostra non sunt; non tamen ita eidem subducuntur, ut nihil sive positive, sive negative ad ea consequenda conferre valeamus, si occasionem oblatam teneamus, neque omittamus. Non plus exigitur a parentibus, quam ut ne culpa eorum fortunæ bona desint liberis, quos ceteroquin quoad ea providentiæ divinæ commendare debent.

§. 732.

Similiter quia parentes operam dare debent pro virili, ut liberi consequantur bona fortunæ & eos aptos efficiant ad ea consequenda (§. 729.), consequenter ut eorum fiant participes, fortunatus autem est, qui bonorum fortunæ fit particeps (§. 409. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *parentes quoque operam dare debent pro virili*, seu *quantum in potestate eorum est, ut liberi fiant fortunati*, consequenter *sibi cavere, ne culpa eorum fiant infortunati.* *De cura parentum, ut liberi fiant fortunati.*

Non est, quod dicas, neminem ideo esse felicem, quia fortunatus est (§. 412. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): neque enim repugnat, ut, qui fortunatus est, idem sit felix (§. 414. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Parentibus curæ esse debet, ut liberos suos reddant felices (§. 710.); hoc tamen non obstante iisdem quoque curæ esse debet, ut eos fortunatos reddant. Tum demum peccant, si fortunæ ipsorum consulere studeant, felicitatis autem nullam habeant rationem, & hoc pacto plerumque iis magis nocent, quam consulunt. Necesse est parentes ante seipsos regere nosse, quam liberos educare velint: qui enim ipse nondum didicit, quomodo actiones suas juxta naturæ legem componere debeat, quomodo is docebit alios, quomodo hoc facere debeant. Si parentes ignorent, quale sit discrimen inter felicem atque fortunatum hominem, ac de bonis animi, corporis & fortunæ ex vero statuere nesciant; quomodo fieri poterit, ut circa hæc rite fungantur officio suo in educatione liberorum? Sunt equidem qui urgent contemtum bonorum fortunæ, & per consequens ab officio parentum erga liberos alienum existimant fortunæ eorum consulere: hi tamen sunt, qui non satis capiunt, in quonam contemtus bonorum fortunæ consistat.

Sed

BIU Cujas

Sed is intra suos limites coarctandus est in philosophia morali. Non ex hominum opinione, quamvis eam tyrannum esse constet, sed ex notionibus, quæ in Philosophia evolvuntur, de eodem statuendum.

§. 733.

De liberis in officiis erga alios aliis præferendis.

Liberi in omnibus officiis, quos aliis debemus, ceteris hominibus sunt præferendi. Quoniam enim liberos felices (§. 710.) & fortunatos reddere debent parentes, quantum in potestate sua est (§. 732.), consequenter in omnibus opem ferre, in quibus eadem indigent, ac ideo speciali quadam ratione ad eorum perfectionem promovendam obligantur, si autem plures ope tua indigeant, neque eam singulis ferre possis, illi præferendi sunt, ad quorum perfectionem promovendam speciali quadam ratione obligaris (§. 688. *part.* 1. *Jur. nat.*); liberi utique in omnibus officiis, quos aliis debemus, ceteris hominibus sunt præferendi.

Natura liberos commendat parentibus singulari ratione, dum amorem quendam liberorum iisdem instillavit (§. 257.), ratio vero, legis naturæ magistra (§. 259. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), dum curam a parentibus in educatione illorum adhibendam præscribit, & naturalem illum amorem educationi accommodat, tanquam debitum urget, quod ab affectu parentum dependere videbatur. Neglectus itaque liberorum cum sit lege naturali prohibitus (§. 722. *p.* 1. *Jur. nat.*), officium aliquod alii præstandum in potestate tua non est, siquidem idem a te exigit indigentia liberorum. Alicujus itaque querelæ parum justæ sunt, si eidem ferre nolis opem, quam ferre non poteras nisi cum neglectu liberorum. Idem valet, prouti facile intelligitur, etiam in alio casu, in quo ad obligationem universalem accedit aliqua singularis. Et quia exceptionem facit obligatio singularis ab universali; ea quoque de causa fieri nequit, ut officia humanitatis perfecte debeantur, quemadmodum alias demonstravimus (§. 659. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 734.

De providentia parentum circa educationem liberorum in casum mortis immaturæ.

Parentibus curæ esse debet, ut, si ipsos mori contingat, antequam liberi fuerint educati, ipsis relinquant bona, de quibus sumtus educationis sustentari possunt. Etenim uterque conjux ad sumtus educationis conferre tenetur, quod potest (§. 445.), & cum liberi a parentibus sint educandi (§. 263.), sumtus quoque in educationem facere obligantur, quos eadem exigit. Quamobrem cum haud raro contingat parentes mori, antequam liberi fuerint educati, iisdem utique curæ esse debet, ut ipsis relinquant bona, de quibus sumtus educationis sustentari possunt. Et quamvis sumtus educationis facere teneatur conjux superstes altero mortuo & nihil bonorum relinquente, cum perinde sit, ac si conjux alter esset inops (§. 446.); quoniam tamen onera matrimonii, ad quæ etiam pertinent sumtus educationis (§. 448.), conjunctim a conjugibus sunt ferenda (§. 449.); onus quoque hoc in conjugem unum ab altero devolvendum non est solum, si id evitari possit, consequenter nec hoc obstante curæ esse debet parenti utrique, ut, si se mori contingat, antequam liberi fuerint educati, ipsis relinquat bona, de quibus sumtus educationis si non in totum sustentari possint, saltem levari, ne pars superstes nimium gravetur.

Imaginem hujus juris videmus etiam in brutis, vili nimirum insectorum genere, quæ, cum moriantur, antequam fœtus ex ovulis excludatur, ea ibi deponunt, ubi alimentum ipsis commodum obvium est. Dum ita natura ducit animal ad prospiciendum educationi prolis per speciem quandam providentiæ, ubi ipsummet ob obitum suum præesse eidem nequit; ratio omnino eandem providentiam urget in homine, quem mori contingit, antequam liberi fuerint educati. Enimvero nemini cognitus est dies supremus, quem obire tenetur. Quamobrem cura parentum, quam urget propositio præsens, cum ipsa prole nasci debet. Facile autem intelligitur, curam istam extendendam minime esse ultra id, quod possibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Sufficit enim, ne culpa parentum desint sumtus educationis, si diem supremum obire cogantur, antequam liberos suos educare potuerint. Ceterum ex iis, quæ modo diximus, patet, parentes pejores esse vili insectorum genere, qui in eventum mortis educationi liberorum consulere negligunt.

§. 735.

BIU Cujas

§. 735.

Si in potestate parentum fuerit efficere, ut liberi consequantur bona animi, corporis ac fortunæ, quibus ipsimet carent, & quæ pro rerum suarum statu consequi ipsimet minime potuerunt, vel possunt; ad hoc faciendum obligantur. Etenim officium hoc naturaliter debemus homini cuicunque (§. 646. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum liberi in omnibus officiis, quæ aliis debemus, ceteris hominibus sint præferendi (§. 733.): parentes quoque, si in potestate eorum fuerit, multo magis efficere debent, ut liberi consequantur bona animi, corporis ac fortunæ, quibus ipsimet carent, & quæ pro rerum suarum statu consequi ipsimet minime potuerunt, vel possunt. *Quousque extendatur obligatio parentum ad promovendum bonum liberorum.*

Relegenda hic sunt, quæ alibi de hoc officio erga alios in genere annotavimus (*not.* §. 646. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ducit eo parentes naturalis ille amor, quem natura ipsis instillavit (§. 257.). Inde nimirum est, quod parentes, nisi affectus ille aliis contrariis sufflaminetur, gaudeant de bonis quibuscunque, quæ liberis suis obveniunt. Ac id tanto magis contingit, si ratio confirmaverit amorem istum, quemadmodum fieri debet.

§. 736.

Quicquid parentes ad hoc conferre possunt, ne desint liberis ea, quæ vitæ necessitas exigit & quæ ad vitam commode ac jucunde transigendam faciunt; ea pro virili conferre tenentur. Etenim quicquid ad hoc conferre valemus, ne desit aliis cibus ac potus salubris, nec desint vestimenta necessaria atque commoda, neque ædes commodæ ac pulchræ, consequenter ea, quæ ad vitæ necessitatem faciunt (§. 644. *part.* 1. *Jur. nat.*), & quicquid facere possumus, ut alii vitam commode ac jucunde transigant, ad hoc faciendum obligamur (§. 645. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque parentes liberos in omnibus officiis, quæ debentur aliis, ceteris hominibus præferre debent (§. 733.); parentes quoque multo magis conferre pro virili debent, quicquid ad hoc conferre possunt, ne desint liberis, quæ vitæ necessitas exigit, & quę ad vitam commode ac jucunde transigendam faciunt. *Cura parentum quoad necessitatem, commoditatem & jucunditatem vitæ liberorum.*

§. 737.

Quoniam parentes pro virili conferre tenentur, quicquid ad hoc conferre possunt, ne desint liberis, quæ ad vitæ necessitatem & ad eam commode ac jucunde transigendam requiruntur (§. 736.), liberi autem in omnibus officiis, quæ aliis naturaliter debemus, ceteris hominibus sunt præferendi (§. 733.); *liberi* quoque *in iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem spectant, ceteris hominibus præferendi sunt.* *De prærogativa liberorum quoad ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem & jucunditatem faciunt.*

Ducit eo parentes amor naturalis liberorum, quatenus exinde voluptatem percipiunt, si liberis bene sit, tristitia vero anguntur, si male sit, præsertim absque eorundem culpa. Ratio autem, quæ parentes operam dare jubet, ut liberi sint fortunati, nec ipsorum culpa fiant infortunati, idem expressius urget. Principium hoc probe notandum est; utemur enim eo paulo inferius, ubi de successione in bonis defuncti agitur.

§. 738.

Parentes sunt maximi benefactores liberorum. Etenim parentes non modo efficiunt, ut liberi existant in rerum natura, ut ideo liberi vitam suam ipsis tanquam causis secundis acceptam ferre debeant, quod per se patet; verum etiam multum curæ in educationem eorum impendere, ac sumtus in eandem facere, immo etiam propter educationem plurimum molestiarum devorare tenentur, prouti ex antea demonstratis *Quod parentes sint maximi benefactores liberorum.*

BIU Cujas

abunde patet, & experientia quotidiana non minus confirmat. Immo quicquid ad id conferre possunt, quæ vitæ necessitas, commoditas, jucunditas exigit, in eo liberos ceteris hominibus præferre tenentur (§. 737.). Cumque parentes hæc omnia facere teneantur, etiamsi nihil vicissim accipiant a liberis; omnia quoque præstantur gratis (§. 18. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum benefactor sit, qui alteri gratis dat, vel facit, quod utile eidem est (§. 20. *part.* 4. *Jur. nat.*); parentes sunt benefactores liberorum. Et quoniam nemo alius ea omnia ipsis præstat, quæ a parentibus veniunt, quod per se patet; parentes utique sunt maximi benefactores liberorum.

Equidem quod bona fortunæ attinet, non omnes parentes fortunis liberorum æque consulere possunt, neque etiam eosdem in educationem facere sumtus; non tamen inde sequitur, quod beneficia a parentibus inopibus præstita liberis sint minora iis, quæ a divitibus præstantur. Neque enim solum magnitudo beneficii æstimanda est ex ratione ejus, quod præstatur, ad facultates dantis, ita ut pauper plus dare intelligatur divite, qui multo minus dat quam dives; verum etiam educatio plures molestias creat parentibus pauperibus, quam divitibus, immo subinde eos ad paupertatem ac egestatem redigit. Accedit quod bona educatio, quæ liberos reddit felices, pluris facienda sit, quam educatio, qua id potissimum agitur, ut liberi sint fortunati. Bona autem educatio non minus in potestate parentum pauperum est, quam divitum, immo haud raro magis, quatenus absunt impedimenta, quæ his sese offerunt, non semper adeo facile superanda. Immo quotidie experimur, ut ideo prolixius idem demonstrari non sit opus, quantum præstet liberos bene educari, quam multis fortunis augeri. Bene educati quoque haud raro fiunt fortunati & in hoc statu perseverant, cum ex adverso liberi, quos fortunatos effecerant parentes, ceteroquin male, aut non satis bene educati, ipso educationis neglectu ex fortunatis fiant infortunati. Omnes itaque liberi parentes suos pro benefactoribus suis maximis habere debent, nisi prorsus degeneres ipsos ad vitia & scelera seduxerunt, quod rarissime accidit: quo ipso tamen nondum tolluntur beneficia cetera, quæ ipsis exhibuerunt, dum vitæ ac sanitati eorum conservandæ studuerunt. In Jure autem naturæ parentes supponuntur, quales esse debent, non quales sunt, si officio suo satisfacere nolunt, vel in eo negligentiores sese præstant.

§. 739.

De amore, quo liberi parentes prosequi debent.

Liberi amare debent parentes. Etenim parentes sunt benefactores liberorum (§. 738.). Enimvero beneficiarius amare debet benefactorem ob beneficia sibi tributa (§. 39. *p.* 4. *Jur. nat.*). Ergo etiam liberi amare debent parentes.

Ipsa natura liberis indidit amorem parentum suorum, cujus imago conspicitur in ipsis brutis. Naturalis iste amor liberos parentibus conciliat, quemadmodum idem in parentibus liberos ipsis commendat, ut ideo ipsa natura amicitiam constituat inter parentes atque liberos (§. 625. *p.* 1. *Jur. nat.*). Ratio igitur, quæ non minus liberis amorem parentum *vi præsentis*, quam parentibus amorem liberorum injungit (§. 715.), amicitiam istam firmare ac conservare debet.

§. 740.

Parentes odisse non licet.

Quoniam liberi parentes amare debent (§. 739.), qui vero alterum amat, eum odisse nequit (§. 623. *part.* 1. *Jur. nat.*); *liberi parentes odio habere minime debent.*

Officium universale est, quod nemo hominum alterum odio habere debeat (§. 624. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam vere liberos peculiari quadam ratione ad parentum amorem ducit ipsa natura, & ratio eidem minime contraria eundem liberis injungit (*not.* §. 739.); multo magis repugnat odium parentum naturæ liberorum, quam hominis cujusdam alterius naturæ humanæ. Hinc recte omnino liberi, qui oderunt parentes suos, omnem naturam humanam exuisse dicuntur, consequenter non modo naturam animalem, quam cum brutis communem habent, verum etiam rationalem, quæ homini propria, ut ea de causa odium parentum suorum deprimat liberos non solum infra sortem hominum, sed & brutorum. Vix igitur quicquam turpius concipi potest odio liberorum, quo prosequuntur parentes suos. Dubium oriri poterat ex eo, quando parentes non satisfecerunt officio suo in educandis liberis, ut ideo vel fiant infelices, vel infortunati, aut infortunati ac infelices simul. Enimvero primum in genere patet, si parentes non satisfaciant obligationi naturali, non ideo permissum esse liberis, ut nec obligationi suæ, qua ipsis tenentur, satisfaciant. Deinde beneficia neglecta non tollunt præstita, sed eorum tantummodo numerum

jam imminuunt, prouti jam antea annotavimus (*not.* §. 738.). Amor ergo vi præstitorum adhuc subsistit, & per consequens odium arcet (§. 623. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ad ignoscendum parentibus, si prava educatione nocuerunt, liberos impellit (§. 959. *p.* 1. *Jur. nat.*), ad quod naturaliter quoque homini cuique obligamur (§. 960. *p.* 1. *Jur. nat.*).

§. 741.

De animo grato liberorum.

Liberi obligantur ad beneficium reddendum parentibus occasione oblata & gratum erga eos animum habere debent. Etenim parentes sunt benefactores liberorum (§. 738.). Quamobrem cum beneficiarius obligetur ad beneficium reddendum benefactori occasione oblata (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*), & animum gratum habere debeant erga benefactorem (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*); liberi quoque obligantur ad beneficium reddendum parentibus occasione oblata & gratum erga eos animum habere debent.

Ostenditur etiam hoc modo. Beneficiarii animus dispositus esse debet ad beneficia benefactori tribuenda ob beneficia sibi ab ipso tributa (§. 40. *part.* 4. *Jur. nat.*). Talem igitur quoque animum habere debent liberi erga parentes, maximos benefactores, (§. 738.), consequenter animum gratum (§. 42. *part.* 4. *Jur. nat.*), quem cum habere non possint, nisi etiam beneficium parentibus reddant actu, occasione oblata beneficium quoque parentibus reddere obligantur.

Gratus animus magis ornat liberos, quam amor liberorum parentes, cum in illo majorem sibi partem vindicet ratio, quam natura, in hoc autem majorem natura, quem ratio. Quemadmodum vero gratiarum actio ad plus dandum invitatio esse solet; ita quoque animus gratus liberorum auget amorem parentum.

§. 742.

De ingratitudine liberorum.

Quoniam liberi animum gratum habere debent erga parentes (§. 741.), lex vero præceptiva est simul prohibitiva contrarii (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*); *ingratitudo liberorum lege naturæ prohibita* (§. 46. *part.* 4. *Jur. nat.*).

Summus ingratitudinis liberorum gradus est odium parentum (§. 46. *p.* 4. *Jur. nat.*). Quamvis enim ingratitudo per se in odio benefactoris consistere nequeat, utpote quæ magis in absentia animi grati consistit; peculiaribus tamen de causis eidem superaccedere potest (*not.* §. 46. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter ingratitudinem tanto turpiorem reddit ac detestabiliorem, quanto causæ istæ ab honestate magis recedunt, veluti si liberi odio prosequantur parentes, quod approbare nolint male facta. Constat ingratitudinem in genere prohibitam esse lege naturali (§. 47. *part.* 4. *Jur. nat.*); liberis autem eadem lege insuper in specie prohibita, *vi præsentis*. Quamobrem ingratitudo liberorum turpior est ingratitudine quavis alia.

§. 743.

De dilectione parentum.

Similiter quia liberi animum gratum habere debent erga parentes (§. 741.), qui vero animum gratum habet erga alterum, eundem diligit, & per consequens constans ipsi est voluntas ac perpetua omni studio id agendi, ut sit felix, & cavendi, ne sit infelix (§. 31. *p.* 4. *Jur. nat.*), *liberi parentes suos diligere debent, ac constans ipsis esse debet voluntas omni studio id agendi, ut sint felices, ac cavendi, ne fiant infelices.*

Ut pateat, quomodo appetitus sensitivus hac in parte reducatur ad consensum cum rationali, relegenda sunt ea, quæ alias annotavimus (*not.* §. 31. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 744.

De officiis humanitatis a liberis parentibus debitis.

Quoniam parentes suos diligere debent liberi (§. 743.), qui vero alterum diligit, ei constans ac perpetua voluntas est perfectionem ejus promovendi (§. 653. *part.* 1. *Jur. nat.*); *liberis* quoque *constans & perpetua esse debet voluntas parentum perfectionem promo-*

BIU Cujas

promovendi, consequenter cum officia erga alios, quibus ipsorum perfectio promovetur, sint officia humanitatis (§. 655. *part.* 1. *Jur. nat.*), *liberi qua liberi* etiam *parentibus ad præstanda quævis officia humanitatis obligantur*.

Paucis hic multa dicuntur. Officia enim humanitatis, quæ homo homini debet, longe plurima sunt, quemadmodum abunde patet ex iis, quæ de officiis humanitatis integro capite tertio partis primæ Juris naturæ demonstravimus. Singula debentur parentibus non modo ex obligatione universali, quæ respicit omnes homines (§. 11. *part.* 1. *Jur. nat.*), verum etiam ex obligatione singulari, quæ parentes respicit qua tales (§. 12. *part.* 1. *Jur. nat.*). Qui ergo in iis, quæ parentibus debet, nihil a se desiderari voluerit, is officia erga alios singula probe perpendere tenetur, ne ullam prætermittat occasionem parentibus suis pro virili inserviendi, nec quicquam committat, quod eorum gratia omittere debebat.

§. 745.

Quomodo liberi in omni actione studere debeant, ut placeant parentibus.

Liberi in omnibus suis actionibus studere debent, ut placeant parentibus, ac sollicite sibi cavere, ne quid faciant, quod voluntati illorum adversum. Etenim liberi parentes suos amare debent (§. 739.). Enimvero qui alterum amat, is voluptatem eidem creare, tædium vero ab eo avertere studet (§. 652. *Psych. empir.*). Quamobrem etiam liberi studere debent, ut parentes ex ipsorum actionibus voluptatem, minime autem tædium seu molestiam percipiant. Quoniam itaque is nobis placet, ex cujus actionibus voluptatem percipimus (§. 542. *Psych. empir.*); liberi in omnibus suis actionibus studere debent, ut placeant parentibus. *Quod erat unum.*

Porro qui alterum amat, is facere non vult, quod voluntati ipsius adversum (§. 1176. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum liberi parentes amare debeant (§. 739.); sollicite quoque sibi cavere debent, ne quid faciant, quod voluntati ipsorum adversum. *Quod erat alterum.*

Facile patet, officium hoc latius patere, quam obedientiam, etsi cum hoc conjungi possit ac debeat. Neque enim solum extenditur ad eas actiones, quas parentes liberis non imperant & ad eum statum, in quo actiones ipsorum non amplius sunt in dominio parentum, quemadmodum deinceps patebit; verum etiam exigit, ut obedientia ex amore parentum proficiscatur, minime autem metu pœnarum extorqueatur. Ita demum liberi obediunt parentibus cum sensu officii, & obedientia tanquam officium naturaliter debitum præstita virtutis est. Non scrupulosius distinguo ætatem, cuinam obedientia per modum officii præstanda conveniat, & quandonam citra obedientiam studere debeant liberi, ut parentibus placeant, talia enim res ipsa loquitur, ubi ad differentiam ætatum superius explicatam (§. 644.) animus advertitur. Quomodo vero tam obedientia cum sensu officii præstanda, quam studium placendi parentibus in omnibus actionibus suis citra obedientiam liberis ab ipsis parentibus instillari debeat (§. 709.); in philosophia morali doceri debet. Quemadmodum autem parentes liberis imperare nequeunt, quæ *legi* naturæ contrariantur (§. 672.), nec liberi talia præcipientibus obedire debent (§. 673.); ita quoque studium placendi parentibus extendendum non est ad actiones illicitas, neque ad tales, quæ fortunæ liberorum nocent.

§. 746.

De timore filiali & servili.

Parentes sunt timendi timore filiali; timor autem servilis lege naturali non præcipitur, seu non est officium liberorum erga parentes. Liberi enim sollicite sibi cavere debent, ne quid faciant, quod voluntati parentum adversum (§. 745.). Quoniam itaque sollicitudo animi nil faciendi, quod voluntati alterius adversum, timor filialis est (§. 1177. *part.* 1. *Jur. nat.*); parentes timendi sunt timore filiali. *Quod erat unum.*

Enimvero qui timore servili percellitur, metu pœnæ facit, quod vult alter, & non facit, quod is a se fieri non vult (§. 1178. *part.* 1. *Jur. nat.*). Enimvero actio recta non est, quæ metu pœnarum extorquetur (§. 349. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum lex naturæ præcipiat actionis rectitudinem (§. 189. 164. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); timor servilis lege naturali minime præcipitur, consequenter nec officium liberorum erga parentes est (§. 224. 225. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Timor

BIU Cujas

Timor filialis ab amore ſejungi nequit : qui ubi abeſt, nec dici poteſt, liberos amare parentes, ſaltem amor parentum reſtringitur ad eos actus, qui & ipſis placent. Caret igitur amor ea rectitudine, quam lex naturæ exigit. Liberi nimirum parentes non amant, quam quateus amor parentum non adverſatur amori perverſo proprio. Parentes itaque non amant tanquam ſeipſos, ſed ea faciunt, quæ amori parentum convenire videntur, quia ſeipſos amant, & per conſequens parentes minime amant cum ſenſu officii, ſed quatenus ea probant; vel jubent; aut ſuadent, quæ & ipſis per ſe placent, ita ut amor parentum non influat in determinationem actionis, quippe quam ſic, non aliter determinarent, etiamſi ea parentibus diſpliceret. Timor ſervilis non eſt officium liberorum erga parentes, ſed medium cohibendi voluntatem malam, ne in actus externos erumpat, quemadmodum idem jam annotavimus, cum de timore Dei ageremus (*not.* §. 1180. *p.* 1. *Jur. nat.*).

§. 747.

De officio parentum quoad utrumque.

Quamdiu liberi uſu rationis deſtituuntur, vel nondum ſufficiente pollent, metu ſervili imbuendus eſt animus : quamprimum vero fieri poteſt, operam dare tenentur parentes, ut metum ſervilem in filialem convertant. Etenim quamdiu liberi uſu rationis deſtituuntur, vel nondum ſufficiente pollent, ſcientiam boni & mali legumque naturalium acquirere minime valent (§. 689.). Quamobrem fieri nequit, ut cum ſenſu officii faciant, quæ legi naturæ conveniunt (§. 224. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Metu igitur pœnarum deterrendi ſunt ab eo, quod omittendum, & adducendi ad id, quod committendum (§. 671.). Quoniam itaque metu pœnæ facit, quod vult alter, & non facit, quod is a ſe fieri non vult, qui timore ſervili percellitur (§. 1178. *part.* 1. *Jur. nat.*); quamdiu liberi uſu rationis deſtituuntur, vel nondum ſufficiente pollent, metu ſervili imbuendus eſt eorum animus. *Quod erat unum.*

Enimvero cum timor ſervilis officium liberorum erga parentes non ſit, ſed filialis (§. 746. *h.* & §. 224. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), parentes vero liberos a prima ſtatim ætate aſſuefacere debeant officiis, quæ ipſis debentur (§. 709.); parentes quoque operam dare debent, ut, quamprimum fieri poteſt, metum ſervilem liberorum in filialem convertant.

Si officio huic parentes ſatisfacere velint, ne qua in parte diligentiam ſuam deſiderari patiantur, plura obſervanda ſunt, quam videri poterat. Sed eorum diſcuſſio ad Philoſophiam moralem ſpectat. Erunt forſitan, qui exiſtimaturi ſunt, nos parentibus in educandis liberis jugum nimis grave imponere, immo intolerabile. Sed hi erunt, qui minime perpendunt, nos nihil affirmare, niſi quod ex principiis juris naturæ demonſtratur. Velim itaque, ut, qui ſic ſentiunt, demonſtrationes noſtras probe perpendant, ut eorum vim percipiant. Ne vero ſibi, vel aliis perſuadere conentur, quaſi obligationem parentum in educatione liberorum ultra id extendamus, quod fieri poteſt, parum memores infirmitatis humanæ; velim ne præcipitent judicium, antequam in philoſophia morali uſum facultatum animæ in exequendis officiis demonſtraverimus, & in philoſophia civili ſeu Politica oſtenderimus, quænam ſint partes principis in educatione liberorum. Plura ſane in poteſtate ſunt, quam vulgo putatur, quemadmodum me oſtenſurum confido, ſi Deus vitam ac vires corporis & animi conſervet, donec Philoſophiam moralem atque civilem tradere licuerit, qualem animo concepi. Non famæ ſtudeo, ſed felicitati generis humani, ad quam ſi quid contulero, aliud laborum præmium non expeto, quippe non quærens quod meum eſt, ſed quod alterius cum ſenſu officii mei (§. 615. *p.* 1. *Jur. nat.*).

§. 748.

De parentibus non contriſtandis.

Liberi parentes ſuos contriſtare non debent. Amare enim debent parentes (§. 739.). Enimvero ſi quis alterum amat, is ideo contriſtatur, quod alter triſtis ſit (§. 642. *Pſych. empir.*), conſequenter ipſe eundem contriſtare non debet. Liberi igitur parentes ſuos contriſtare non debent.

Animus non contriſtandi parentes ab amore ſeparari nequit. Plus tamen eſt in officio eos non contriſtandi, nimirum circumſpecta ſollicitudo, ne quid committatur, quo contriſtari poſſunt. Hæc ubi abeſt, incogitantia contingit, ut tale quid committatur, quamvis facti pœniteat, quo parentes contriſtantur, ſi liberi animum non contriſtandi habeant, cum officium præſens motivum eſſe debeat id non committendi. Et qui officio huic ſatisfacere voluerit, is aſſuefieri debet

debet actionibus suis ad animum parentum referendis, ut appareat, quemnam in eo affectum suscitare possint. Facile autem intelligitur, liberis imputari non posse, si quid ipsis accidat, ob quod lachrymis ac tristitiæ sese tradunt parentes. Ad casus enim evitandos, qui potestati nostræ subducuntur, officium hoc extendi nequit. Ex. grat. Filia contristat parentes, quæ se stuprari patitur; filius, si scelus perficiat, immo scelus scelere cumulet, nec ab eo quamvis sæpe ac serio monitus liberari possit, non vero si tristitia angantur parentes, quod morbus obstet; quo minus ejus fortunæ consulere valeant, quemadmodum sibi proposuerant: hoc enim in casu parentum est tristitiam, quam suadet amor (§. 642. *Psych. empir.*) mitigare (§. 591. *p.* 1. *Jur. nat.*), & patienter ferre, quæ mutari non possunt (§. 593. *part.* 1. *Jur. nat.*). Insanus autem foret ac peccaret, qui ea de causa filium odio haberet, aut amorem saltem suum langueſcere pateretur.

§. 749.

De liberis ad iram non provocandis.

Parentes liberos ad iram provocare non debent. Quoniam enim ira conjuncta est cum odio (§. 862. *Psych. empir.*); si liberi a parentibus ad iram provocentur, facile contingit, ut odium concipiant in parentes, aut saltem ut animus illorum ab iis alienetur. Quoniam itaque parentes amorem sui, ad quem naturaliter obligantur (§. 739.), a prima statim ætate instillare debent (§. 708.); eos ad iram provocare non debent (§. 722. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Multis modis contingit, ut parentes ad iram provocent liberos, veluti intempestiva, vel immoderata castigatione, denegando iis, quæ facile concedi poterant, non distinguendo malitiam a culpa, præsertim in re leviori. Sed de his agendum est in philosophia morali. Absit vero, ut tibi persuadeas, propterea liberis quævis pro lubitu esse permittenda, nec pœnis meritis malitiam eorum coercendam: sit ita, quod pœna etiam merita condonanda sit, si spes emendationis in posterum affulgeat. Nimia parentum lenitas corrumpit mores liberorum, quos ipsi formare ac emendare tenentur.

§. 750.

Quod mala liberis imprecari non liceat.

Parentes liberis mala imprecari non debent. Parentes enim operam dare debent pro virili, ut liberi consequantur bona fortunæ, & eos aptos efficiant ad ea consequenda (§. 729.), minime autem eos privare bonis fortunæ, quibus eos augere poterant, nec negligere eam curam, quam adhibere debebant, ut ad paranda bona fortunæ fierent apti (§. 730.). Immo ex felicitate liberorum voluptatem percipere debent (§. 711.). Quamobrem optare, vel velle nequeunt, ut liberi careant bonis fortunæ, vel iisdem priventur, aut ut ipsis eveniant mala. Enimvero qui verbis declarat velle se se, ut liberis eveniant mala, quale est amissio bonorum fortunæ, alteri mala imprecatur (§. 863. *part.* 3. *Jur. nat.*). Parentes igitur liberis mala imprecari non debent.

Nemini mala imprecari licet (§. 868. *part.* 1. *Jur. natur.*), multo minus itaque mala liberis imprecari permissum, cum istiusmodi imprecatio & execratio cum officio parentum erga liberos pugnet. Nec est, quod excipias, mereri eandem liberos immorigeros, qui parentes suos contristare sibi minime religioni ducunt. Quamvis enim liberi desint officio suo (§. 666. 748.); non tamen ideo parentibus permissum est tollere officium suum erga liberos (§. 631. *part.* 1. *Jur. nat.*) & per consequens eos odio habere (§. 867. *part.* 3. *Jur. nat.*), ac ideo ex illorum infelicitate voluptatem percipere (§. 668. *Psych. empir.*), quorum felicitas (§. 710.) & fortuna secunda ipsis maxime curæ esse debebat (§. 729.). Optare igitur potius debent, ut liberi immorigeri ad meliorem frugem revertantur, ne semetipsos reddant infelices ac miseros. Votis hisce minime repugnat, sed potius convenit, ut parentes vindictam divinam liberis immorigeris serio ac graviter, nec sine indignatione, factorum atque scelerum detestatione, repræsentent ac mala, in quæ se præcipites dant, prædicant, cum pœnarum divinarum & malorum, quæ sibi arcessunt, metu a scelere sint abducendi, nisi causa prorsus desperata sit. Odisse debent scelera liberorum, non vero liberos, & dolere, quod Deum experturi sint vindicem, nisi resipiscant. Odium hoc consistere potest cum amore liberorum, quem lex naturæ injungit parentibus (§. 715.). Quodsi parentes ita moderentur iræ, ut tendat in facta, non in personam liberorum; ab omni odio immunem præstabunt animum, nec dici poterunt connivere in malitia liberorum.

§. 751.

BIU Cujas

§. 751.

De parentibus magni faciendis.

Liberi parentes magni facere debent. Etenim liberi non modo parentibus ſuis vitam ſuam & conſervationem ſui acceptam referre debent tanquam cauſis ſecundis; verum etiam parentes multum curæ in eorum educationem impendere, ac ſumtus in eandem facere, immo educationis cauſa plurimum moleſtiarum devorare tenentur: id quod nemini ignotum eſt, nec in dubium revocari poteſt. Quoniam igitur liberi animum gratum habere debent erga parentes (§. 741.), conſequenter tanta a parentibus in ſe profecta beneficia agnoſcere (§. 31. *part.* 4. *Jur. nat.*); ceteris omnino hominibus parentes præferre, conſequenter magni facere debent (§. 839. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Nihil hic datur opinionibus præjudicatis, quemadmodum vulgo in magni faciendis aliis fieri ſolet (§. 839. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſed veritati unice litatur. Si quis dubitet, ea relegat, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 738.). Ecquis eſt, qui præter parentes paria cum ipſis liberis præſtare velit, præſertim ubi parentes adhuc in vivis ſunt. Merentur itaque parentes, ut a liberis ſuis majoris fiant quam alii, quos tanquam benefactores ſuos venerantur; id quod clarius eluceſcit, ſi beneficia parentum rite æſtimare & alienorum ab iiſdem dependentiam perpendere noveris. Meritum hoc in cauſa eſt, ut lex naturæ præcipiat parentes magni facere ſine ullo diſcrimine.

§. 752.

De parentibus honorandis.

Quoniam liberi parentes magnifacere (§. 751.), conſequenter aliis præferre debent (§. 839. *part.* 1. *Jur. nat.*), honor autem conſiſtit in actibus externis, quibus alterum aliis præferendum eſſe indigitamus (§. 841. *part.* 1. *Jur. nat.*); *liberi parentes honorare debent.*

Non ſufficit ut liberi agnoſcant beneficia parentum, & ob ea eoſdem magni faciant; ſed neceſſe eſt, ut actibus quoque externis animum ſuum iiſdem declarent. In hac autem ſignificatione animi noſtri, qui ad exiſtimationem referendus, honor conſiſtit (§. 538. *p.* 1. *Jur. nat.*). Honor vero hic cum a beneficiis parentum in liberos profectis dependeat, ſignificationem animi grati (§. 31. *p.* 4. *Jur. nat.*), & ſimul amorem ob beneficia parentum continet (§. 799. *Pſych. empir.*).

§. 753.

De officio parentum circa honorem a liberis ipſis deferendum.

Quia liberi parentes honorare debent (§. 752.), *parentes* autem eoſdem a prima ſtatim ætate aſſuefacere tenentur liberos officiis, quæ ipſis debentur (§. 709.), iidem quoque *a prima ſtatim ætate liberos aſſuefacere debent, ut ſe honorent.*

Abſit ut tibi perſuadeas, hoc ambitioni parentum eſſe tribuendum, quaſi honorem intenderent tanquam finem; neque enim ſui gratia liberos ad honorem ſui adducunt, ſed ut liberi ſatisfacere diſcant officio ſuo. Etſi enim ambitioſus, qui honoris inſatiabili cupiditate flagrat (§. 570. *part.* 1. *Jur. nat.*), eundem appetat, ſive eum mereatur, ſive minus, & ab aliis eundem extorquere velit; alia tamen longe eſt ratio parentum, quorum curæ demandatum, ut liberos ad officia ſibi debita præſtanda obligent, cum ſint formatores morum liberorum ſuorum. Et quamvis honor præcipue in actibus externis ſaltem conſiſtat, a quibus tamen interni abeſſe minime debent; quamdiu tamen liberi nondum eo judicio pollent, ſine quo exiſtimationi locus non eſt, quemadmodum in ceteris, ita etiam in hoc officio parentibus curæ eſſe debet, ut actibus externis ſtatim aſſuefiant liberi, quamprimum fieri poteſt, ne, poſtquam contrariam conſuetudinem contraxerunt, quæ altera natura eſt & difficulter eradicatur, difficile, ſi non prorſus impoſſibile ſit ad virtutem infucatam perducere liberos. Parentes ſunt vitæ noſtræ autores, educatores & altores, ac propterea maximi benefactores noſtri (§. 738.), quibus ut placeamus in omnibus actionibus noſtris ſtudere debemus (§. 745.). Quoniam unus quiſque alterum tanti exiſtimare debet, quanti meretur (§. 647. *part.* 1. *Jur. nat.*) & eidem exhibere honorem, quem meretur (§. 648. *p.* 1. *Jur. nat.*); parentes eſſe vitæ noſtræ autores, educatores, atque altores & maximos benefactores noſtros, atque eos, quibus ut placeamus in omnibus actionibus noſtris ſtudere debemus, non modo agnoſcere, verum etiam quod agnoſcamus actibus externis ſignificare ipſis debemus (§. 538. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamdiu rationis uſu deſtituimur, vel judicium nondum ſatis perfectum; quanti parentes exiſtimare debeamus, capere non poſſumus, externi tamen actus, quibus exiſtimatio ſignificatur, vires corporis non excedunt. His igitur aſſuefieri a parentibus de-

BIU Cujas

debent liberi a primis ſtatim unguiculis. Quando vero ad eam perveniunt ætatem, in qua ſcientiæ boni & mali ſunt capaces, ratio illorum actuum ipſis inſinuanda (§. 689.), ut jam cum ſenſu officii faciant, quod antea ſola conſuetudine ducti fecerant.

§. 754.

De prærogativa parentum in præſtandis officiis humanitatis.

Parentes in præſtandis officiis humanitatis in caſu colliſionis præferri debent aliis, conjuge ſaltem ac liberis propriis, ſi quos habent exceptis. Etenim liberi ad officia humanitatis, quæ naturaliter debentur aliis (§. 655. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſpeciali ratione, nimirum quia liberi ſunt, parentibus obligantur (§. 744.). Quoniam itaque in præſtandis officiis humanitatis eos, quibus ſpeciali ratione ad eadem præſtanda obligamur, ceteris præferre debemus, quibus ex univerſali ſaltem obligatione, nimirum jure humanitatis (§. 11. *part.* 1. *Jur. nat.*), tantummodo tenemur (§. 668. 655. *part.* 1. *Jur. nat.*); liberi utique in præſtandis officiis humanitatis in caſu colliſionis parentes præferre debent aliis. *Quod erat primum.*

Enimvero conjuges arctiſſime ita uniuntur, ut inſtar unius perſonæ ſpectentur, nec ita cum perſona alia uniri poſſunt (§. 469.). Quamobrem cum felicitas propria præferenda ſit alienæ, ſi propria & aliena collidantur (§. 622. *part.* 1. *Jur. nat.*), conſequenter in præſtandis officiis humanitatis quilibet præferre debeat ſeipſum alteri ope ipſius indigenti (§. 655. *part.* 1. *Jur. nat.*); in caſu colliſionis conjux conjugem parentibus ſuis præferre debet in officiis humanitatis præſtandis. *Quod erat ſecundum.*

Denique naturalis amor parentum, qui ſe prodit in liberis ante uſum rationis, naſcitur ex ſenſu beneficiorum a parentibus in eos collatorum & ex ſignificatione amoris parentum erga liberos (§. 649. *Pſych. empir.*); unde eſt, quod infantes ac pueri matrem magis ament, quam patrem, niſi ſingulares quædam rationes in contrarium adfuerint, & per conſequens natura liberis parentes commendat tanquam benefactores maximos. Et eodem quoque ducit ratio (§. 738. *& ſeqq.*). Enimvero amor naturalis parentum erga liberos commendat ipſos parentibus tanquam eos, quos felices & fortunatos reddere debent qua parentes (§. 259. 255.) & ratio eos eodem ducit (§. 710. 732.). Quamobrem parentes liberis ſuis arctius obligantur ad felicitatem eorum promovendam, quam parentibus, quemadmodum etiam naturalis amor parentum, quo proſequuntur liberos, major deprehenditur naturali amore liberorum, quo parentes ſuos conſequuntur, niſi rationes aliunde accedant, quæ naturæ vim inferant. Quoniam itaque in caſu colliſionis obligatio una alteri præferenda (§. 207. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter arctior vincit minus arctam, vi ipſius principii rationis ſufficientis (§. 70. 76. *Ontol.*); in præſtandis officiis humanitatis in caſu colliſionis liberi utique parentibus ſunt præferendi. *Quod erat tertium.*

Propoſitio præſens primis naturæ convenit, niſi naturæ vis inferatur, quemadmodum abuſu & non uſu facultatum in hominibus facile contingit, prouti diſcere datur, ſiquidem ad ea, quæ fiunt, animum attendamus &, quemadmodum fieri neceſſe eſt, ea diligenter perpendamus. Quamobrem etiam inde inferri poterat, quod legi quoque naturæ conveniat (§. 83. *part.* 2. *Jur. nat.*). De naturali amore parentum, quo liberos ſuos proſequuntur, id ſatis liquet: aſt an natura quoque inſtillet conjugi amorem conjugis, dubitari poterat, propterea quod matrimonium libera hominum voluntate contrahitur inter perſonas, quas natura nullo peculiari vinculo conjunxit, & quarum uni erga alteram ſingularem quendam amorem non inſtillavit. Enimvero quis negare auſit ex copula carnali naſci amorem mutuum quendam conjugum, qui rationi acceptus ferri minime poteſt. Hoc autem natura non aliud intendit, quam ut arctiſſime uniat conjuges, ad quam unionem quoque ducit ratio (§. 469.), quatenus amorem mutuum conjugum ſine exemplo præcipit (§. 468.). Quodſi appetitus rationalis cum ſenſitivo conſtanter conſentiret, quemadmodum vult lex naturæ (§. 267. *part.* 1. *Jur. nat.*); amor ille naturalis facilius obſervaretur. In præſenti autem noſtrum non eſt inquirere in impedimenta, quæ obſiciuntur, quo minus amor iſte vel non generetur, vel genitus enervetur, ut effectu ſuo deſtituatur. Ceterum ne propoſitio præſens in abuſum trahatur, colliſio in caſu dato rite dijudicanda. Etenim neceſſe eſt, ut utriuſque eadem ſit indigentia & ut vel idem præſtandum ſit, vel quod uni præſtandum præſtari nequeat niſi cum neglectu alterius. Præterea quoque notandum eſt, diſtinguendum eſſe inter ea, quæ conjugi & liberis perfecte debentur, & ea, quæ parentibus de-

BIU Cujas

debentur minus perfecte; hoc est, nisi obstet aliud, quod illis perfecte debetur. Sed talia in casu particulari per rationes particulares clarius definiuntur. Quamvis enim nec officia, quæ parentibus præstantur ex animo grato, simpliciter spectentur ut officia humanitatis, quia non solo jure humanitatis iis debentur: minus tamen accedunt ad officia perfecte debita, quam quæ ad educationem liberorum pertinent. Dantur nimirum etiam in iis, quæ perfecte, aut saltem non prorsus imperfecte debentur, gradus. Sed horum accuratior discussio ad theoriam illam magis exasciatam pertinet, quam posteritati reservatam alias jam diximus. Generales enim theoriæ post discussionem particularium demum condendæ, tumque facilius ac rectius condi possunt, quam particularibus nondum discussis. Dedimus subinde fidem oculatam in ipsa tractatione nostra: sed quamvis ratio jam pateat acutioribus ex iis, quæ in Logica & Ontologia, immo etiam Psychologia tradidimus; clarius tamen constabit, ubi Ars inveniendi ad artis formam instar Logicæ fuerit reducta.

§. 755.

Liberi parentes inopes alere tenentur, nisi eadem inopia laborent, vel vix liberis suis alendis sufficiant. Etenim liberi beneficiarii parentum suorum sunt (§. 738. *h.* & §. 20. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter ad beneficium reddendum ipsis obligantur (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum alimenta a parentibus acceperint, cum rerum omnium inopia laborarent, nec ea sibimetipsis comparare valerent, quod per se patet; parentibus quoque inopibus, quos in præstatione cujuscunque officii præferre aliis debent (§. 754.), alimenta præstare tenentur. *Quod erat primum.* *De alimentis, quæ debentur parentibus.*

Enimvero si eadem inopia laborent, qua parentes, in ipsorum potestate positum non est, ut eosdem alant, quod per se patet. Quamobrem cum nemo obligari possit ad id, quod impossibile (§. 209. *part.* 1. *Philos. pract. univers.*), & in casu collisionis officium erga seipsum vincat officium erga alios (§. 229. *part.* 1. *Philos. pract. univ.*); si liberi cum parentibus eadem inopia laborent, parentes etsi inopes alere non tenentur. *Quod erat secundum.*

Denique si liberi vix propriis, quos habent, liberis alendis sufficiunt, siquidem parentes alere deberent, liberos suos alere non possent. Quamobrem cum in quibusvis officiis in casu collisionis liberi parentibus suos, quos habent, liberos præferre debeant (§. 754.); iidem quoque parentes inopes alere non tenentur, si vix liberis suis alendis sufficiunt. *Quod erat tertium.*

Sincerus amor præstationem hujus officii liberis facilem reddit, ut non sine gaudio alimenta parentibus inopibus præstent (§. 348. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), si vel maxime molestum accidat (§. 615. *Psych. empir.*). Liberi itaque, qui parentes amant, quemadmodum debent (§. 739.), quasi natura sua ad parentes inopes alendos ducuntur. Negandum tamen non est, vulgo liberis durum ac molestum videri alere parentes, ut apud nos dudum in proverbium abierit, facilius esse, ut pater unus viginti alat liberos, quam ut viginti liberi unum alant parentem. Ecquis vero est qui nesciat, amorem rationalem, qualis is est, quem diximus, parcius inter homines esse distributum, & plurimum differre ab eo, quem vulgo unicuique vel sua, quæ ipsum trahit, voluptas commendat, vel necessitas & mores, quamvis non satis sincerum, imperant? In differentiam hanc inquirere & ex natura animæ eandem a priori demonstrare ejus est, qui philosophiam moralem excolere voluerit. Principia sufficientia largitur Psychologia empirica, præsertim ubi genuinus usus facultatum animæ in dirigendis affectibus in philosophia morali jam fuerit demonstratus. Eadem vero methodo utendum est, qua nos in philosophando uti solemus. Quæ vero modo annotavimus de collisione officiorum rite æstimanda (*not.* §. 754.); ea etiam hic notanda veniunt.

§. 756.

Si parentes equidem habeant, unde vitam tolerare possunt, desint tamen ipsis quæ ad vitæ commoditatem & jucunditatem faciunt; liberi pro modo facultatum suarum parentibus ea conferre debent, quæ vitam commodam ac jucundam faciunt. Quicquid enim facere possumus, ut alii vitam commode ac jucunde transigant, ad hoc faciendum obligamur (§. 645. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum parentibus ad quævis officia humanitatis præstanda obligentur liberi (§. 744.), & in iis præstandis eosdem aliis *De iis, quæ ad vitæ commoditatem & jucunditatem faciunt.*

BIU Cujas

præferre debeant (§. 754.), ultra posse vero nemo alteri obligetur (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si parentes equidem habeant, unde vitam tolerare possunt, desint tamen ipsis, quæ ad vitæ commoditatem & jucunditatem faciunt; liberi pro modo facultatum suarum parentibus ea conferre debent, quæ vitam commodam ac jucundam faciunt.

Ostenditur etiam hoc modo. Si qua liberi parentibus conferunt, quæ ad vitam commode & jucunde transigendam faciunt, quin id ipsum placeat parentibus dubitandum non est. Quoniam itaque studere debent, ut in omnibus actionibus placeant parentibus (§. 745.); si his desint, quæ ad vitam commode & jucunde transigendum faciunt, etsi non desint, quæ ad vitæ necessitatem faciunt, quin pro modo facultatum suarum ea conferre debeant, dubitari nequit.

Suppeditare ea, quæ ad vitæ commoditatem ac jucunditatem faciunt, manifestius signum est amoris erga parentes, quam eorundem egestatem levare. Liberi igitur, qui parentes suos amare debent (§. 739.), eundem ipsis hoc modo significare utique tenentur. Amare parentes nihil esse videtur, nisi etiam facias, ut sciant se amari. Quæ parentibus præstantur, sunt veluti fructus laborum, quos educatio fecit. Quamobrem æquum est, ut eos quoque percipiant. Sed non opus est, ut ad particularia descendamus, quæ magno numero hic sese offerunt; ipse enim amor, quo imbutus esse debet animus liberorum, optimus erit illorum magister, præsertim si prudentiam individuam habeat comitem (§. 256. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 757.

De bonis liberorum. *Si liberis undecunque obveniant bona, parentes ea administrare debent, quamdiu ipsimet ea administrare nondum possunt; minime autem dominium in iis acquirunt, nec ususfructus ad eos pertinet, nisi quatenus fructus impenduntur educationi.* Etenim quamdiu liberi per se officiis erga seipsum satisfacere nequeunt, parentes facere tenentur, quæ ipsimet facere debebant, sed nondum possunt (§. 641.). Quodsi ergo bona sua, quæ ipsis undecunque obveniunt, administrare nondum possunt, parentes omnino ea administrare debent. *Quod erat primum.*

Constat autem parentes liberos bonis fortunæ privare non debere, quibus eos augere poterant (§. 730.), consequenter nec eos privare bonis, quæ undecunque ipsis obveniunt. Quoniam igitur id fieret, si bona, quæ liberis obveniunt, ipsorum esse deberent, consequenter si dominium in iis acquirerent (§. 124. *part.* 2. *Jur. nat.*); dominium in iis acquirere nequeunt. *Quod erat secundum.*

Enimvero domino competit jus fructus percipiendi, nec ipso invito alius eosdem percipere potest (§. 441. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum liberi sint domini bonorum, quæ ipsis undecunque obveniunt, *per demonstrata n.* 2. ipsorum quoque sunt fructus, qui ex iis percipiuntur. Quamobrem parentes in iisdem usumfructum habere nequeunt (§. 1420. *part.* 5. *Jur. nat.*). *Quod erat tertium.*

Quoniam tamen parentibus licet subsidio fructuum sustentare sumtus educationis, si liberis obveniant bona (§. 527.); ususfructus ad parentes pertinet, quatenus fructus impenduntur educationi. *Quod erat quartum.*

Naturale non est, sed mere positivum, quod, quæ liberi acquirunt, patri acquirantur, quemadmodum obtinebat Jure Romano antiquo, aut quod ususfructus bonorum, quæ liberorum sunt, pertineat ad patrem, quod Juris Romani recentioris est, ac inde ad nos derivatum. Fluxit illud ex erronea potestatis patriæ notione, quæ constituit liberos in dominio parentum; hæc vero introducta postea est ad temperandam iniquitatem Juris antiqui. Naturaliter patria potestas patri ac matri communis est (§. 661.), consequenter si bona, quæ liberis undecunque obveniunt, non essent ipsorum propria, aut si usufructu privari possent ultra sumtus in educationem faciendos, bona, quæ ipsis obveniunt, parentum communia esse deberent & eodem modo intelligitur, quod etiam ususfructus communis esse deberet. Facile itaque apparet, Jus Romanum non attendisse rationem naturalem. Sane naturaliter parentibus jus aliud in liberos competere nequit, nisi in actiones eorundem (§. 663.) ut ideo potestas patria non sit nisi imperium in liberos competens (§. 662.). Nullum igitur jus in bona, quæ liberis undecunque obveniunt, competere potest, nisi quatenus fructibus ex iis percipiendis sumtus educationis sustentare licet (§. 527.).

BIU Cujas

(§. 527.). Equidem naturalis hæc æquitas parum attenditur, quia legibus positivis aliud sancitum, ac moribus aliud introductum; non tamen propterea illa nulla est, &, nisi parentes officio suo deesse velint, non tanta penes eos Juris positivi aut morum reverentia esse debet, ut illi nuncium mittant. Nemo autem sanus a nobis desideraverit, ut, dum ea demonstranda nobis sumsimus, quæ Juris naturæ sunt, immutabile hoc jus in positivum convertamus & quæ juris mere positivi sunt pro jure naturali venditemus, ut dicamur Jus naturæ juridicum, non philosophicum tradidisse. Ita enim Jus naturæ juridicum foret larva quædam ad decipiendum incautos conficta. Nostrum non est fumum vendere, sed veritatem conspicuam facere.

§. 758.

An bona liberorum alienare liceat.

Quoniam parentibus non competit dominium in bonis, quæ liberis undecunque obveniunt (§. 757.), nemo autem præter dominum rem alienare potest (§. 668. *part.* 2. *Jur. nat.*); *parentibus* quoque *non competit jus bona liberorum alienandi*, seu *ea alienare non licet* (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam tamen parentes operam dare debent pro virili, ut liberi consequantur opes (§. 731.), consequenter etiam ut fiant locupletiores (§. 582. *part.* 2. *Jur. nat.*); *si alienatio tendat in utilitatem liberorum bona eorum alienare licet.*

Ex. grat. Ponamus filio tuo acquiri prædium, *cujus* ædificia sunt prorsus desolata, & nova nonnisi magno sumtu extrui posse; quin liceat prædium vendere & pecuniam melius collocare dubium non est. Idem intelligitur, si res minus fructuosa vendatur, & quæ fructuosior ematur. Plus licet naturaliter parenti, quam alii administratori, quia parentes facere tenentur, quæ liberi facere debebant, sed non possunt (§. 641.), ut ideo suo stent judicio, nec consensum liberorum, qualis foret, si ipsimet de re sua statuere possent, adeo rigorose præsumere habeant opus. Peccant vero, si alienatio fiat in detrimentum liberorum.

§. 759.

De oppignoratione rerum, quæ sunt in bonis liberorum.

Similiter quia bona, quæ liberis undecunque obveniunt, non sunt parentum, sed liberorum manent (§. 757.), nemo autem rem oppignorare potest nisi suam (§. 1164. *part.* 5. *Jur. nat.*); *parentes* quoque *res, quæ sunt in bonis liberorum, oppignorare nequeunt pro debitis suis.*

Ita si filiolus tuus prædium habeat, id pro debitis tuis oppignorare non licet. Aliud enim est fructus prædii impendere educationi, quod tibi permissum est (§. 527.); aliud vero prædium oppignorare pro debitis suis: id quod tendit, aut tendere saltem potest in detrimentum filii, ac ideo contrariatur officio tuo (§. 732.).

§. 760.

De servitute in re liberorum constituenda.

Similiter quia in bonis, quæ liberis undecunque obveniunt, dominium non habent parentes (§. 757.), nemo autem præter dominum alteri jus quoddam in re aliqua, consequenter servitutem (§. 1267. *p.* 5. *Jur. nat.*), constituere potest (§. 983. *part.* 3. *Jur. nat.*); *parentes* quoque *in re liberorum minime servitutem constituere possunt.*

Qui servitutem constituit, particulam quandam, vel partem dominii alienat (§. 1276. *p.* 5. *Jur. nat.*). Quodsi adeo parentes in re liberorum servitutem constituerent, perinde est ac si quid de bonis ipsorum alienarent: id quod facere minime licet (§. 758.).

§. 761.

De patrimonio liberorum augendo.

Quoniam parentibus competit ususfructus, in quantum fructus impenduntur educationi (§. 757.); *si fructus ex bonis liberorum superent sumtus educationis, iidem bonis accensendi sunt.* Immo cum quilibet jus suum remittere possit, nisi id fiat contra jus tertii, quale hic nullum adest (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); *parentes omnes fructus, qui*

BIU Cujas

ex re ipsorum percipiuntur, iisdem conservare atque hoc modo patrimonium ipsorum amplificare possunt (§. 452. *part.* 2. *Jur. nat.*).

Convenit hoc officio parentum de liberis fortunatis efficiendis (§. 732. *h.* & §. 409. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); sit ita quod a moribus nostris abhorreat, de quibus notanda veniunt, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 757.).

§. 762.

An infantes & ii, quorum imperfectum est judicium dominii sint capaces.

Infantes & qui propter imbecillitatem intellectus seu judicium imperfectum bona administrare non possunt; dominii capaces sunt. Etenim quilibet jus suum exercere potest vel per se, vel per alium, consequenter cum ad exercitium dominii, quod jus quoddam est (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), pertineat administratio bonorum, quod per se patet, modo considerentur, quinam actus ad eam requirantur, bona quoque sua quis administrare potest vel per se, vel per alios. Quamvis itaque infantes & alii, quorum adhuc imperfectum est judicium, ut scilicet ignorent ea, quæ ad administrationem bonorum requiruntur, atque in ea observanda sunt, per se bona administrare nequeant; alii tamen eorum nomine ac loco eadem administrare possunt, consequenter dominium ipsis competens exercere. Infantia igitur & judicium imperfectum minime obstat, quo minus dominium rerum iisdem competat, consequenter infantes & qui propter imbecillitatem intellectus sui, seu judicium imperfectum bona administrare nequeunt, dominii capaces sunt.

Qui contrariam sententiam tuentur, negantes scilicet infantes & eos, quorum imbecille est judicium, dominii esse capaces, sumunt dominium supponere usum rationis, sed sumunt ideo, quia exercitium dominii supponit usum rationis. Non igitur attendunt, perinde esse, sive dominium quis exerceat per se, sive per alium, ac itidem perinde esse, sive alius dominium alteri competens exerceat voluntate domini expressa, sive præsumta, aut ex officio naturaliter debito. Dominia rerum introducta sunt, ut homines habeant, unde vitæ necessitati prospiciant, & quæ ad vitam commode ac jucunde transigendam requiruntur, aut ad aliis officiis satisfaciendum requiruntur. Ratio igitur, ob quam dominia introducta sunt, non minus locum habet in infantibus, ac judicio ad bonorum administrationem requisito nondum pollentibus, quam in aliis, qui bona sua administrare norunt. Immo qui per ætatem bona sua per se administrare nondum possunt, ætate tamen adulta administrare per se valent, aut expressa voluntate per alium, consequenter administrationis jam potentia sunt capaces.

§. 763.

An acquirere dominium valeant.

Quoniam *infantes & ii, qui propter imbecillitatem intellectus, seu judicium imperfectum bona sua per se administrare non possunt*, dominii capaces sunt (§. 762.); *in* eos quoque *dominium transferri potest*, consequenter *id acquirere valent*.

Non est quod excipias, deficere acceptationem in infantibus, vel etiam pueris infantiæ proximis, sine qua tamen translatio dominii non fit (§. 7. *p.* 3. *Jur. nat.*). Acceptatio autem hic facile præsumitur, quemadmodum in promissione liberali (§. 714. *part. cit.*), & potest fieri ab alio, quia curam acquirentis gerit, seu ejus bona, si qua ipsi obveniunt, administrat, ut ideo non opus sit voluntate legis sustineri acceptationem, quamvis nec absurdum sit de ipsa lege naturæ tale quid affirmare, spectatis inprimis circumstantiis particularibus.

§. 764.

Peculium quid sit.

Bona liberorum, qui adhuc in patria potestate sunt, *Peculium* dicuntur.

In Jure naturæ non alia intelligitur potestas, quam quæ parentibus eodem Jure competit, & huic quoque juri convenit peculii definitio, quam dedimus, quamvis ea nec a moribus nostris abhorreat. Quoniam Jure Romano alia prorsus erat potestas patria, quam quæ lege naturæ utrique parenti tribuitur, ac ideo quoque de bonis liberorum alia sancita erant cum Jure antiquo, tum

BIU Cujas

tum Justinianeo ; quam quæ nostro juri conveniunt : peculii quoque notio illi Juri adaptata fuit, & variæ ejus enatæ sunt divisiones, in Jure naturæ prorsus inutiles, cum in eo non distinguatur, unde liberis eveniant bona. Quoniam Jure Romano antiquo liberi sine ulla distinctione, exceptis iis, quæ a parentibus, vel aliis filio in militiam proficiscenti donabantur, vel in militia aut ejus occasione acquirebantur, nihil sibi, omnia patri acquirebant; liberi nihil proprii habere poterant, quam quod pater filio permittere voluerat. Hinc *peculium* dicebatur pecunia, vel aliquid bonorum, quod filiusfamilias, seu qui sub patria potestate erat, patre permittente habebat. Dividebatur itaque in castrense & paganum. *Castrense* est, quod filius acquisivit occasione militiæ, vel in militia; *Paganum* vero, quod habet filius solo patris permissu. Hoc subdividi solet in profectitium, adventitium & quasicastrense. *Profectitium* vocatur, quod ex re patris, vel ejus contemplatione ad filium familias pervenit, veluti si is cum re patris negotietur, vel si quid bonorum a patre eidem detur, ut id administret, aut ab alio, qui vult patri donare. *Adventitium* dicitur, quod aliunde, quam e re patris filiosfamilias obvenit, vel occasione patris, veluti ex prospera fortuna, ex hæreditate materna, testamentis cognatorum & donatione. Denique *quasicastrense* appellatur, quod filiusfamilias ex officio publico, professione artium liberalium, proventibus sacerdotiorum, seu, ut Jus Romanum loquitur, ratione militiæ togatæ acquirit. *Justinianus*, qui juris prisci iniquitatem lenire studuit, non modo in peculio castrensi plenum dominium reliquit filio, verum etiam in quasi castrensi tribuit; in adventitio vero patri concessit usumfructum, reservata filio proprietate, & in profectitio plenum dominium reliquit patri. Facile patet, hæc esse juris positivi, consequenter in Jure naturæ opus non esse illa peculii distinctione. Immo cum bonorum omnium universitas, quæ quis habet, patrimonii nomine veniat (§. 452. *p.* 2. *Jur. natur.*); in Jure naturæ nil obstat, quo minus etiam universitatem bonorum, quæ habent liberi adhuc in patria potestate constituti, patrimonium ipsorum dicatur, consequenter in eodem non est opus, ut peculium a patrimonio distinguatur. Dubium movere videri poterat annon peculium profectitium, in quo nec jure naturali plenum dominium concedi poterat liberis, ab adventitio, castrensi & quasi castrensi utique distinguendum. Enimvero quid juris patri in id competat, pro diversitate circumstantiarum particularium ex iis, quæ de institore & operis liberorum artificialibus, præsertim simplicibus, demonstrata sunt, definiendum. Nititur quoque jus patris in hoc peculio pacto, quo v. gr. administrationem rei suæ, vel negotiationem cum eadem filio commisit.

§. 765.

Quamprimum liberi bona sua administrare valent, & sibimetipsis prospicere de iis, quibus ad conservationem sui indigent; parentes bona ipsorum iisdem restituere tenentur. Etenim parentes bona liberorum administrare tenentur, quamdiu liberi ipsimet ea administrare non valent, & usufructus ad eos pertinet, in quantum fructus educationi impendendi (§. 757.). Quodsi ergo liberi ipsimet bona sua administrare valent, ac sibimetipsis de iis, quibus ad conservationem sui indigent, prospicere, & per consequens parentum ope non amplius habent opus; bona ipsorum sine ulla causa sunt in potestate parentum (§. 461. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum liberi sint domini (§. 757.), consequenter ipsis competat jus ea in potestate sua habendi, nec quisquam alius sine eorum consensu sive expresso, sive tacito eadem in potestate sua jure habeat (§. 465. *part.* 2. *Jur. nat.*), &, ubi habet, operam dare debeat, ut in potestatem eorum veniant (§. 466. *part.* 2. *Jur. nat.*) atque eadem restituat (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*); quamprimum liberi bona sua administrare valent, & sibimetipsi de iis prospicere, quibus ad conservationem sui indigent; parentes bona ipsorum ipsis restituere tenentur. *Quando bona liberorum a parentibus restituenda.*

Quodsi liberi statim, quando bona ipsis obveniunt, eadem administrare possent, nec ulli in eos sumtus impendendi essent; iisdem quoque statim competeret eorundem administratio, nec in iis jus quoddam esset parentibus. Quamprimum itaque ad hunc statum perveniunt, cessat quoque ratio, cur parentibus competat administratio bonorum, quæ liberorum sunt, cessat quoque jus eorundem, quod in fructibus inde percipiendis habent, consequenter nec administratio, nec jus quoddam amplius competere potest. Quamobrem patet mere civile esse, quod pater retineat usumfructum, quamdiu vivit, aut saltem dimidiam partem bonorum restituat, dum liberi non amplius manent pars familiæ parentum, veluti cum filius separatam œconomiam habere incipit, aut filia nubet. Non est quod excipias, liberos alere debere parentes inopes, nisi eadem inopia laborent (§. 755.), immo etiamsi habeant, unde vitam tolerare possint, ea tamen conferre, quæ ad vitam commode ac jucunde transigendam requiruntur (§. 756.), beneficia ipsis rependendo & animum gratum ipso facto declarando (§. 741.): etenim hinc non nascitur

jus

BIU Cujas

jus bona liberorum in poteſtate habendi, ea pro arbitrio adminiſtrandi & fructus in ſuos uſus vertendi, niſi hoc fiat expreſſa liberorum voluntate, ex qua ſola jus iſtiuſmodi proficiſci poteſt.

§. 766.

An parentes rationem adminiſtrationis reddere teneantur liberis.

Parentes bona liberis reſtituentes, quæ durante educatione ipſis undecunque obvenerunt, rationes adminiſtrationis reddere non tenentur. Parentes, quatenus bona liberorum adminiſtrant, & de fructibus ſumtus in educationem faciunt, ſpectandi ſunt, tanquam negotiorum geſtores (§. 513. *part.* 5. *Jur. nat.*), vel ubi expreſſe jam per ætatem conſentire poſſunt, tanquam mandatarii (§. 640. *part.* 4. *Jur. nat.*). Enimvero tam negotiorum geſtor (§. 517. *part.* 5. *Jur. nat.*), quam mandatarius domino vel mandanti rationem reddere tenetur (§. 701. *part.* 4. *Jur. nat.*), conſequenter liberis ſtricto jure competit jus exigendi ut rationem reddant, finita adminiſtratione & jure finito, quod in fructibus habent perceptis. Aſt liberi etiam grato animo agnoſcere debent beneficia a parentibus ſibi præſtita, quos tanquam maximos benefactores venerari tenentur (§. 738.), ac eadem rependere pro virili (§. 741.), immo eos honorare (§. 752.), & ſtudere, ut ipſis placeant in omnibus actionibus ſuis, nec non ſollicite ſibi cavere, ne quid faciant, quod voluntati ipſorum adverſum (§. 745.). Colliditur itaque jus liberorum cum officiis eorundem erga parentes (§. 206. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ſeu, quod perinde eſt, lex permiſſiva cum præceptiva (§. 164. 165. 224. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque in caſu colliſionis lex permiſſiva cedit præceptivæ (§. 211. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); parentes bona liberis reſtituentes, quæ durante educatione ipſis undecunque obvenerant, rationes adminiſtrationis reddere non tenentur.

Quodſi fructus ex bonis liberorum perceptos ſuperent ſumtus educationis, atque hoc ſatis pateat; abſurdum foret exigere a parentibus rationem adminiſtrationis, conſequenter ratio reddenda foret nonniſi in eo caſu, quo evidens eſt, fructus perceptos eſſe tantos, quantis ſumtus educationis ſuſtentari minime debuerunt, conſequenter jus exigendi rationem adminiſtrationis per ſe jam reſtringitur. Quoniam vero ipſa natura parentibus inſtillavit amorem prolis ſuæ (§. 257.), in adminiſtratione nullus quoque præſumitur dolus (§. 705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodſi vero ponamus culpam aliquam in eadem parentibus imputari poſſe (§. 717. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); durum omnino foret eam a liberis parentibus imputari, qui tanta cura ipſos educarunt, & propterea tot tædia devorare coacti fuerunt, prout ex antecedentibus abunde intelligitur & experientia quotidiana aperte loquitur, & qui ea de cauſa parentibus beneficium reddere tenentur, quantum poſſunt (§. 741.). Ecquis inde non intelligit liberos bene moratos remiſſuros eſſe rationem adminiſtrationis reddendam, ſi vel maxime parentes ſua ſponte reddere vellent, nec lex naturæ liberos obligaret ad eandem non exigendam. Quodſi parentes rationem reddere tenerentur adminiſtrationis bonorum, quæ ſunt liberorum, non parum moleſtia, quæ educatio jam faceſſit, augeretur, cum liberi, qui parentes amant, quemadmodum debent (§. 739.), eos mallent ab illa moleſtia eſſe liberos, nedum ut plus moleſtiæ iiſdem creare vellent (§. 652. *Pſych. empir.*). Amice agendum inter liberos atque parentes, non ſtricto jure utendum.

§. 767.

De pubertate & impubertate phyſica & morali.

Quemadmodum in ſenſu phyſico *Impuberes* dicuntur, qui per ætatem ad generandum nondum ſunt apti; *Puberes* vero, qui per eam ad generandum apti ſunt; ita in ſenſu morali *Impuberes* vocari poſſunt liberi, quibus per ætatem nondum eſt ea boni ac mali notitia, ut per ſe de actionibus ſuis ſtatuere valeant; *Puberes* vero, quibus jam eſt ea boni ac mali notitia, ut per ſe de actionibus ſuis ſtatuere poſſint. De Pubertate & impubertate phyſica jam dictum eſt ſupra (§. 274.).

Quando in Jure Romano maſculi a decimo quarto, fœminæ decimo anno puberes intelliguntur; pubertas magis ſumitur in ſenſu phyſico, quam morali: aſt quando *pubertas plena* in maſculis anno ætatis decimo octavo, in fœminis vero decimo quarto definitur, pubertatis utique moralis ratio habetur. Pubertas nimirum phyſica æſtimatur ex habitu corporis; moralis autem ex habitu animi. Civile igitur eſt, ſi ea certo annorum numero adſtringitur. Signum pubertatis phyſicæ in fœminis eſt fluxus menſtruus; in maſculis erectio ſpontanea penis, ex qua ſeminis prolifici generatio colligitur: mas enim ad generandum aptus non eſt, niſi pene erecto ſemen

BIU Cujas

men prolificum emittere possit. In utroque sexu signum pubertatis physicæ habetur emissio laniginis circa pudenda, quæ pubes dicitur, & unde pubertatis nomen descendit. In hisce autem natura non adeo stricte observat certum annorum numerum. Signum pubertatis moralis sunt actiones humanæ, ex quibus colligitur eorum judicium & quantum profecerint in virtutibus intellectualibus ad negotia gerenda requisitis. Pubertatis physicæ ratio habetur in matrimonio ineundo (§. 274.); ast pubertas moralis potissimum attenditur in negotiis civilibus atque delictis, quamvis etiam momentum aliquod propter educationem liberorum habere debeat in matrimonio contrahendo (§. 262.). Pubertas moralis non perinde ac physica a causis naturalibus pendet; sed magna ex parte, nisi maxima, a causis moralibus, veluti educatione ac consuetudine cum aliis. Poteramus in Jure naturæ terminis istis prorsus carere, nisi nobis propositum fuisset lectorem manuducere ad cognoscendum differentias inter Jus naturæ & Jus civile, inprimis Romanum. Quamobrem doceri quoque debebat, quid in definienda pubertate sit juris naturæ, quid civilis. Quoniam infantia & pubertas, sive physice sive moraliter spectentur, sunt duo extrema, inter quæ ideo datur medium, haud difficulter definietur, quinam sint infantiæ, quinam pubertati proximi, facilius tamen, si de physica pubertate sermo fuerit, quam si de morali, quarum hæc ab ætate magis recedit, quam illa. Et quamvis vulgo non distinguatur inter pubertatem physicam atque moralem, ex dictis tamen patet, hanc non minus, quam illam attendi solere, quamvis negari non possit, in casibus particularibus haud raro aberrari, quod utraque confundatur. Sed cum hæc non tam spectent ad Jus naturæ, quam positivum, ubi in ejus æquitatem inquirendum & opiniones doctorum ad examen revocandæ; nostrum quoque in præsenti non est ea accuratius discutere.

§. 768.

Minores dicuntur, quibus per ætatem nondum est adeo perfectum judicium, ut negotia sua per se rite curare norint: *Majorennes* vero, quorum per ætatem judicium adeo perfectum est, ut negotia sua per se recte curare norint. *De minoribus & majoribus.*

Quod minorennitas restringatur ad annos viginti quinque pauciores & minor habeatur, qui nondum vigesimum quintum ætatis annum complevit, majorennis autem, qui eundem complevit; civile est, non naturale. Hinc & videas Jure Saxonico majorennes haberi masculos, si vigesimum primum, fœminas vero, si decimum octavum ætatis annum excesserunt. Jure naturali non tam ad certum annorum numerum respicitur, quam ad ipsum judicium, quod quis in actionibus suis prodit.

§. 769.

Quoniam *minores* nondum adeo perfecto judicio pollent, ut negotia sua per se rite curare norint (§. 768.); ideo *in contractibus facile circumveniuntur & decipiuntur*, consequenter *aliena ope & consilio indigent*. *De contractibus minorum.*

Hinc petenda ratio est beneficiorum in Jure Romano minoribus concessorum, veluti quod donationes ipsorum validæ non sint, nec vendere, vel permutare possint sine decreto magistratus, contractus, quibus læduntur, rescindantur, & contra læsionem in integrum restituantur. In Jure autem naturæ hæc vix attendenda sunt, quod omnem fraudem a contractu præscribit (§. 149. *part. 5. Jur. nat.*), & quodvis damnum resarciri jubet (§. 580. *p. 2. Jur. nat.*). Repetenda vero hic sunt, quæ paulo ante (*not.* §. 768.) annotavimus.

§. 770.

Quamdiu liberi minores sunt, sine parentum consensu donare non possunt, nec absque eo aut sine ratihabitione eorundem valide contrahere. Quamdiu enim liberi minores sunt, facile circumveniuntur, consequenter aliena ope ac consilio opus habent (§. 769.). Quamobrem cum ad donandum, quod donare minime debent, facile induci possint, quamdiu autem ipsimet ignorant, quid facere debeant, parentes actiones eorum determinare teneantur (§. 660.); quamdiu iidem minores sunt, sine parentum consensu donare non possunt. *Quod erat primum.* *De consensu parentum ad minorum donationem & contractum requisito.*

Similiter quia liberi minorennes facile circumveniuntur ac decipiuntur (§. 769.), in

BIU Cujas

in contractibus autem quis facile circumveniri ac decipi potest, prouti experientia abunde docet, immo etiam ignorant, quomodo negotia sua rite curare debeant) §. 768.), consequenter in contrahendo cum aliis parentum ope ac consilio maxime opus habent; ideo nec absque parentum consensu valide contrahere possunt (§. 660.). *Quod erat secundum.*

Quoniam vero perinde est, sive parentes ab initio statim consentiant, sive contractum ratihabeant, absque eorum autem consensu valide contrahere nequeunt *per demonstrata n.* 2. nec sine eorum ratihabitione valide contrahere possunt. *Quod erat tertium.*

Patet itaque, liberorum minorum donationem aut contractum non subsistere, nisi parentum ratihabitio sive expressa, sive tacita subsequatur. Ratihabitio autem tacita, quemadmodum alias, ita hic quoque declaratur facto sive negativo, sive positivo, sicuti expressa verbis expressis. Ex. grat. Ponamus filio tuo adhuc minori donari librum, quo in præsenti equidem uti nequit, in posterum tamen opus habebit, ipsum vero eundem vendere tanquam rem, quam sibi inutilem putat, te inscio ac inconsulto; venditio, nisi eam ratihabere velis, naturaliter valida non est.

§. 771.

De jure parentum contractus minorum rescindendi.

Quoniam liberi minores sine consensu parentum, aut sine ratihabitione eorundem valide contrahere non possunt (§. 770.), consequenter a voluntate parentum dependet, utrum contractus minorum subsistere velint, nec ne; *parentibus competit jus contractus liberorum ipsis inconsultis initos, præsertim non sine damno suo, aut in præjudicium suum, rescindendi.*

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 770.), tibi competit jus rescindendi emtionem venditionem libri filio tuo donati.

§. 772.

De jure revocandi donationem liberorum.

Similiter quia donatio liberorum minorum absque consensu parentum non subsistit (§. 770.), consequenter a voluntate ipsorum unice pendet, utrum factam ipsis inscius atque inconsultis subsistere velint, nec ne; *parentibus* quoque *competit jus donationem liberorum revocandi, quamdiu minores sunt.*

Obtinet hoc, quemadmodum rescissio emtionis venditionis, etiam in eo casu, quo res dono data est liberorum propria. Quodsi enim res donata, vel permutata aut vendita non fuerit liberorum propria, sed parentum; ex alio capite, quam minorennitate, donatio & emtio venditio irrita est (§. 97. 1016. *part.* 4. *Jur. natur.*). Facile autem patet sermonem nobis esse de minorennitate naturali, qualem definivimus (§. 768.), non de civili, quæ certo annorum numero continetur (*not.* §. *cit.*). Quodsi enim alicui iam sit judicium adeo perfectum, ut negotium aliquod recte curare, ac sibi cavere possit, ne ab altero circumveniatur & decipiatur, quoad hoc negotium majorennis intelligitur naturaliter, quacunque tandem fuerit ætate, nec ratio ulla est, cur negotium recte gestum subsistere non debeat, consequenter nec a parentibus rescindi potest. Patria quoque potestas naturalis non ultra id extenditur quod vitio caret. Parentum tantummodo est damna a liberis avertere, quæ ipsimet per se avertere nequeunt. Ubi ergo ex contractu liberorum nullum nascitur præjudicium, aut damnum, nihil quoque est, quod parentum officio relictum.

§. 773.

De proprietate rerum, quas usus causa accipiunt liberi.

Res, quas liberi a parentibus usus causa accipiunt, manent parentum propriæ, nisi liberorum sumtibus fuerint comparatæ, vel a parentibus eorum sumtu comparatæ donentur. Etenim quoniam parentes liberis prospicere debent de iis, quæ indigent (§. 637.), non plus juris in res iisdem concedere tenentur, quam quo opus est, ut finem educatio-

BIU Cujas

cationis consequantur. Quamobrem cum sufficiat usus rerum ipsis necessarium; iisdem quoque non concedere tenentur nisi earundem usum, consequenter res ipsæ parentum propriæ manent. *Quod erat primum.*

Enimvero si liberi propria habuerint bona, de quorum fructibus sustentantur sumtus educationis (§. 527.), consequenter res, quarum usus ipsis necessarius, eorumdem sumtu comparantur; quemadmodum pecunia, quibus res comparatæ, erat liberorum propria, ita etiam res eorum propriæ sunt. *Quod erat secundum.*

Denique cum a parentum voluntate dependeat, utrum liberis suis aliquid donare velint, nec ne (§. 130. *part.* 4. *Jur. nat.*); nil etiam obstat, quo minus res, quibus indigent liberi, iisdem donent, declarandi amoris causa (§. 116. *part.* 4. *Jur. nat.*), quo ipsos naturaliter prosequuntur (§. 257.) ac prosequi debent (§. 715.). Quamobrem cum donationes declarandi amoris causa factæ legi naturæ conveniant (§. 117. part. 4. *Jur. nat.*), & donando dominium transferatur (§. 48. *part.* 4. & §. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*); si res, quas usus causa accipiunt liberi a parentibus, donentur iisdem, eæ liberorum propriæ sunt. *Quod erat tertium.*

Non plus juris in res a parentibus usus causa acceptas habent, quam hominibus competere ostendimus in communione primæva: utrumque enim consistit in usu rerum necessario (*vi præs.* & §. 21. *part.* 2. *Jur. nat.*). Ita vestibus, quas acceperunt a parentibus, non utuntur tanquam propriis & de iis adhuc pro arbitrio suo disponere possunt parentes, &, ubi novas accipiunt, eas donare pro lubitu vel vendere nequeunt liberi, nisi parentum consensu, sive expresso, sive tacito. An vero alterutrum liceat, si ipsorum sumtu fuerint comparatæ, mox disquiretur (§. 774.). Parentes vero etiam vestes, quas utendas dare tenebantur liberis, iisdem donare posse, *per demonstrata* patet, veluti si dent tanquam præmium diligentiæ vel obsequii, vel ad conciliandum sibi aut conservandum ac augendum amorem liberorum, non solum amoris sui declarandi causa, quemadmodum sumsimus in demonstratione. Et hæ donationes non minus licitæ sunt (§. 124. *part.* 4. *Jur. nat.*). Tum vero a voluntate parentum dependet, qua lege donare velint (§. 130. *part.* 4. *Jur. nat.*). Non autem res usus causa liberis traditæ donatæ præsumuntur, vi eorum, quæ n. 1. demonstrata sunt, sed semper præsumitur nonnisi usus concessus (§. 248. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 774.

De alienatione rerum sumtu liberorum comparatarum.

Si res sumtu liberorum fuerint comparatæ; liberis tamen non licet sine consensu aut ratihabitione parentum, finito licet usu, eas alteri donare, vel vendere. Etenim parentibus non modo competit administratio eorum, quæ sunt liberorum propria (§. 757.), ut per consequens ipsi de iis disponere possint in commodum liberorum; verum etiam sine eorum consensu aut ratihabitione inire contractum nullum possunt nec donare (§. 770.). Quamobrem quamvis res sumtu liberorum fuerint comparatæ, consequenter eorum propriæ sint (§. 773.); hoc tamen non obstante, usu licet finito, sine consensu aut ratihabitione parentum alteri donare, vel vendere eas nequeunt.

Quid naturaliter liceat parentibus, in casibus particularibus ex circumstantiis particularibus dehiendum, siquidem intelligere velis, quid stricto jure fieri possit, quamvis cum liberi rationem administrationis ut reddant parentes exigere non debeant (§. 766.), in praxi istud vix attendendum videtur, &, si quid minus recte a parentibus factum, quod quodammodo in præjudicium liberorum vergere videtur, id beneficiis aliis in eos a parentibus profectis abunde compensatur, ut amori ac animo grato liberorum vix ac ne vix quidem conveniat ad istiusmodi minutias animum attendere. Accedit quod in statu civili obsequi teneantur legibus ac moribus. Non tamen superfluum existimari debet talia demonstrari, quæ in praxi nullum habere usum videntur; neque enim solum hic veritati litatur, verum etiam usum ista habent, ut judicetur, quid jure positivo recte constituatur, quod a jure naturæ quam minimum recedere debet.

§. 775.

Quando potestas paterna finiatur.

Quamprimum liberi ad eum statum fuerint perducti, ut sibimetipsis prospicere possint de iis, quibus ad conservationem sui indigent & actiones suas juxta naturæ legem determinare

terminare; naturaliter potestas patria finitur. Etenim parentes obligantur liberos aptos efficere, ut sibimetipsis prospicere possint de iis, quibus ad conservationem sui indigent, & actiones suas juxta naturæ legem determinare valeant (§. 637.). Quodsi ergo ad hunc statum fuerint perducti, ut sibimetipsis prospicere possint de iis, quæ ad conservationem sui indigent, & actiones suas juxta naturæ legem determinare, parentum ope ac consilio non amplius habent opus, consequenter cum obligatio parentum expiret, jus quoque parentum in actiones liberorum evanescit (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum naturaliter jus nullum in liberos competat nisi in actiones eorundem (§. 663.), & jus eas determinandi sit potestas patria (§. 661.); quamprimum liberi ad eum statum pervenerint, ut sibimetipsis prospicere possint de iis, quæ ad conservationem sui indigent, & actiones suas juxta naturæ legem determinare, potestas patria naturaliter finitur.

Absit ut tibi persuadeas, summum requiri rigorem actiones suas juxta naturæ legem determinandi: neque enim talis supponi potest a parentibus. Sufficit itaque liberos eo judicio pollere, ut actiones suas propria voluntate eodem modo determinare valeant, ac si parentum voluntatem sequi tenerentur. Neque necesse est, ut sui juris facti libertate naturali minime abutantur, sed semper faciant, quod æquum, justum ac rectum est; id enim posthac conscientiæ ipsorum relinquendum (§. 157. *v.* 1. *Jur. nat.*), quemadmodum conscientiæ parentum relinquitur, quid ipsi faciant (§. *cit.*). Educatio perfecta liberorum, quæ sit ab omni labe immunis, vix speranda, etiamsi liberi ad finem usque vitæ parentum maneant in ipsorum potestate, sicuti nec mala educatio prorsus eradicari potest. Neque a parentibus exigitur, ut liberos aptos efficiant actiones suas juxta legem naturæ ex aste determinandum: id enim in potestate ipsorum non est, si vel maxime supponas, quod tamen minime concedendum, ipsos esse adeo perfectos, ut a veri ac recti tramite nunquam deflectant. Nihil ipsis imputari potest, modo fecerint, quæ facere potuerunt, nec negligentia ipsorum liberi tales non sint, quales esse optandum foret. Mere igitur civile est, quod apud Romanos patria potestas durabat usque ad finem vitæ patris, nisi is filium emancipare vellet, seu ex ea eundem dimittere.

§. 776.

De emancipatione naturali. Dimissio e potestate patria *Emancipatio* dicitur. Quoniam *liberi* naturaliter e potestate patria dimittendi, *quamprimum ad eum statum perveniunt, ut sibimetipsis de ipsis prospicere possint, quæ ad conservationem sui indigent, & actiones suas juxta naturæ legem determinare valeant* (§. 775.); *naturaliter* quoque tum *emancipantur.*

Quemadmodum apud Romanos patria potestas singularis erat, quæ a naturali plurimum differebat; ita quoque emancipatio naturalis non eadem est cum emancipatione Romanorum, nec ex ea fluunt jura ista, quæ tanquam effectus ejusdem in Jure Romano tum ex parte patris, tum ex parte filii emancipati vel filiæ spectantur. Quæ de modo emancipationis ejusque effectu in eo traduntur, Juris positivi sunt, consequenter in Juræ naturæ nullam attentionem merentur, in quo ipsa lex naturæ liberos emancipat, ut peculiari quodam actu non sit opus.

§. 777.

An emancipatis bona sua sint restituenda. Quoniam liberi naturaliter emancipantur, quamprimum ad eum statum perveniunt, ut sibimetipsis de iis prospicere possint, quibus ad conservationem sui indigent, & actiones suas juxta naturæ legem determinare valeant (§. 776.), consequenter etiam negotia sua administrare norint, quando vero liberi bona sua administrare valent & sibimetipsis prospicere de iis, quibus ad conservationem sui indigent, parentes ipsis bona sua restituere tenentur (§. 765.); *liberis emancipatis bona, quæ ipsis obvenerunt, restituenda sunt.*

Hæc bonorum restitutio spectari potest tanquam effectus emancipationis naturalis, quatenus hæc illam exigit, aut, si mavis, obligationem restituendi parit.

§. 778.

BIU Cujas

§. 778.

Effectus proprius emancipationis.

Quia liberi, dum emancipantur, e patria potestate dimittuntur (§. 776.), consequenter eidem non amplius subjecti sunt (§. 134. *part.* 1. *Jur. nat.*), qui vero alterius potestati subjectus non est, sui juris, seu liber est (§. 135. *part.* 1. *Jur. nat.*); *quando liberi emancipantur, sui juris, seu liberi fiunt*, consequenter *actiones ipsorum non amplius dependent a voluntate parentum* (§. 152. *part.* 1. *Jur. nat.*), *sed quoad eas a seipsis dependent* (§. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Imaginem hujus juris conspicimus in brutis, quæ prolem suam sibimetipsi relinquunt, quampriumum eandem ad eum statum perduxerunt, ut sibimetipsi prospicere queat de iis, quibus ad sui conservationem indiget, & vitam suæ similem agere.

§. 779.

Causa emancipationis naturalis.

Quoniam ad emancipationem naturaliter requiritur non modo, ut *liberi* actiones suas juxta naturæ legem componere norint, verum etiam ut sibimetipsis prospicere valeant de iis, quibus ad sui conservationem indigent (§. 776.); *naturaliter non emancipantur, si sibimetipsis prospicere nequeant de iis, quibus ad sui conservationem indigent, etiamsi actiones suas juxta naturæ legem determinare norint.*

Nimirum etsi liberi tum faciant per se, quæ lege naturæ præcipiuntur, & omittant, quæ eadem prohibentur: a voluntate tamen parentum adhuc pendent quoad operas ministeriales & artificiales simplices, nec non quoad mutuum adjutorium, quod tanquam membra societatis paternæ, aut, si mavis, familiæ parentum præstare tenentur. Immo competit quoque parentibus adhuc jus in actus naturaliter licitos liberorum, quatenus eos jussu suo ac prohibitione efficere possunt vel debitos, vel illicitos. Accedit, quod nec permittere debeant, ut omittant, quod lege naturæ præcipitur, vel faciant, quod eadem prohibetur, siquidem in transversum agitur quacunque de causa liberorum animus. Nolumus hæc singula prolixius demonstrare, cum ex anterioribus facile intelligantur.

§. 780.

De emancipationis filiarum per nuptias.

Si filiæ nubent, naturaliter emancipantur. Etenim si filia nubet, ipsa & maritus ejus usum rerum necessariarum, utilium ac voluptuariarum sibi invicem communicant, & conjunctis viribus eas acquirere, comparare ac conservare studeant (§. 424.), consequenter pater non amplius tenetur filiæ prospicere de iis, quibus ad conservationem sui indiget. Præterea conjuges sibi invicem obligantur ad præstandum mutuum adjutorium in iis, quæ unusquisque naturaliter sibimetipsi debet (§. 474.), & maritus imperium habet in uxorem, (§. 488.), consequenter parentes in determinandis actionibus filiæ nullum amplius jus habent. Quamobrem cum liberi naturaliter emancipentur, quando in iis, quæ faciunt ad conservationem sui, & in determinandis actionibus suis juxta naturæ legem ope parentum non amplius indigent (§. 776.); filia naturaliter emancipatur, si nubet viro.

Quoniam matrimonium contrahitur sobolis procreandæ & educandæ causa (§. 270.), educatio vero exigit, ut parentes liberis prospiciant de iis, quæ ad conservationem ipsorum pertinent, & actiones eorundem juxta legem naturæ determinare doceant (§. 637.); qui matrimonium contrahunt, utique sibimetipsis de iis prospicere posse ac actiones suas juxta naturæ legem determinare supponuntur. Unde tanto minus dubitari potest filias per nuptias naturaliter emancipari (§. 776.). Quodsi matrimonium contrahant personæ, quibus deest aptitudo moralis matrimonium contrahendi, & parentes in matrimonium istiusmodi consentiant; peccatur tam in matrimonio contrahendo, quam in emancipatione, propterea vero quod peccari possit, jus naturæ minime mutatur. Quemadmodum homines non vivunt vitam moraliter perfectam, qualem exigit lex naturæ, ita etiam perfectio istiusmodi spectanda non est in emancipatione, prout jam antea annotavimus (*not.* §. 775.).

BIU Cujas

§. 781.

De patre mortuo. *Si pater moritur, liberi naturaliter manent in potestate matris.* Naturaliter enim potestas patria non minus competit matri, quam patri (§. 661.). Quando pater moritur, quemadmodum jus omne (§. 700. *part.* 6. *Jur. nat.*), ita etiam jus determinandi actiones liberorum, consequenter patriam potestatem amittit (§. 661.); non tamen morte ipsius perimitur jus matris, quod per se patet. Liberi igitur naturaliter manent in potestate matris.

Potestas patria tollebatur morte patris apud Romanos, quia pater solus liberos suos in potestate habebat (*not.* §. 661.). Ast potestas naturalis matris in liberos morte patris integra subsistit, cumque antea esset communis, nunc ad matrem solam pertinet. Adhæret ea educationis oneri, prouti ex antea demonstratis abunde patet, atque ideo post mortem cum hoc onere ad matrem solam devolvitur.

§. 782.

An morte ejus emancipentur. Quoniam liberi emancipantur, quando e patria potestate dimittuntur (§. 776.), patre autem mortuo liberi naturaliter manent in potestate matris (§. 781.); *naturaliter liberi non emancipantur morte patris, qui eos in potestate habebat.*

Morte patris emancipabantur liberi apud Romanos, avo ante patrem mortuo. Quamdiu enim avus vivebat, erant cum patre suo in potestate avi, consequenter patre mortuo in eadem manebant, avo autem mortuo in patris morte illius emancipati potestatem recidebant. Hæc quidem principiis Juris Romani admodum congrua sunt; sed cum principiis Juris naturæ minime cohærent.

§. 783.

Adoptio quid sit. Assumptio filii alieni, vel filiæ in filium, vel filiam *Adoptio* dicitur. Dicitur autem *Arrogatio*, si filius, vel filia fuerit sui juris: *Adoptio* vero in specie, si filius, vel filia adhuc fuerit in potestate patria.

Apud Romanos adoptio frequens erat, tam specifica, quam arrogatio. Sed quemadmodum patria potestas apud eos plurimum differebat a potestate parentum naturali; ita etiam adoptio naturalis plurimum differt a Romana.

§. 784.

Effectus adoptionis. Quoniam qui adoptatur in filium assumitur (§. 783.), *adoptans jura patris & adoptatus jura filii consequitur. Idem intelligitur de filia.*

Adoptio non est actus temerarius, cum alias adoptando nihil ageretur (§. 277. *p.* 3. *Jur. nat.*). Necesse igitur est, ut habeat aliquem effectum juris. Quodsi ergo velis, hunc esse filium tuum, & per consequens declares, quod eum filii loco habere velis & ipsi esse parentis loco, & adoptatus vel consentit expresse, vel saltem consentire præsumitur, necesse utique est ut tibi competant jura patris, & adoptato jura filii, qualiacunque tandem ea fuerint. Alias nimirum non esset loco filii, nec tu ipsi esses loco parentis.

§. 785.

De jure adoptandi. *Naturaliter pater & mater adoptare possunt, quamdiu adoptio non est contra jus quoddam alterius.* Quoniam enim natura homines omnes liberi sunt (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*) & vi libertatis naturalis unicuique permittendum, ut in determinandis actionibus suis suum sequatur judicium, quamdiu contra jus tuum nihil facit (§. 156. *p.* 1. *Jur.*

BIU Cujas

Jur. nat.); patris quoque ac matris voluntati permittendum, ut prolem alienam adoptent, quamdiu adoptio non est contra jus quoddam alterius.

Ex iis, quæ de successione in bonis defuncti paulo post demonstrabuntur, potissimum patebit, utrum adoptio sit contra jus quoddam alterius, nec ne. Lex naturæ minime permittit, ut quid fiat contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), ae ea de causa actum istiusmodi validum agnoscere nequit, cum velit unicuique jus suum tribui (§. 922. *part.* 1. *Jur. nat.*). Motiva adoptionis utique parentibus esse debent (§. 889. *Psych. empir.*), ea tamen propter libertatem naturalem unicuique competentem non sunt attendenda, ubi de jure tantummodo agitur (§. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*). Aliter vero sese res habet, si quæsiveris, quid officiis erga alios magis conveniat, consequenter quid laudabile sit (§. 550. *p.* 1. *Jur. nat.*), nec reprehendi meretur. Motiva istiusmodi sunt, si quorundam sit sterile conjugium, vel si liberos amiserint, aut degeneres ac improbos habeant, vel si quibus educatio liberorum suorum nimis molesta accidat, aut sumtus educationis ferre nequeant.

§. 786.

A voluntate adoptantis unice dependet, qua lege prolem alienam adoptare velit. Adoptans enim in adoptatum transfert jus filii (§. 784.). Quamobrem cum a transferentis voluntate unice dependeat, quomodo seu qua lege jus quoddam suum in alterum transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*); a voluntate etiam adoptantis unice dependet, qua lege prolem alienam adoptare velit. *Qua lege adoptio fiat.*

Quodsi dubites, adoptantem jus quoddam suum transferre in filium adoptivum, vel filiam, cum jus filii, quod persona adoptata consequitur, nondum extet, antequam adoptio fiat, sed ex hac quasi nascatur; dubium hoc facile tollitur. Etenim adoptivus jus nullum consequi potest, nisi quatenus ad quædam ipsi obligatur adoptans, ad quæ antea non erat obligatus (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*): quæ cum sit necessitas agendi, vel non agendi moralis (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), eo ipso particula quædam libertati naturali decedit (§. 153. *p.* 1. *Jur. nat.*), quæ cum sit jus adoptantis (§. 133. 135. *part.* 1. *Jur. nat.*), adoptans utique jus quoddam suum in filium adoptivum transfert, dum eum adoptat.

§. 787.

Quoniam a voluntate adoptantis unice dependet, qua lege adoptare velit (§. 786.); *naturaliter adoptio fieri potest tam pure, quam sub conditione quacunque licita, seu honesta, & tam revocabiliter, quam irrevocabiliter.* *Idem specialius expenditur.*

Ita ex. gr. aliquis adoptare potest sub hac conditione, si ipsi nulli nascantur liberi, vel si non nascatur filius, item sub conditione potestativa, si adoptatus certum vitæ genus amplectatur, vel etiam sub modo, ut hæreditati parentum renunciet, ut personam quandam uxorem ducat. Similiter adoptare licet ea lege, ut adoptionem revocare liceat, quando libuerit: id quod ratione minime destituitur, quatenus hoc impellere potest filium adoptivum, ut patri adoptivo placere studeat. Ex adverso etiam adoptio naturaliter fieri potest ea lege, ut adoptatus, si ipsi ita visum fuerit, ab eadem recedere possit. Naturaliter nimirum multa licita sunt, quæ jure positivo, quale est Romanum, non concedunturr. Naturalia autem jura ex principiis naturalibus dijudicanda.

§. 788.

Similiter quia a voluntate adoptantis unice dependet, qua lege prolem alienam adoptare velit (§. 786.), naturaliter autem tam mater, quam pater adoptare potest (§. 785.); *naturaliter* quoque *conjuges simul eandem personam adoptare possunt, vel maritus solus, aut uxor sola adoptare potest, & tum filius adoptivus erit alterutrius conjugis privignus adoptivus* (§. 610.). *De privignis adoptivis.*

Jus Romanum nescit privignum adoptivum, quia jus adoptandi tantummodo patri competebat, nequaquam vero fœminæ, quippe quæ illo jure liberos in sua potestate habere non poterat.

Ratio

BIU Cujas

Ratio igitur, quæ obstabat, mere civilis erat, non naturalis. Quamobrem ex indulgentia quoque Principis, ad solatium liberorum amissorum adoptare permittebatur fœminis §. 10. Instit. de adopt. Quamvis enim mater non consequi poterat patriam potestatem, sine qua regulariter nulla intelligebatur adoptio; adoptatus tamen jus filii consequebatur, ita ut jus succedendi ab intestato eidem tribueretur.

§. 789.

De privigno adoptato.

Si maritus privignum adoptat, pro privigno is amplius non habetur. Idem intelligitur de matre privignum, vel privignam adoptante. Etenim si maritus privignum adoptet, is jus filii consequitur (§. 784.), consequenter perinde est ac si a patre genitus proprius filius existeret. Pro privigno igitur amplius non habetur. *Quod erat unum.*

Idem eodem prorsus modo intelligitur de uxore privignum, vel privignam adoptante. *Quod erat alterum.*

Facile adeo intelligitur, quænam differentia inter privignum adoptivum & privignum adoptatum intercedat (§. 788.).

§. 790.

Adoptionis singularis species.

Si pater prolem ex uxore natam suam agnoscit, quam tamen a se non genitam esse novit; eandem adoptat. Etenim si pater prolem ex uxore natam suam agnoscit, quam tamen a se non genitam esse novit, sciens ac volens prolem alienam in filium seu filiam assumit. Enimvero qui sciens ac volens prolem alienam in filium seu filiam assumit, eam adoptat (§. 783.). Pater igitur adoptat prolem, si ex uxore natam suam agnoscit, quam tamen a se genitam non esse novit.

Istiusmodi adoptiones fiunt in occulto ad occultandum adulterium, etsi mero jure naturali nec repugnet, ut prolem adulteram adoptet maritus, præsertim si non adsint liberi ab ipso geniti. Invita autem adoptio est, si pater prolem suam esse putet, quæ non est, ignarus adulterii ab uxore commissi. Nec confundendus cum hoc casu est alius, quo maritus adoptat filium ex stupro natum; antequam virginem defloratam duceret uxorem: id quo minus fiat naturaliter nil obstat. Autor Institutionum Juris Anglicani juxta seriem titulorum in Institutionibus Juris Justinianeis tit. de adopt. monet, in Anglia non dari aliam adoptionem, quam eam, de qua loquitur propositio præsens.

§. 791.

An filius adoptivus sit pars familiæ patris adoptivi.

Filius adoptivus fit pars familiæ patris adoptivi. Assumitur enim in filium (§. 783.), consequenter per fictionem juris habetur pro eo, qui immediate per generationem a patre adoptivo descendit (§. 578.). Quoniam itaque persona, quæ per generationem ab ipso descendit, est pars familiæ ipsius (§. 585.): filius adoptivus fit pars familiæ patris adoptivi.

Immo filium adoptans non aliud intendere videtur, quam ut sit pars familiæ ipsius, & familiæ conservatio prima videtur fuisse causa, cur adoptio fuerit olim introducta. Quodsi enim alicui tantummodo benefacere quis velit, ut scilicet iisdem beneficiis fruatur, quæ in liberos conferuntur, aut ad quæ naturaliter jus quoddam habent, iisdem absque adoptione eum mactare poterat, immo etiam ad ea perfecte sese ipsi obligare (§. 363. *part.* 1. *Jur. nat.*). Nec jura positiva, quibus utimur, adeo restringunt libertatem nostram, ne alicui eadem præstare valeamus, quæ jure adoptionis acquirit.

§. 792.

BIU Cujas

§. 792.

Quoniam filius adoptivus fit pars familiæ patris adoptivi (§. 791.); *per filium adoptivum familia patris adoptivi propagari & conservari potest, filius autem adoptivus cognomen patris adoptivi assumere debet.* *De propagatione ac conservatione familiæ per filium adoptivum.*

Vivunt parentes in liberis, quatenus memoria eorum in iisdem conservatur. Ac ideo homines, qui non semper vivere possunt, familiæ conservationem appetunt, quasi vitam continuaturi in iis, qui per generationem ab ipsis descendunt. Patet autem memoriam sui perinde conservari in posteris, si familia propagetur per filium adoptivum, quam si per naturalem.

§. 793.

Quoniam per filium adoptivum familia patris adoptivi propagari & conservari potest (§. 792.), per fœminas autem familiæ conservari non solent, quod a posteriori notum sumitur: *Si quis per filiam aut proximam cognatam suam familiam suam conservari velit, necesse est ut eum, cui nubet, adoptet.* *Medium conservandi familiam per adoptionem.*

Nimirum cum adoptio etiam fieri possit sub conditione (§. 787.); sub ea quoque conditione fieri potest, ut uxorem ducat filiam, aut proximam cognatam suam. Naturaliter enim nihil obstat, quo minus hæc conditio adjici possit. Quodsi dicas, posse etiam matrimonium contrahi sub hac conditione, ut qui filiam ducit assumat cognomen parentis ipsius & sub eo familiam ejus propiget; naturaliter idem non differt ab adoptione, præsertim cum adoptanti integrum sit legem præscribere adoptioni, quamcunque voluerit (§. 786.), etsi, ubi jura positiva obstare videntur, idem alio titulo fieri possit, ut non tam res ipsa, quam nomen saltem mutetur.

§. 794.

Si quis prolem alienam educat, non ideo eam adoptasse intelligitur. Etenim si quis prolem alienam educat, de iis eidem prospicit, quibus ad conservationem sui indiget, & omnem curam adhibet, ut ea actiones suas ad legem naturæ determinare discat, ac aptam reddit ad vitam hominis ex sese vivendum (§. 255.). Enimvero nemo non videt, hoc fieri posse, etiamsi proles, quæ educatur, non assumatur in filium, vel filiam. Quamobrem cum persona quædam non adoptetur, nisi in filium, vel filiam assumatur (§. 783.); si quis prolem alienam educat, non ideo eam adoptasse intelligitur. *An adoptio fiat per educationem.*

Pater prolem adoptivam educare tenetur, non tamen ex converso qui prolem educare vult, eam ideo adoptare debet. Educatio beneficium est, quod ab adoptione minime dependet, nec ex hoc beneficio, quod gratis præstatur (§. 19. *part. 4. Jur. nat.*), educator consequi potest ulla jura, quæ per adoptionem consequitur pater adoptivus, nec beneficiarius consequitur jus ad plura beneficia, ad quæ jus confertur filio adoptivo, vel filiæ.

§. 795.

Si liberi adoptantur, parentes naturales non liberantur ab ea sollicitudine, ut liberi probe educentur, nec liberi a patria potestate naturali prorsus liberantur. Etenim lex naturæ parentes obligat ad sobolem suam educandum (§. 263.), consequenter obligatio hæc naturalis est; (§. 141. *p. 1. Phil. pract. univ.*), ac ideo immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem per hoc ab ea liberari nequeunt, quod ab alio in filium, vel filiam assumatur filius suus, vel filia, consequenter quod adoptetur (§. 783.). Manet igitur adhuc ea sollicitudo, ut liberi probe educentur. *Quod erat unum.* *De jure parentum in liberos ab aliis adoptatos.*

Quoniam igitur adhuc conferre tenentur, quantum datur, quod ad formandos mores liberorum conferre possunt (§. 655.); jus determinandi ipsorum actiones, consequen-

BIU Cujas

quenter potestas patria naturalis non prorsus extinguitur (§. 661.). Liberi itaque per adoptionem a potestate patria naturali non prorsus liberantur. *Quod erat alterum.*

Quodsi perpendas ea, quæ in anterioribus prolixe demonstrata fuerunt; haud difficile erit judicare, quænam adhuc sint parentum officia & inde dependentia jura in liberos, postquam ab aliis adoptati fuerunt, ut ideo opus non sit de iis in particulari agere. Ex. gr. Parentes curare debent, ut liberi consequantur virtutes intellectuales & morales (§. 655.), & ut fiant felices (§. 710.). Hanc curam abjicere non debent parentes naturales, etiamsi eam suam per adoptionem fecerint parentes adoptivi. Sane naturaliter non repugnat adoptionem fieri ea lege, ut cura educationis parentibus naturalibus relinquatur & sumtus tantummodo ab adoptivis suppeditentur, ac demum puberes eorum potestati subjiciantur. Quidni igitur eadem cura parentibus naturalibus & adoptivis communis esse possit, præsertim quoad ea, quæ lege naturali præcepta, vel prohibita?

§. 796.

An cælebs & impotens adoptare possit.

Naturaliter etiam persona cælebs adoptare potest, immo etiam castratus & qui adgenerandum inhabilis. Etenim si quis alium adoptat, jus filii in ipsum transfert (§. 784.); perinde ac si ab ipso genitus esset. Quamvis itaque cælebs sit, aut ad generandum prolem quacunque de causa inhabilis; nihil tamen obstat, quo minus jus filii in alium transferre possit, consequenter adoptare (§. 783.). Quamobrem cum naturaliter a voluntate transferentis unice pendeat, utrum jus quoddam suum in alium transferre velit, nec ne (§. 12. *p.* 3. *Jur. nat.*); naturaliter quoque persona cælebs, immo etiam castratus vel alia de causa ad generandum inhabilis adoptare potest.

Quæ in contrarium occurrunt in Jure Romano, mere civilia sunt. Ratio enim, quæ redditur, quod ars imitari debeat naturam, consequenter qui pater esse nequit, nec adoptare possit, hic attendenda non est, cum de actu mere morali sermo sit, qui a physico nullo modo dependet. Sane in ipso Jure Romano ratio illa physica non semper attenditur. Unde Imperator castratis adoptionem non concedens, spadontibus tamen concedit, qui naturæ quodam vitio ad generandum inhabiles.

§. 797.

An minor natu natu majorem.

Naturaliter minor natu majorem natu adoptare potest. Ostenditur eodem prorsus modo, quo propositionem præcedentem demonstravimus.

Rationem juris Romani minime obstare, scilicet quod adoptio imitari debeat naturam, modo ostendimus (*not.* §. 796.). Si adoptio naturaliter consideretur, non tam respiciendum est ad id, quod fictitium est, quam ad id, quod reale. Quamvis itaque fictio non imitetur veritatem; sufficit quod id, quod reale est, & quod potissimum in adoptione intenditur, & citra omnem fictionem subsistere potest, locum habere possit, per easdem omnino rationes, ob quas eidem locus est admissa fictione. Immo quando filius esse fingitur, qui non est; necesse sane non est, ut non absolute impossibile sit, aliquem filium habere posse ejus ætatis, cujus est adoptivus, præsertim cum physica possibilitas non semper æstimetur ex conditione ejus subjecti, de quo sermo est, sive individui adoptantis, sed tantummodo hominum in genere spectatorum, quemadmodum in definienda ætate adoptantis obtinet, quod scilicet adoptans decem & octo annis præcedere debeat adoptatum.

§. 798.

An per adoptionem jura naturalia filii amittantur.

Per adoptionem non amittuntur jura naturalia filii. Quamvis enim qui adoptatur, jura filii consequatur respectu adoptantis (§. 784.), non tamen repugnat, ut simul habeat jura naturalia filii, quæ ipsi competunt respectu patris naturalis, a quo genitus est, v. gr. ut simul sit hæres patris sui naturalis per ea, quæ inferius demonstrabuntur, & patris adoptivi. Nulla igitur necessitas est, ut jura acquisita perimant jura naturalia. Quamobrem cum adoptio per se non perimat jura naturalia filii, nemini

BIU Cujas

mini autem invito jus suum auferri possit (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*); per adoptionem quoque non amittuntur jura naturalia filii.

Æquitatem hanc attendit *Justinianeus*, dum constituit, ut ab extraneo adoptatus maneat in potestate patris sui naturalis, consequenter ipsi salvum maneat jus succedendi in bonis patris naturalis defuncti. Quodsi quis dubitet, annon repugnet jura naturalia filii habere, & simul jura filii adoptivi; is perpendat, per adoptionem non acquiri respectu patris adoptivi nisi eadem jura, quæ ipsi natura competunt respectu patris naturalis, & utraque respicere commodum ac utilitatem filii.

§. 799.

Quoniam per adoptionem non amittuntur jura naturalia filii (§. 798.), *liberi* autem in omnibus officiis, quos aliis debemus, ceteris hominibus sunt præferendi (§. 733.); erunt iidem *adhuc præferendi in officiis quibusvis erga alios ceteris hominibus, etiamsi ab alio fuerint adoptati.*

De prærogativa liberorum per adoptionem non sublata.

Prærogativa hæc liberorum, quam natura ipsis tribuit, jus amplissimum est, & cetera omnia ambitu suo complectitur. Quamobrem si constet, quam late pateant officia erga alios in parte prima Juris naturæ prolixe demonstrata; facile patebit, quantum sit illud jus, quod liberis adhuc competit, postquam ab aliis adoptati fuerunt. Per adoptionem non deterioratur conditio liberorum naturaliter, sed semper melior efficitur, quatenus quod habent retinent, præterea vero plus juris acquirunt, quam antea habuerant.

§. 800.

De jure liberos in adoptionem dandi.

Parentibus competit jus liberos suos in adoptionem dandi. Etenim parentes obligantur liberos suos educare (§. 263.), ac curæ ipsis esse debet, ut iidem fiant felices (§. 710.). Quamobrem lex naturæ ipsis etiam dat jus ad ea, quibus obligationi huic satisfieri potest (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque qui adoptat prolem alienam, eam in filium, aut filiam assumit (§. 783.), consequenter etiam onus educationis parentibus competens (§. 263.) in se suscipit, & adoptatus consequitur jura filii respectu patris adoptivi, seu talia, quæ respectu patris naturalis ipsi competunt (§. 784.), his salvis (§. 798.), consequenter per adoptionem fortunæ ejus consulitur, parentes autem sumtus educationis propriis bonis sustentare non tenentur, si aliunde haberi possint (§. 527.); quin parentibus competat jus liberos suos in adoptionem dandi dubitandum non est.

Non opus est, ut jus hoc intra certos limites coarctemus, pertinent enim hi ad exercitium juris, non ad jus ipsum. Quemadmodum enim dominus re sua non aliter uti debet, quam ut satisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *p.* 2. *Jur. nat.*), eadem vero abutitur, si ea usurus quid faciat, quod obligationi cuidam repugnat (§. 168. *part.* 2. *Jur. nat.*); ita quoque parentes jure dandi in adoptionem, re incorporali (§. 498. *p.* 1. *Jur. nat.*), non aliter uti debent, quam ut officio cuidam erga liberos satisfaciant, eodem autem abutuntur, si quid jure isto usuri committunt, quod officio cuidam repugnat. In demonstratione itaque propositionis præsentis recte supponitur, adoptionem esse medium, quo officio suo erga liberos satisfaciunt parentes, ut educationi eorum ac fortunæ consulatur, nec felicitati præjudicetur. Quodsi ergo perpendas ea, quæ antea de officiis parentum erga liberos prolixe satis demonstrata fuerunt; absque omni difficultate patebit, num qui prolem suam in adoptionem dat jure suo recte utatur, quemadmodum debebat, an vero eodem abutatur, sit ita quod jure externo conscientiæ parentum relinquendum sit, quomodo eodem utantur (§. 157. *p.* 1. *Jur. nat.*). Nihil hic asseritur, quod non eodem modo obtineat in exercitio juris cujusvis alterius, servato discrimine inter ea, quæ licent jure interno, & quæ permittuntur jure externo. Quodsi parentes liberos ament, quemadmodum debent (§. 715.), nec naturalem illum amorem (§. 257.) contrariis effectibus supprimant; probe perpendere non negligent, utrum adoptione iis consulatur, necne.

BIU Cujas

§. 801.

De consensu parentum ad adoptionem requisito. Quoniam parentibus competit jus liberos suos in adoptionem dandi (§. 800.), nec hoc jus extinguitur, quamdiu liberi per se nondum dijudicare valent, quæ ipsis bona ac utilia sunt (§ 676. 775.), nemo autem quicquam facere debet, quod est contra jus alterius (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); *liberi, qui nondum per se statuere possunt, quæ ipsis bona & utilia sunt*, consequenter *qui adhuc sunt sub patria potestate* (§. 775.), *sine consensu parentum adoptari nequeunt.*

Patet itaque sine consensu parentum irritam esse adoptionem in infantia, pueritia & adolescentia (§. 644.).

§. 802.

De pactis adoptioni adjiciendis. Similiter quia parentibus competit jus liberos suos in adoptionem dandi (§. 800.), naturaliter autem adoptio fieri potest tam pure, quam sub conditione, & tam revocabiliter, quam irrevocabiliter (§. 787.); *si parentes liberos suos in adoptionem dant, cum adoptante convenire debent, qua lege adoptio fieri debeat.*

Quamvis enim a voluntate adoptantis pendeat, qua lege adoptare velit (§. 786.), cum tamen adoptio requirat consensum parentum (§. 801.), & per consequens sine eo valida fieri nequeat, facile patet, adoptionem fieri non posse nisi ea lege, in quam consentiunt parentes, consequenter de ea cum adoptante conveniri posse a parentibus, nisi pure prolem suam in adoptionem dare velint ac irrevocabiliter, absque lege ulla. Pacta igitur adoptioni adjici possunt.

§. 803.

An consensus parentum requiratur ad arrogationem. *Arrogatio absque consensu parentum valida est; arrogati tamen officio convenit, ut eundem impetrare studeat.* Qui arrogatur sui juris est (§. 783.), consequenter patriæ potestati non amplius subjectus (§. 135. *part.* 1. *Jur. nat.*), ac ideo liber (§. *cit.*). Quoniam itaque in agendo non amplius dependet a voluntate parentum, sed a seipso (§. 152. 153. *part.* 1. *Jur. nat.*); sine consensu quoque parentum se in arrogationem dare potest, consequenter absque parentum consensu valida est arrogatio. *Quod erat unum.*

Enimvero liberi in omnibus actionibus suis studere debent, ut placeant parentibus, ac sollicite sibi cavere, ne quid faciant, quod voluntati ipsorum sit adversum (§. 745.), & officium hoc subsistit per omnem vitam (§. 805.); officio quoque eorum convenit, ut consensum parentum ad arrogationem impetrare studeant. *Quod erat alterum.*

Justæ autem adesse debent causæ, cur parentes contradicant: alias enim officio liberorum erga parentes minime repugnat, si officio erga seipsum satisfaciant, parentibus licet dissentientibus.

§. 804.

Quænam officia debeantur parentibus per omnem vitam. *Liberi per omnem vitam, etiam sui juris facti, parentibus ea præstare debent officia, quæ ipsis tanquam benefactoribus debentur.* Etenim etsi liberi sui juris fiant, non tamen parentes desinunt esse benefactores ipsorum maximi, qui sunt (§. 738.), quod per se patet. Quamobrem si officia quædam debentur parentibus tanquam benefactoribus; ea utique a liberis præstari debent per omnem vitam, hoc est, quamdiu parentes ac ipsi vivunt.

Non difficile est judicium, num officium aliquod debeatur parentibus tanquam benefactoribus. Debetur parentibus tanquam benefactoribus animus gratus (§. 43. *p.* 4. *Jur. nat.* & §. 741.), con-

BIU Cujas

consequenter ab amore (§. 784. *Psych. empir.*), quo parentes, qua parentes, prosequi tenentur (§. 739.), dependet officia ista. Ex amore autem oritur charitas (*nat.* §. 715.), quæ completur omnia officia hominis erga alios (§. 654. *part.* 1. *Jur. nat.*). singulari ideo ratione parentibus debita.

§. 805.

Quoniam liberi per omnem vitam, etiam sui juris facti, parentibus ea præstare debent officia, quæ ipsis tanquam benefactoribus debentur (§. 804.), in numero vero horum officiorum etiam hoc est, ut in omnibus suis actionibus placere parentibus studeant, sibique sollicite caveant, ne quid faciant, quod voluntati illorum adversum, prouti ex demonstratione hujus officii (§. 745.), ac iis, quæ modo annotavimus (*not.* §. 804.), abunde patet; *liberi* quoque *per omnem vitam suam studere debent in omnibus actionibus suis, ut placeant parentibus, ac sollicite sibi caveant, ne quid faciant, quod voluntati illorum adversum.* *De studio placendi parentibus.*

Differt hoc studium ab obedientia, quam sui juris nondum facti debent parentibus liberi. Hanc exigere possunt parentes ac propter inobedientiam liberos punire. Studium vero istud magis liberum est, nec jure externo perfecte debetur, sed ad ea referendum, quæ laudem merentur, seu virtutis sunt. Neque eidem repugnat, ut liberi faciant, quod parentibus minime placet, si nullam justam causam dissentiendi habeant. Qui novit differentiam inter perfecte debitum, ac imperfecte debitum, studium hoc ab obedientia facile distinguet.

§. 806.

Naturaliter adoptio fieri potest ea lege, ut curam omnem educationis sibi reservet pater naturalis. Quando enim parentes liberos in adoptionem dant, cum adoptante convenire debent, qua lege fieri debeat adoptio (§. 802.). Quoniam itaque liberi per adoptionem a patria potestate, consequenter a jure patris & matris naturali determinandi actiones ipsorum (§. 661.), non prorsus liberantur (§. 795.), a voluntate autem adoptantis dependet, qua lege prolem alienam adoptare velit (§. 786.); ita etiam conveniri potest, ut cura omnis educationis, ad quam potissimum spectat regimen liberorum (§. 661.), maneat penes parentes naturales, consequenter ut eam sibi reservent parentes naturales. *De cura educationis adoptati penes patrem naturalem manente.*

Rationes esse possunt sufficientes tam patri naturali, quam adoptivo, cur ita conveniatur, veluti si naturalis existimet, se rectius educationem filii curare posse, quam adoptivum, vel si adoptivus non commodum experiatur, ut onus educationis præter sumtus in se suscipiat. Ubi vero de jure agitur, motiva non attenduntur, prouti jam non semel monuimus.

§. 807.

Si pater naturalis sibi reservet curam educationis filii adoptati, in rebus arduis consilium & consensum adoptivi adhibere debet. Etenim liberi studere debent, ut in actionibus suis placeant parentibus (§. 745.). Quamobrem cum pater adoptivus per adoptionem consequatur jus patris (§. 784.); filius quoque adoptivus studere debet, ut placeat adoptivo in omnibus actionibus suis. Enimvero quamdiu liberi per se officiis erga parentes satisfacere nequeunt, ipsi parentes officiis istis eos assuefacere debent (§. 709.). Quamobrem eosdem quoque assuefacere debent officiis erga patrem adoptivum, consequenter etiam ad studium iisdem placendi in actionibus suis. Quoniam itaque parentes tamdiu funguntur in determinandis actionibus liberorum officio liberorum, eas utique ita determinare debent, ut placeant patri adoptivo, consequenter in rebus arduis ejus consilium & consensum adhibere debent, si curam educationis sibi reservaverint. *Quando in illo casu patris adoptivi consilium & consensus adhibendus.*

BIU Cujas

Quodsi liberi ipsimet actiones suas determinare possent, eas ita determinare deberent, ut placerent patri adoptivo. Quando itaque parentes naturales ipsorum loco faciunt, quod ipsimet facere debebant, sed nondum possunt; ipsimet quoque actiones liberorum ita determinare debent, ut patri adoptivo placeant. Quamobrem in rebus arduis, in quibus scilicet dubium videtur, quid patri adoptivo placeat, ejus consilium ac consensum adhibere debent. Ex. gr. Parentes liberos destinare debent certo vitæ generi (§. 719.). In eo igitur patris adoptivi consilium atque consensum adhibere debent. Similiter si patris ac matris imperia inter se contendant; votum quoque patris adoptivi requirendum, & eo standum, cui ipse accedit (§. 74.). Non propterea jus nullum est patris adoptivi, etsi curam educationis relinquat patri naturali. Quamobrem etiam si videat pater adoptivus educationem in nonnullis minus recte curari; ipsi utique competit jus, ut educationi accuratiori prospiciat, competit etiam jus formandi mores filii adoptivi, ubi ad eos formandos quid conferre potest.

§. 808.

Quid proprie sit naturaliter adoptio & arrogatio.

Adoptio naturaliter pactum est, quod inter parentes naturales & patrem adoptivum, vel matrem adoptivam initur. Et similiter arrogatio pactum est, quod initur inter arrogatum & arrogantem. Etenim si parentes naturales prolem suam in adoptionem dant, cum adoptante conveniunt, quod filium suum in filium, vel filiam in filiam assumere debeat (§. 783.), cumque non nihil egisse velint, consequenter actum validum esse, omnino pater adoptivus sese obligat, quod filium alterius pro suo habere velit, quasi a se genitus esset, & pater naturalis sese obligat, quod jura patris in ipsum translata esse debeant. Quamobrem cum istiusmodi conventiones pacta sint (§. 788. 393. *p. 3. Jur. nat.*); adoptio naturaliter pactum est, quod inter patrem naturalem & adoptivum initur. *Quod erat unum.*

Non absimili modo ostenditur, arrogationem naturaliter esse pactum inter arrogatorem & arrogantem initum. *Quod erat alterum.*

Mere itaque civile est, quod adoptio & arrogatio habeantur pro actu legitimo & pacto contradistinguatur. Naturaliter tam patris adoptivi, quam filii adoptivi jus venit ex pacto, quod ubi moribus, vel legibus positivis definitum non est, non majus esse potest, quam quod partes contrahentes in se invicem conferre voluerunt. Quemadmodum vero Jus naturæ regit omnes actus humanos, nec jure externo permittitur, nisi quod vi libertatis naturalis unicuique permittendum (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*); ita idem quoque naturaliter obtinet in adoptione & arrogatione. Quatenus vero jura positiva a naturali recedunt, leges civiles & qui eorum vicem subeunt mores libertatem naturalem restringunt, ut jam non liceat, quod vi illius alias permittendum erat.

§. 809.

De filii adoptivi emancipatione.

Quoniam adoptio pactum est inter parentes naturales & adoptantem, arrogatio vero pactum inter arrogatorem & arrogatum initum (§. 808.), pacta vero servanda sunt (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), nec dissolvuntur nisi mutuo dissensu (§. 840. *part. 3. Jur. nat.*); *in adoptione* quoque *& arrogatione servanda sunt ea, de quibus conventum, nec pater adoptivus filium adoptivum absque ipsius consensu e potestate sua dimittere*, consequenter *emancipare potest* (§. 776.), *neque adoptivum arrogatum jure filiationis privare.*

Emancipatio filii adoptivi tollit adoptionem, adeoque perimit jus filiationis ex pacto quæsitum, consequenter ea non est arbitrii patris adoptivi. Alia erat ratio, cur emancipatio filii adoptivi permissa erat apud Romanos. Quoniam enim Jure Romano longe alia erat patria potestas, quam naturalis, & ea durabat, quamdiu pater viveret, patri quoque competebat jus emancipandi filium. Quamobrem cum per adoptionem patria illa potestas transferretur in patrem adoptivum & per arrogationem eandem ex consensu arrogati acciperet arrogator, jus quoque emancipandi, quod potestati isti adhærebat, patri adoptivo & arrogatori competebat. Sed hæc minus quadrant in adoptionem & arrogationem naturalem, de qua hic agimus, quemadmodum nec ad emancipationem naturalem trahenda sunt, quæ ad Romanam pertinent. Cum enim in Jure nostro tam arrogatio, quam adoptio specifica non spectetur, nisi ut pactum (§. 808.); quæ de

BIU Cujas

de pactis in universum demonstrata sunt, ad adoptionem quoque & arrogationem applicanda veniunt, quæ naturaliter non alio, quam pactorum jure reguntur; ex quo validitatem suam habent.

§. 810.

Unio prolium quid sit.

Si qui matrimonium contrahunt habeant liberos ex priori matrimonio, vel saltem contrahentium uni ad secunda vota transeunti sint ex priori matrimonio liberi, & illi inter se paciscantur, ut respectu utriusque tum iis, quos jam habent, vel habet pars una, tum his, qui ex novo matrimonio nascentur, commune jus filiationis competat, *proles uniri* dicuntur, & pactum ipsum *Unio prolium* appellatur. Vocatur etiam a nonnullis *Parificatio prolium*. Duo igitur casus sunt unionis prolium. In uno uterque conjux habet liberos ex priori matrimonio; in altero nonnisi unus, consequenter in primo liberi utriusque conjugis parificantur cum inter se, tum cum liberis ex novo matrimonio nascendis; in secundo autem liberi, quos conjux unus ex priori matrimonio habet, parificantur cum iis, qui ex novo nascentur.

Unio prolium in nonnullis Germaniæ locis frequens est, & in tota Germania receptam præsumi auctor est *Bergerus* in Oeconomia Juris *lib. 1. tit. 3. p. m. 146.* Pacto hoc potissimum intenditur pariatio prolium quoad successionem in bonis conjugum defunctorum, de qua paulo post dicemus. Quoniam per adoptionem privignus adoptatus etiam consequitur jus filiationis respectu adoptantis (§. 784-789.); unio prolium assimilatur adoptioni, præsertim naturali, non tamen prorsus eadem est, præsertim si mores spectes, quibus introducta & definita. Eam non modo ignorat Jus Romanum; verum etiam non desunt, qui contendunt, eandem Juri isti prorsus adversari. Sed in hoc inquirere nostrum non est, qui ea demonstrare debemus, quæ circa hanc unionem Juri naturæ conveniunt.

§. 811.

Effectus unionis prolium.

Quoniam *per unionem prolium* liberi unius conjugis parificantur liberis alterius conjugis quoad jura filiationis, seu liberorum (§. 810.); *liberi ex uno saltem conjuge geniti spectantur tanquam geniti ex utroque*, consequenter *privigni & privignæ tanquam filii ac filiæ naturales* (§. 596. 610.), *& qui erant affines* (§. 607.), *censentur cognati* (§. 562.) *vitrici, vel novercæ* (§. 610.).

Jus cognationis non extenditur ultra vitricum, vel novercam, & per consequens ad jus filiationis restringitur, nec respectu liberorum æquiparatur juri cognationis, quod per unionem acquiritur, sed manent affines ex priori matrimonio & novo nati naturaliter, & nulla affinitas intercedit inter liberos, qui nullum communem habent parentem.

§. 812.

De defraudatione liberorum in unione prolium cavenda.

Quoniam non modo ab omni pacto fraus omnis abesse debet (§. 149. *part. 5. Jur. nat.*), verum etiam parentes liberos bonis fortunæ privare minime debent, quibus eos augere poterant (§. 730.), per unionem autem prolium liberi ex uno conjuge geniti quoad jura filiationis spectantur tanquam ex utroque conjuge geniti (§. 811.); *qui unionem prolium ineunt, probe perpendere tenentur, ne per eandem liberi ex priori matrimonio geniti defraudentur.*

Cum per unionem prolium potissimum intendatur parificatio quoad successionem in bonis conjugum defunctorum (*not.* §. 810.): facile patet, defraudari posse liberos, si inæqualis fuerit numerus liberorum, quos uterque conjux ex priori matrimonio habet, & facultates dispares utriusque conjugis.

§. 813.

BIU Cujas

§. 813.

An per educationem fiat unio prolium.

Si conjux unus se obligat ad liberos, quos alter ex priori matrimonio habet, educandum; proles propterea non uniuntur. Etenim si conjux unus prolem, quam habet alter ex priori matrimonio, educat, de iis eidem prospicit, quibus ad conservationem sui ir liger, & omnem curam adhibet, ut ea actiones suas ad legem naturæ determinata discat, ac aptam reddit ad vitam hominis ex sese vivendum (§. 255.). Enimvero ecquis non videt, hoc fieri posse, etiamsi proles, quæ educatur, non acquirat jus filiationis respectu educatoris ac quoad jura filiationis æquiparetur liberis ex ipso genitis? Quamobrem cum unio prolium non fiat, nisi conjux unus quoad jura filiationis parificet liberos, quos alter ex priori matrimonio habet, liberis ex se genitis (§. 810.); si conjux unus se obligat ad liberos, quos alter ex priori matrimonio habet, educandum; proles propterea non uniuntur.

Etsi ad jus filiationis pertineat, ut liberi a parentibus educentur (§. 263.), non tamen in eo solo consistit, prout non modo ex anterioribus intelligitur, verum etiam ex sequentibus patebit, quæ de successione liberorum in bona defuncti parentis demonstrabuntur. Par nimium ratio est in adoptione & unione prolium (§. 794. & *vi præf.*), quarum hæc isti assimilatur. Quemadmodum quis prolem alienam educare potest, ut tamen eam non adoptet (§. 794.), ita etiam prolem, quam conjux ex priori matrimonio habet, seu privignum, vel privignam educare potest, ut tamen cum prole sua non uniatur. Vide, quæ supra de secundis nuptiis demonstrata sunt (§. 530. *ad seqq.*).

§. 814.

De bonis propriis liberorum unitorum.

Si liberi ex priori matrimonio nati propria habeant bona, veluti paterna aut materna; naturaliter unio prolium ea non afficit. Si enim liberi propria habeant bona, parens dominium in iis non habet (§. 757.), consequenter nec de iis ad secunda vota transiens pro lubitu suo disponere potest (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamvis itaque cum novo conjuge matrimonium contrahens paciscatur, ut ipsi quoad jus filiationis parificentur liberis, quos ipse habet, vel qui ex novo matrimonio nascentur, consequenter unio prolium fiat (§. 810.); non tamen liberis alterius conjugis, si quos jam habet, aut ex matrimonio cum ipso inito nascendis jus aliquod in bonis illorum constituere potest, consequenter naturaliter unio prolium bona liberorum prioris matrimonii, veluti paterna, aut materna non afficit.

Non ignoro, contrarium a nonnullis doctoribus defendi in eo casu, quo ex posteriori matrimonio suscepti sunt liberi. Vid. *Bergerus* in Oecon. Jur. lib. 1. tit. 3. not. 11. p. m. 147. Ast ea sententia principiis Juris naturæ parum convenit. Non est quod excipias, hoc pacto liberos ex posteriori matrimonio progenitos deterioris esse conditionis, quam liberos ex priori matrimonio natos: neque enim unio ista eandem prorsus facere debet liberorum unitorum conditionem. Quemadmodum mater dives non prohibetur transire ad secundas nuptias, quod liberorum ex priori matrimonio natorum conditionem deteriorem facit, si ex secundo matrimonio suscipit liberos; ita nec nubere viro ea lege illicitum existimari potest, ut prioris matrimonii liberi parificentur liberis ex posteriori nascendis, nec injuriam facit pater ex se natis, si in eam consentit, cum nondum natorum nullum jus sit (§. 830. *p.* 6. *Jur. nat.*). Bona fortunæ inter liberos naturales non distribuuntur ea ratione, ut æqualitas observetur, cum non uno modo contingere possit, ut uni obtingant bona, quibus ceteri carere tenentur. Immo si pater liberos ex priori matrimonio habet, quibus nulla sunt bona materna, ducat vero ad secunda vota transiens uxorem divitem, liberorum ex posteriori matrimonio genitorum jus filiationis respectu patris propterea non imminuitur. Quamvis itaque cavendum sit, ne liberi unione defraudentur (§. 812.); defraudationi tamen accensendum non est, si bona, quæ habent, propria unione minime afficiantur.

§. 815.

BIU Cujas

§. 815.

Si liberis unitis, facta unione, aliunde obveniant bona, quam ex successione paterna & materna; ea unio non afficit. Ostenditur eodem modo, quo propositionem præcedentem demonstravimus. *De bonis quæ unitis aliunde obveniunt.*

Sane in pacto unionis non attenduntur nisi bona unientium, tum quæ tempore unionis actu habent, tum quæ ab iis acquiri posse spes est non vana, hoc est, ratione probabili minime destituta. Ex his enim æstimandum, num commoda ac utilis futura sit uniendis ista parificatio, ne scilicet liberi ex priori matrimonio defraudentur (§. 813.). Bona igitur, quæ unitis facta unione aliunde obveniunt, extra pactum unionis sunt, quod ea nullo modo respicit. Æquitas hæc naturalis adeo manifesta est, ut eam facile agnoverint, qui de unione prolium ex instituto scripserunt *Jacobus Rickius* c. 7. & *Burchardus Bardili* th. 33.

§. 816.

Liberi uniti communi sumtu ab unientibus educandi, nisi quatenus fructibus ex bonis propriis, quæ habent, sumtus educationis sustentari possunt. Etenim unione prolium liberi ex diversis matrimoniis ita parificantur, ac si ex utroque unientium geniti essent, quoad jura filiationis (§. 810.), consequenter omnes simul spectantur tanquam liberi naturales utriusque conjugis. Enimvero uterque conjux ad sumtus educationis conferre tenetur, quod potest, ac præterea eas facere in eandem impensas, quas facere potest (§. 445.), consequenter liberos naturales, seu ex matrimonio ab ipsis contracto natos communi sumtu educare tenetur. Quamobrem liberi quoque uniti communi sumtu ab unientibus sunt educandi. *Quod erat unum.* *De educatione liberorum unitorum.*

Enimvero si liberis aliunde obveniant bona, sumtus educationis sustentare licet subsidio fructuum (§. 527.). Quamobrem cum unio prolium non afficiat bona, quæ liberi uniti ex priori matrimonio habent (§. 814.), aut quæ ipsis facta unione aliunde obveniunt (§. 815.); si uniti bona habeant propria, subsidio fructuum sumtus educationis sustentari possunt. *Quod erat alterum.*

Quæ igitur de educatione liberorum naturalium demonstrata sunt in anterioribus, eadem quoque valent de educatione unitorum. Unio enim pares efficit unitos quoad jura liberorum, nisi quod diverso modo debeantur, quæ educationis causa fiunt ac fieri debent. Liberis enim naturalibus debentur naturaliter propter generationem, ex qua fluit educandi obligatio (§. 263.): unitis autem ex diverso matrimonio ex pacto (§. 810.), quod naturaliter obligatorium est (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 817.

Naturaliter a voluntate unientium dependet, quomodo seu qua lege liberos ex diversis matrimoniis unire velint. Etenim unione prolium in liberos ex priori matrimonio natos transfertur jus, quod ipsis competeret, si ex novo matrimonio nati fuissent (§. 810.). Quoniam itaque a transferentis voluntate unice dependet, quomodo seu qua lege jus aliquod in alterum transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*); naturaliter quoque a voluntate unientium dependet, quomodo seu qua lege liberos ex diversis matrimoniis unire velint. *Qua lege unio prolium naturaliter fieri debeat.*

Quoniam libertas naturalis non tollit obligationem (§. 159. *part.* 1. *Jur. nat.*); facile patet, dum unientes dant unioni legem, eos rationem habere debere officii lege naturali præscripti (§. 812.).

§. 818.

BIU Cujas

§. 818.

De unione pura, conditionata, revocabili & irrevocabili.

Quoniam naturaliter a voluntate unientium dependet, quomodo, seu quæ lege liberos ex diversis matrimoniis unire velint (§. 817.), consequenter in liberos ex diverso matrimonio natos jus liberorum naturalium transferre (§. 811.), jus vero in alterum transferri potest, vel pure, vel sub conditione (§. 673. 678. *part.* 2. *Jur. nat.*), revocabiliter & irrevocabiliter (§. 16. *part.* 3. *Jur. nat.*); *unio* quoque *prolium fieri potest tam pure, quam conditionate, seu sub conditione quacunque honesta, & tam revocabiliter quam irrevocabiliter.* Patet autem, *puram & irrevocabilem intelligi, nisi de conditione sub qua facta esse debeat, & irrevocabilitate expresse fuerit conventum.*

Valet nimirum adversus unientem, quod sufficienter indicavit (§. 428. *part.* 3. *Jur. natur.*), consequenter conditio tacite adjecta non intelligitur, nec præsumitur uniens sibi reservasse revocabilitatem, quando de ea nihil dixit. Exemplum unionis conditionatæ esto, ut liberi ex diversis matrimoniis parificentur, nisi ex matrimonio novo nascantur liberi quatuor, vel plures, vel si liberorum bona propria non excedant hæreditatem ex unione consequendam. Ita quoque uniens sibi reservare potest jus revocandi unionem, si in casu postea emergente existimet, liberis suis seu ex se natis magis consultum esse, ne sint uniti; quæ reservatio convenit officio parentum erga liberos (§. 730.).

§. 819.

Leges particulares quæ unioni adjici possunt.

Ex eadem ratione patet, *unionem ea lege fieri posse, ut vel simpliciter, vel certo casu afficiat bona unitorum, quæ ex priori matrimonio habent, vel etiam facta unione iisdem obveniunt ex casu quodam præviso; ut parentes* quoque *unientes parificentur quoad jus succedendi in bonis liberorum unitorum prædefunctorum; ut liberi uniti sibi invicem succedant, si improles decedunt, ne fructibus bonorum propriorum sustententur sumtus educationis* & quæ sunt alia ejusmodi.

In statu nimirum naturali, qualem hic supponimus, non dantur leges positivæ, quæ jus unientium minuunt, nec valent mores, nisi quatenus iis conformiter agendo tacite approbantur. Nec in genere dici potest, quænam lex unioni adjicienda æquitati magis conveniat, quænam minus: etenim hoc pendet a circumstantiis particularibus, pro quarum diversitate æquum intelligitur, quod sub aliis foret iniquum. Sed quoniam talia haud difficulter dijudicantur ex iis, quæ de officiis parentum erga liberos demonstrata sunt; ad ea discutienda non non *progredimur*. Et ob similem rationem non expendimus jura, quæ ex diversa lege unionis nascuntur.

§. 820.

De consensu uniendorum.

Si liberi uniendi per ætatem consentire possunt, eorum consensus ad unionem requiritur: si nondum possunt, vel unio fieri debet sub conditione ratihabitionis, ubi consentire poterunt, vel eorum nomine consensum impartiales alii impertire tenentur. Quoniam enim in pacto unionis de jure liberorum disponitur (§. 810.), consequenter ab ipsorum voluntate dependet, utrum jura quædam sibi competentia cum aliis communicare velint, nec ne (§. 7. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*); si liberi uniendi per ætatem consentire possunt, eorum utique consensus ad unionem requiritur. *Quod erat primum.*

Quodsi per ætatem consentire nondum possunt, per se patet, quod idem ad unionem perficiendam requiri nequeat. Enimvero quoniam unio etiam fieri potest sub quacunque conditione honesta (§. 818.); fieri utique etiam potest sub hac conditione, si uniti eam ratihabuerint, quando per ætatem consentire poterunt. *Quod erat secundum.*

Enimvero quoniam consensus eorum, consequenter ratihabitio facile præsumitur, si unio cedat in ipsorum commodum, nec eadem ipsi defraudentur, impartialis vero

uni

BIU Cujas

uni parti non magis favet, quam alteri (§. 934. *part.* 5. *Jur. nat.*), consequenter in praesenti casu non probabit unionem, quae liberis uniendis sit damnosa, nec consentiet, ut uniendorum unus sub obtentu unionis insidiose inhiet bonis alterius, aut liberis, quos ex priori matrimonio habet, consulat cum detrimento liberorum, quae ex priori matrimonio sunt alteri, non una autem de causa istiusmodi impartialitas ab iis, qui matrimonium contrahunt, praesumi nequit; si liberi per aetatem consentire nequeunt, nec sub conditione ratihabitionis unio perfici potest; quin loco liberorum uniendorum consensus inpartialium adhiberi possit, dubitandum non est. *Quod erat tertium.*

Equidem si parentes prolem suam amarent, quemadmodum debent, minime verendum foret, ne unione prolium liberis ex priori matrimonio praejudicium fieret; quoniam tamen cupido habendi facile impellit homines ad defraudandum alios, ubi juris obtentu alios defraudare possunt, ac praeterea plures sunt rationes, ob quas ad secunda vota transeuntes liberorum ex priori matrimonio genitorum curam non habent, quam habere debebant, ideo praesumere non licet, quod parentes in unione prolium rectius perpendant aliis, quid e re uniendorum sit, ne unio iisdem magis officiat, quam prosit. Quamobrem plus valet aliorum impartialium, quorum non interest, utrum unio fiat, nec ne, judicium, quam parentum. Istiusmodi autem impartiales sunt viri boni (§. 967. *part.* 5. *Jur. nat.*), & qui tales praesumuntur, tutores, cognati uniendorum & amici parentis defuncti. Non est, quod exspias, si per aetatem uniendi ipsi consentire nondum possunt, unionem semper fieri debere sub conditione ratihabitionis. Casus enim emergere possunt, ubi consultius est unionem esse validam, antequam illa conditio existere potest, veluti si is, cui vi unionis succedendum, moriatur, antequam uniti ad eam aetatem pervenerint, qua consentire valent. Immo fieri quoque potest, ut quis matrimonium contrahere nolit nisi sub conditione unionis purae. Notandum quoque est, naturaliter non repugnare, ut manifestum sit unitorum commodum, veluti si spes lucri quidem adsit, absit vero omnis metus damni, e. gr. quando pars una uniendum tantummodo habeat liberos ex priori matrimonio, & unio fiat ea lege, ne afficiat bona eorum, quae ex priori matrimonio habent, nec parti alteri, cui vi unionis succedunt, acquiratur jus reciprocum succedendi in bonis unitorum, neque etiam qui uniuntur cum nascendis quoad successionem inter se fratribus germanis aequiparentur (§. 819.). In hoc igitur casu consensu impartialium non videtur esse opus. Enimvero non sufficit recte agere, sed curare quoque debemus, quantum datur, ut alii agnoscant, nos recte agere (§. 545. *part.* 1. *Jur. nat.*), praesertim ubi facile suspicionem incurrere possumus, quasi recte non egerimus, vel agere noluerimus (§. 555. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem consensus aliorum impartialium Jure naturae ne tunc quidem superfluus censeri debet, ut ideo casus excipiendus non fuerit.

§. 821.

De unione, si ex posteriori matrimonio non nascantur liberi.

Si pars una saltem habeat liberos ex priori matrimonio, unio valet, etiamsi ex posteriori matrimonio nulli nascantur liberi, nisi expresse aliter conveniatur. Quoniam enim incertum est, utrum ex posteriori matrimonio nascendi sint liberi, nec ne; si pars una saltem habeat liberos ex priori matrimonio & inter contrahentes conveniatur, ut iidem nascendis parificentur, unio fit pure, seu absque ulla conditione, sub spe liberos natum iri, consequenter id aliter intelligi nequit, nisi ut liberi prioris matrimonii spectentur tanquam ex utroque conjuge, seu matrimonio posteriori nati & jus filiationis respectu partis improlis habere debeant (§. 810. 811.). Quamobrem cum contra paciscentes pro vero habeatur, quod sufficienter indicarunt (§. 428. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*); si pars una saltem habeat liberos ex priori matrimonio, unio subsistit, etiamsi ex posteriori matrimonio nulli nascantur liberi. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam unio etiam fieri potest sub quacunque conditione honesta (§. 818.), quin etiam fieri possit sub hac conditione, si nascantur ex posteriori matrimonio liberi, dubium nullum superesse potest. Quamobrem cum promissio conditionata non ante intelligatur valida, quam ubi conditio existit (§. 467. *part.* 3. *Jur. nat.*), hac autem deficiente evanescit (§. 534. *part.* 3. *Jur. nat.*); si pars una saltem habeat liberos ex priori matrimonio, & unio fiat sub expressa conditione, siquidem ex posteriori matrimonio nascantur liberi, ea non subsistit, si nulli nascantur. *Quod erat alterum.*

BIU Cujas

Facile patet, conditionem hanc non inutiliter adjici eo in casu, quo unio afficere debet bona, quæ liberi uniri ex priori matrimonio habent, jus vero nullum succedendi in eorum bonis acquiritur unienti. Neque minus manifesta est absurditas promissionem pure factam habere velle pro conditionata (§. 504. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 822.

De liberis posterioris matrimonii prædefunctis.

Quoniam si pars una saltem habeat liberos ex priori matrimonio, unio valet, etiamsi ex posteriori matrimonio nulli nascantur liberi, nisi expresse conveniatur aliter (§. 821.), perinde vero est, sive ex posteriori matrimonio liberi nulli nascantur, sive nati vivis adhuc unientibus moriantur; *unio* etiam *subsistit, etiamsi liberi ex posteriori matrimonio nati ante parentes iterum moriantur, nisi expresse aliter conveniatur* (§. 818.).

In unione prolium non attenduntur casus, de quibus expresse nil dictum, nisi probabiles admodum adsint rationes, ob quas casus aliquis tacite exceptus intelligatur. Standum omnino est iis, quæ verbis expressis, quorum manifestus est significatus, indicata fuerunt (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*), nisi omnem a negotiis humanis certitudinem removere volueris: quod in moralibus recte pro absurdo habetur.

§. 823.

De liberis prioris matrimonii ante unientes mortuis.

Si liberi, quos pars una ex priori matrimonio habet, ante unientes moriantur; unio prolium subsistit, nec quicquam in ea immutatur, nisi expresse aliter fuerit conventum. Quoniam enim incertum est, utrum liberi prioris matrimonii unientibus sint supervicturi, nec ne, in pacto autem unionis de eo nihil expresse dicitur, *per hypothesin;* unio pure, seu absque ulla conditione facta intelligitur sub spe, eos unientibus supervicturos esse. Unde porro eodem, quo ante (§. 821.), modo patet, unionem subsistere, etiamsi liberi, quos pars una ex priori matrimonio habet, ante unientes moriantur. *Quod erat unum.*

Eandem vero non subsistere, si liberi, quos pars una ex priori matrimonio habet, ante unientes moriantur, ubi expresse ita fuerit conventum, eodem modo patet, quo paulo ante ostendimus non subsistere unionem, si ex posteriori matrimonio nulli nascantur liberi, siquidem ita fuerit conventum (§. 821.). *Quod erat alterum.*

Cum parentes pactum unionis prolium ineuntes probe perpendere debeant, ne per eandem conditio liberorum, quos ex priori matrimonio habent, deterior fiat (§. 812.), ac idem omnino etiam considerare teneantur, qui loco liberorum, per ætatem consentire nondum valentium, consensum in unionem impertiuntur (§. 820.); tam unientes, quam unionem liberorum uniendorum loco consentientes horum quoque ætatem ac valetudinem expendere debent.

§. 824.

De tempore unionis prolium.

Unio prolium fieri potest, tum quando matrimonium contrahitur, tum matrimonio jam consummato, quovis tempore. Per se patet, unionem prolium non pertinere ad matrimonium, ita ut sine ea contrahi non possit (§. 270.): Nec minus patet, liberos prioris matrimonii parificari, consequenter unionem fieri posse (§. 810.), etiamsi matrimonium jam fuerit contractum. Quoniam itaque necesse non est, ut unio ista fiat, dum matrimonium contrahitur, nec quicquam obstet, quo minus fiat matrimonio jam consummato, quovis tempore; ea quoque fieri potest cum statim, quando matrimonium contrahitur, tum matrimonio jam consummato, quovis tempore.

Quoniam officii parentum est, ne liberorum prioris matrimonii conditio per unionem reddatur deterior (§. 812.); contingere utique potest, ut unio prolium matrimonio jam contracto facta

BIU Cujas

facta officio isti conveniat, quæ tempore matrimonii contracti eidem adversabatur. Immo durante matrimonio parentibus quoque offerre sese possunt uniendi motiva, quæ, cum matrimonium contraherent, non aderant.

§. 825.

Unio prolium revocari nequit liberis invitis; consensu tamen eorum potest. Etenim ex pacto unionis jus liberis quæsitum est (§. 810.), vel expresso eorum consensu, vel consensu, illorum, in quos a contrahentibus jus acceptandi collatum (§. 820.). Cum igitur id invitis auferri nequeat (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); nec parentes declarare possunt, quod idem ipsis competere non debeat. Unio igitur prolium liberis invitis revocari nequit (§. 741. *part.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat unum.* *De revocatione unionis prolium.*

Quoniam tamen quilibet jus suum remittere potest, quando nihil committitur contra jus tertii (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); quin liberorum consensu unio prolium revocari possit, dubitandum non est (§. 95. 741. *p.* 3. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Non est quod excipias, revocari posse unionem prolium saltem eo in casu, quo sub conditione ratihabitionis contracta. Cum enim tum contineat promissionem conditionatam, promissio autem conditionata revocari nequeat (§. 600. *part.* 3. *Jur. nat.*); nec unio sub conditione ratihabitionis facta revocari potest sine liberorum consensu. Non est quod porro excipias, quamdiu nondum constat, utrum liberi unionem acceptaturi sint, nec ne, parentes promissiones sibi invicem reciproce factas remittere posse (§. 749. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quoniam enim parentes facere tenentur, quamdiu liberi per se facere non possunt, quod debent (§. 641.); iidem de unione convenientes, quæ sine ipsorum consensu perfici non poterat (§. 820.), in acceptando liberorum quoque personam repræsentasse intelliguntur, & liberi in unionem conditionatam actu consensisse censentur. Perinde nimirum est, ac si dixissent liberi, se acceptare unionem sub ea conditione, si eam sibi commodam deprehensuri sint, ubi singula accurate perpendere potuerint.

§. 826.

Pater filiam uxorem ducere nequit, nec mater filio nubere potest, seu matrimonium inter parentes & liberos naturaliter illicitum. Liberi parentes magni facere debent (§. 751.), ac honorare (§. 752.), consequenter cum eos considerare teneantur tanquam benefactores maximos (§. 738.), eosdem majoris facere debent quam se & homines ceteros omnes (§. 839. *part.* 3. *Jur. nat.*), ac ideo honorem singularem exhibere, qualem minime exhibere tenentur aliis (§. 841. *part.* 1. *Jur. nat.*), seu reverentiam filialem (§. 1182. *part.* 1. *Jur. nat.*). Enimvero conjuges arctissime ita uniuntur, ut instar unius personæ spectari debeant, nec ita cum persona alia uniri possunt (§. 469.), consequenter conjux unus alterum spectare debet tanquam sibi æqualem. Reverentia itaque a liberis debita parentibus subsistere nequit in matrimonio, cui præterea ea detrahit familiaris illa consuetudo, quæ inter conjuges intercedit. Quamobrem cum obligatio naturalis sit necessaria ac immutabilis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter juri naturæ adversetur, quod reverentiæ filiali erga parentes repugnat; matrimonium inter parentes & liberos naturaliter illicitum (§. 170. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter pater filiam uxorem ducere, mater filio nubere nequit. *An matrimonium inter parentes & liberos naturaliter sit illicitum.*

Qui cum *Diogene* & *Chrysippo* probare volunt matrimonium inter parentes & liberos contractum non esse contra jus naturæ argumento a gallis gallinaceis aliisque animantibus brutis petito, perperam supponunt, contra jus naturæ non esse, quod rationem sufficientem minime habet in natura hominum ac brutorum communi. Etenim homo non modo animal est, sed præterea ratione præditus, quæ a brutis animalibus differt. Videndum itaque etiam est, annon rationem sufficientem in natura hominum propria deprehendere detur, cur matrimonium inter parentes ac liberos contrahi nequeat. Istiusmodi autem ratio utique est repugnantia matrimonii cum reverentia filiali, quod paritatem quandam inducit huic adversam. Neque igitur opus est, ut in natura hominum & brutorum communi, veluti in appetitu sensitivo, vel aversatione sensitiva quæratur ratio prohibitionis, tanquam in primis naturæ (§. 80. *p.* 2. *Jur. nat.*), quibus conformanda ratio (§. 154. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quemadmodum facere volunt, qui

BIU Cujas

ad horrorem nescio quem naturalem provocant, seu insitam fugam commixtionis cum parentibus & ex se natis (§. 813. *Psychol. empir.*). Cum enim integræ prostent gentes, quas inter Persas & Arabes nominasse sufficiat, apud quas matrimonia parentum cum liberis fuerunt frequentia, fuga ista diuturnis magis moribus, quam principio cuidam natura hominibus omnibus insito deberi videtur. Huc quoque referri potest mos incolarum insulæ Zeylon, ubi pater filiæ nubentis virginitatem delibat, cum æquum arbitrentur, ut ex arbore, quam ipse plantavit, primos fructus carpat. Quamvis enim ratio hæc satis prodat turpitudinem naturalem hujus concubitus (§. 246.); mos tamen ipse ostendit, incolas illius regionis horrorem naturalem prorsus nescire. Quod vero *Puffendorfius* lib. 6. cap. 1. §. 32. de J. N. & G. existimet, pudorem circa partes genitales actumque generationis potissimum in causa esse, quare ipso Jure naturæ inter ascendentes & descendentes in recta linea connubia censeantur prohibita, ac illo remoto adeo absurdum non esse, ut mater cum filio jungatur, cum non repugnet maritum uxori ob virtutem, sapientiam aut nobilitatem reverentiam exhibere, multoque minus absurdum esse, ut pater uxorem ducat filiam, quæ patri marito filialem reverentiam cum obsequio conjugali exhibeat; id omnino inde venit, quod, qualis sit filialis reverentia non satis animo comprehenderit, nec quomodo eam successive imminuat, ac tandem prorsus extinguat familiaris illa conjugum consuetudo satis perpenderit. Sane pudor, qui nuditatem plenam, seu ad ipsa membra genitalia extensam comitatur, non magis naturalis dici potest, quam horror ille naturalis, de quo modo diximus. Ipse nimirum *Puffendorfius* loc. cit. §. 29. 30. gentes plures nominat, apud quas membris genitalibus nulla adhæsit, vel etiamnum adhæret verecundia. Huc inprimis pertinet, quod apud Cafares fœminæ, si quid ipsis donatum fuerit, pudenda civilitatis causa detegant. Quamvis enim pudorem istum minime improbemus, nec eum rationi convenire diffiteamur; inde tamen nondum sequitur, eum homini natura esse insitum, ut per se sufficiat matrimonium parentum cum liberis irritum efficiendi. Pudorem istum tollit matrimonium. Quodsi ergo subsistere debeat inter parentes atque liberos, alia adsit necesse est ratio, nimirum ut salvo liberorum erga parentes officio tolli nequeat. Urgent etiam nonnulli contra matrimonium liberorum cum parentibus contrahendum confusionem nominum, veluti quod eadem personam sit pater atque frater, vel mater atque soror; sed hi precario sumunt, istiusmodi nominum confusionem lege naturæ prohibitam esse, seu naturæ humanæ repugnare. Nisi ex repugnantia officiorum liberorum erga parentes cum matrimonio eorum cum parentibus ineundo deducere voluerit, istud matrimonii genus legi naturæ adversari, nihil efficies.

§. 827.

De reverentia parentibus superioris gradus debita.

Parentibus superioris ordinis liberi inferioris ordinis non minorem honorem seu reverentiam debent, quam parentibus primi gradus. Parentes enim primi gradus veneramur tanquam vitæ nostræ autores & educatores, quibus per consequens accepta ferimus omnia, quæ inde dependent, quod in rerum natura existimus & vitam hominum vivimus. Enimvero nisi eodem modo a parentibus suis primi gradus, hoc est, a parentibus nostris gradus superioris dependerent parentes nostri primi gradus, nec nos in rerum natura existeremus, nec educati fuissemus, ut vitam hominis viveremus, ac per consequens nihil eorum haberemus, quæ inde quomodocunque dependent. Patet itaque nos etiam parentes superiorum graduum, seu ordinis superioris venerari debere tanquam vitæ nostræ autores & eos, quibus acceptum ferre tenemur, quod educati fuerimus & ea habeamus, quæ inde quomodocunque pendent. Parentibus itaque superioris ordinis liberi inferioris ordinis non minorem honorem, seu reverentiam debent, quam parentibus primi gradus.

Qui vim demonstrationis præsentis percipere voluerit, is perpendere debet, quomodo per continuam causarum in certa serie existentium a se invicem dependentiam actus eorum determinatur, quæ contingenter existunt, vel fiunt (§. 83. *Cosmol.*). Ita etiam absque ulla difficultate patebit, quod quæ parentibus primi gradus immediate accepta ferimus, eadem mediate referre debeamus avo & aviæ, atque sic porro parentibus graduum superiorum. Parentes, qui liberos generant & educant, ut genus humanum propagetur & conservetur, etiam intendunt, ut liberi sui generent liberos & genus suum propagent atque conservent, certe intendere debent, nisi mentem a ratione avertant, consequenter quando curæ ipsis est, ut liberi sint felices (§. 710.) ac fortunati (§. 732.), curæ iisdem quoque est, ut liberi inferioris gradus sint felices ac fortunati. Plus autem ab iis exigi non potest, quam quod non impossibile (§. 209. *p. I. Phil. pract. univ.*). Sufficit itaque ea contulisse, quæ a causa remotiori conferri possunt, sane nec a parentibus primi gradus plus exigitur, quam quod in eorum potestate est, in ceteris sufficit voluntas, quæ in pia vota abit, & providentiæ divinæ liberos commendat. Ratio igitur

BIU Cujas

tur præstandæ reverentiæ non minus deprehenditur in parentibus graduum superiorum, quam in iis, qui in gradu primo constituuntur. Omnes sunt ortus nostri ac ceterorum, quæ inde pendent, autores, etsi per naturæ consuetudinem aliæ deinceps causæ ad ea concurrant, quæ arctissimo quodam nexu omnia inter se copulavit.

§. 828.

De matrimoniis in linea recta in infinitum prohibitis.

Naturaliter in linea recta seu inter ascendentes & descendentes matrimonia in infinitum prohibita sunt. In linea recta enim constituuntur parentes cujuscunque gradus & liberi cujuscunque gradus (§. 575. & seqq.), nec personæ aliæ, nisi quæ ad se invicem referuntur sicuti genitæ ad generantes. Quoniam itaque parentibus superioris ordinis liberi inferioris ordinis non minorem honorem debent, seu reverentiam, quam parentibus primi gradus (§. 827.); hinc porro eodem modo ostenditur, naturaliter in linea recta, seu inter ascendentes & descendentes matrimonia in infinitum prohibita esse, quo idem demonstravimus de matrimonio patris cum filia & filii cum matre (§. 826.).

Socrates, referente *Xenophonte* l. 4. Memorab., in matrimoniis istiusmodi nihil inveniri sibi persuasit, quod reprehendi possit, quam ætatis disparitatem, unde aut sterilitas sequatur, aut male conformata soboles. Facile autem apparet, rationem hanc generalem esse, quæ si valere debeat, ad matrimonium omnium personarum disparis ætatis trahenda, cum tamen lege naturali non interdicantur matrimonia nisi iis, qui inhabiles sunt. Facile tamen largior *Socrati* juri naturæ perfectivo magis convenire matrimonia inter eas personas contracta, quæ ambæ sunt vegetis corporibus, quam quarum una ad ætatem vegetam nec dum accessit, altera vero jam prætergressa est eam, aut in quibus simul alterutrum vitium hæret (§. 193. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Multa etiam quoad matrimonium conveniunt Juri naturæ perfectivo, quæ tamen ubi absunt matrimonium non faciunt irritum. Juri naturæ convenit, ut quis ante se regere discat, quam regere velit familiam: quod officium graviter inculcavit suis *Confucius*. Quamobrem cum matrimonium contrahatur non modo sobolis procreandæ, verum etiam educandæ gratia (§. 270.), ad educationem vero requiratur regimen liberorum (§. 661.); juri naturæ perfectivo utique convenit, ut quis ante se regere possit, quam matrimonium ineat. Ecquis vero ideo matrimonia illorum irrita pronunciare ausit, ac lege naturæ prohibita, quæ contrahuntur a personis seipsas regere nondum valentibus?

§. 829.

An inter fratrem & sororem matrimonium sit naturaliter illicitum.

Jure naturali matrimonium inter fratrem & sororem non est illicitum. Frater & soror per generationem a communibus parentibus descendunt (§. 595.). Ast per se patet, hoc minime obstare, quo minus ex se sobolem procreare & procreatam educare possint, consequenter finem matrimonii consequi (§. 270.). Nulla quoque dantur peculiaria officia fratrum & sororum erga se invicem, quæ sint diversa ab iis, quæ jure humanitatis debentur, etsi natura ob communem ortum eos sibi invicem magis commendet, quam homines ceteros, ut in casu collisionis præferantur ceteris & turpius judicetur ea denegare fratri, vel sorori, quam personæ cuidam extraneæ, quod facile conceditur. Officia itaque, quæ frater & soror sibi invicem debent, in matrimonio quoque subsistere possunt, cum lex naturæ conjugem conjugi ad ea commendet (§. 470.). Quamobrem nec moralis datur ratio, cur matrimonium inire nequeant frater atque soror. Quoniam igitur jus naturæ nil definit, nisi quod rationem sufficientem in natura hominis habet (§. 135. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), eodem prohibita, consequenter illicita esse nequeunt matrimonia inter sororem atque fratrem (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Non solum *Michael Ephesius* ad quintum Nicomachorum refert, fratrem cum sorore concumbere ab initio rem mediam fuisse, postea vero adversus tales concubitus legem positam fuisse; verum etiam scriptura sacra idem confirmat, quæ cum omne humanum genus a duobus conjugibus deducat, Adamo scilicet atque Eva, matrimonium inter fratres atque sorores contractum fuisse insinuat. Bene autem observat *Puffendorfius* de J. N. & G. lib. 6. c. 1. §. 34. non vero simile videri, Deum ejusmodi casum procurasse, ut omnino vis legi naturæ esset inferenda, dum speciem humanam propagari jubet, immo voluisse, ut totum genus humanum ex incestis nuptiis pro-

propagaretur. Immo cum communi hominum more istiusmodi matrimonia jam improbarentur, *Diodorus* tamen *Siculus* Ægyptios ab eo eximit, ut taceam Persas, apud quos ne inter ascendentes quidem ac descendentes (*not.* §. 826.), multo minus inter fratres atque sorores matrimonia erant prohibita, atque complures alios. Et *Puffendorfius* cum ex Historia sacra, tum profana l. cit. plura adducit horum matrimoniorum exempla. Ratio, quam nonnulli afferunt, quod eorum convictus quotidianus & inobservatus stupris & adulteriis occasionem valde promptam esset daturus, si amores tales nuptiis possent conglutinari, sufficit equidem, ut lege positiva prohibeantur, non vero naturalem quandam turpitudinem, seu labem matrimonio fratrum atque sororum per se inhærentem ostendit, ob quam Juri naturæ repugnent. Quid vero sentiendum sit de verecundia naturali, quam nonnulli etiam ad fratres atque sorores, immo personas alias consanguinitatis vinculo junctas extendunt; ex antea dictis (*not.* §. *cit.*) liquet.

§. 830.

An matrimonia in gradu remotiori collateralium & inter affines sint prohibita naturaliter.

Quoniam Jure naturali *matrimonium* inter fratrem atque sororem (§. 829.), consequenter in primo gradu collateralium (§. 595.), illicitum non est; *nec erit illicitum in gradu secundo, vel ulteriori collateralium, multoque minus inter affines, qui sine ullo naturali vinculo junguntur* (§. 607.).

Rationes nimirum, quas nonnulli in contrarium afferunt, vel eædem sunt cum iis, quas contra matrimonium sororum atque fratrum urgent, vel in certis personis respectum parentelæ superaddunt, quod scilicet quædam personæ respectu aliorum sint quasi loco parentum, veluti patruus & avunculus, amita & matertera in genere consanguineorum, & vitricus atque noverca in genere affinium. Cum in linea recta matrimoniis inter ascendentes & descendentes nil obstet præter reverentiam a descendentibus debitam ascendentibus, tanquam ortus sui autoribus, quemadmodum ex demonstrationibus anterioribus liquet (§. 826. 828.), qui vero quasi loco parentum esse dicuntur, non sint ortus nostri autores, consequenter nec filialis reverentia ad respectum parentelæ trahi possit (§. 118. *Ontol.*); prohibitio quoque conjugiorum inter ascendentes ac descendentes ob respectum parentelæ ad cognatos quosdam collaterales atque affines extendi nequit (§. *cit. Ontol.*). Naturaliter itaque nihil obstat, quo minus matrimonium ineatur inter cognatos quoscunque collaterales, nec non inter affines cujuscunque generis. Quemadmodum vero suo loco ostendemus, Jure naturæ haud invito, immo haud raro urgente, lege positiva ex naturaliter licito fieri posse illicitum, quod ipsa lege naturæ jubente pro licito non amplius habendum; ita idem quoque valet de matrimoniis collateralium & affinium lege positiva prohibitorum, etsi naturaliter non illicitorum. Quænam vero rationes conveniant Juri naturali, ob quas in statu civili matrimonia quædam naturaliter licita prohibeantur, suo loco disquirendum. Cum rationes sufficientes non desint, cur lege positiva prohibeantur matrimonia naturaliter licita, lege naturæ non dissentiente, mirum quoque videri non debet, quod Deus per Mosen Hebræis matrimonia inter plures consanguineos atque affines prohibuerit, & respectu illarum personarum præceperit verecundiam, quæ per consuetudinem quasi naturalis effecta esset instar sæpti ad coercendos impetus in commixtiones corporum prohibitas. Et quoniam Apostolus 1. Cor. v. 1. & *seqq.* in cœtu Christianorum tolerare noluit hominem, qui novercam uxorem duxerat; inde omnino colligitur voluisse Deum, ut eadem matrimonia, quæ in lege Mosaica prohibita sunt, illicita quoque sint christianis.

§. 831.

De educatione liberorum inferioris gradus.

Si parentes moriantur, antequam liberi fuerint educati; parentes superioris gradus, veluti avus & avia, eos educare obligantur. Quoniam enim homines generantur, ut genus humanum propagetur (§. 264.); avus & avia ideo generarunt liberos, ut ex iis porro procreentur liberi alii. Quoniam vero liberi aliena educatione indigent (§. 256.), nec educatio a generatione separari potest (§. 262.); qui liberos generant, ut hi porro generent alios, ii etiam hos obligantur educare, si ipsorum generatores proximi, sive parentes primi gradus moriantur, antequam ipsi educati fuerint. Quamobrem si parentes moriantur, antequam liberi fuerint educati, parentes superioris gradus, veluti avus & avia, eos educare obligantur.

Genus humanum propagari nequit nisi per continuatas generationes, nec idem propagatur per solam generationem, sed eidem accedentem educationem. Qui adeo concurrit ad generationem, is etiam concurrere debet ad educationem, quando concursu ejusdem opus est. Cumque gene-

BIU Cujas

neratio & educatio ſpectentur propter individuum nexum tanquam unus actus, quo genus humanum propagatur; quod quis per alios abſolvere nequit, id ipſe facere tenetur. Iniquum itaque videri nequit, quod parentes ſuperioris gradus, veluti avus & avia, onus educationis liberorum inferioris gradus, veluti nepotis ac neptis, in ſe ſuſcipere teneantur, ſi parentes ipſorum moriantur, antequam eos educare potuerint. Quemadmodum ipſis debetur reverentia filialis a nepotibus ac neptibus (§. 827.); ita quoque ipſimet iiſdem debent eam curam, ſine qua educari nequeunt.

§. 832.

Idem porro expenditur.

Quoniam perinde eſt, ſive parentes moriantur, antequam liberi fuerint educati, ſive eos ob inopiam educare non poſſint, aut educationem negligenter curent, quando autem parentes moriuntur, antequam liberi fuerint educati, parentes ſuperioris gradus, veluti avus & avia, eos educare obligantur (§. 381.); *ſi parentes ob inopiam liberos educare non poſſint, vel eorundem educationem negligant, parentes ſuperioris gradus, veluti avus & avia, eos educare tenentur.* Hinc facile intelligitur, *eoſdem etiam vivis parentibus ad educationem nepotum atque neptium conferre debere, quod conferre poſſunt, ac ferre opem in iis, in quibus ea requiritur.*

Patet itaque, parentes ſuperioris gradus non abjicere debere omnem educationis nepotum atque neptium curam, etiamſi parentes primi gradus habeant, unde ſumtus educationis ſuſtentent; ſed ſollicite potius attendere, utrum recte educentur, nec ne, immo quantum poſſunt levare onus educationis ope ac conſilio.

§. 833.

De parentibus morientibus antequam liberi fuerint educati.

Si parentes moriantur, antequam liberi fuerint educati, & parentes ſuperioris gradus jam fuerint prædefuncti, illi curam educationis aliis committere debent, quos eam diligenter curaturos confidunt. Immo idem facere tenetur pater moribundus, ſi matrem ſolam eidem non ſufficere norit, ac de matre moribunda idem intelligitur. Etenim parentes obligantur ſobolem ſuam educare (§. 263.), &, ſi moriantur, antequam educati fuerint, nepotes ac neptes educare obligantur parentes ſuperioris gradus, veluti avus & avia (§. 831.). Quamobrem quod per ſe facere non poſſunt, ubi deſunt alii, qui idem onus in ſe ſuſcipere tenentur, id ut per alios fiat curare debent. Quodſi ergo moriantur, antequam liberi fuerint educati, & parentes ſuperioris gradus, ad quos poſt illorum obitum educatio ſpectat (§. 831.), fuerint prædefuncti, illi curam educationis poſt mortem ſuam aliis committere debent. *Quod erat primum.*

Enimvero cum obligemur ad actionum rectitudinem (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam parentibus curæ eſſe debeat, ut liberi recte educentur; curam educationis poſt obitum ſuum iis committere debent, quos eam diligenter curaturos confidant. *Quod erat ſecundum.*

Et quoniam uterque parens ſobolem ſuam educare obligatur (§. 263.), ſi pater norit, matrem ſolam educationi non ſufficere, prolem ſuam eodem modo alii demandare debere intelligitur, quo omnem curam educationis aliis committendam oſtendimus *n.* 1. Et ex eadem ratione idem liquet de matre, ſi norit patrem ſolum educationem non ſatis recte curaturum. *Quod erat tertium.*

Imaginem hujus juris conſpicimus in ipſis brutis, quæ cum moriuntur, antequam fœtus ſui ex ovulis, quæ depoſuerunt, fuerint excluſi, per ſpeciem quandam providentiæ educationi prolis ſuæ conſulunt. Exemplum habemus in papilionibus ova ſua ibi locorum deponentibus, ubi erucæ excluſæ pabulum commodum ſtatim inveniunt.

BIU Cujas

§. 834.

De beneficiis parentibus in liberis præstandis,

Parentibus beneficia præstari possunt in liberis. Quoniam parentibus curæ esse debet, ut liberi sint felices (§. 710.), & pro virili operam dare tenentur, ut fiant fortunati (§. 732.), consequenter bonorum fortunæ participes (§. 409. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), beneficia autem ad felicitatem accipientium aliquid conferunt (§. 34. *part.* 4. *Jur. nat.*), vel etiam ad bona fortunæ (§. 21. *part.* 4. *Jur. nat.*); si liberis beneficia præstantur, perinde censeri debet, ac si ea in ipsos parentes fuissent collata. Quamobrem parentibus beneficia præstari possunt in liberis.

Amor ille naturalis parentibus erga prolem suam insitus (§. 257.) quem ratio alit ac fovet (§. 715.), arctissimo quodam vinculo parentes ac liberos unit, ut illi hos confiderent tanquam seipsos (§. 659. *Psych. empir.*), ac ideo beneficia, quæ in liberos conferuntur, tanquam sibi præstita agnoscant. Ea de causa ipsa quasi natura docet homines, parentibus beneficia præstari posse in liberis, ac vulgo id sumitur tanquam natura notum, & beneficia liberis præstita ab ipsis benefactoribus tanquam in parentes collata allegantur. Immo parentes amicis suis ac patronis commendant liberos suos, quos sibi bene cupere norint.

§. 835.

De reddendo alteri beneficio in liberis.

Quoniam beneficium reddit, qui beneficium tribuit ei, a quo accepit, propterea quod sibi tribuit (§. 32. *part.* 4. *Jur. nat.*); & beneficium reddendo gratum animum declarat (§. 42. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter benefactori gratias rependit, *parentibus* autem in liberis beneficia præstari possunt (§. 834.); iisdem quoque *in liberis beneficium reddi & gratia rependi potest*, consequenter cum *beneficiarius* obligetur *beneficium* reddere benefactori occasione oblata (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*), *parentibus* quoque *reddere debet in liberis*.

Non abhorrent hæc a notionibus communibus vi eorum, quæ modo annotavimus (*not.* §. 834.).

§. 836.

Obligatio cognatorum ad mutua beneficia.

Cognati sibi invicem speciali ratione obligantur ad beneficia mutua præstanda, quantum in potestate est. Fratres & sorores sibi invicem cognati sunt in primo gradu collateralium, & communes parentes, aut saltem communem parentem habent (§. 595.). Quamobrem cum liberi obligentur ad beneficium reddendum parentibus occasione oblata (§. 741.), parentibus autem beneficium reddi possit in ipsorum liberis (§. 835.); fratres & sorores, qui jam jure humanitatis sibi invicem obligantur ad beneficia mutua, quantum in potestate est (§. 23. *part.* 4. *Jur. nat.*), speciali adhuc ratione sibi invicem obligantur ad beneficia mutua præstanda, quantum in potestate est. Et hinc porro intelligitur, quod etiam patruus, avunculus, amita & matertera, atque patrueles, consobrini & consobrinæ, amitini & amitinæ sibi invicem obligentur ad præstanda mutua beneficia (§. 596. 601.). Immo per eandem rationem idem patet de cognatis quibuscunque aliis utpote a communi stipite descendentibus (§. 562.), consequenter communem quendam parentem superioris gradus habentibus (§. 576. 590.). Quamobrem in genere cognati sibi invicem speciali ratione obligantur ad beneficia mutua præstanda, quantum in potestate est.

Accuratius demonstrationem præsentem perpendenti facile patet, cognatorum obligationem, qua sibi invicem tenentur qua cognati, descendere ab obligatione, qua stipiti tenentur, tanquam communi parenti. Officia autem erga parentes primi gradus etiam extendenda esse ad parentes superioris ordinis patet ex iis, quæ supra demonstravimus & annotavimus (§. 827.). Non est quod excipias, cognationem amicitiæ contractæ sæpissime postponi, ut vinculum amicitiæ præferatur vinculo cognationis. Neque enim nobis jam sermo est de eo, quod vulgo fieri solet, quam de eo, quod fieri debebat, quamvis nec negem dari posse rationes particulares,

BIU Cujas

lares, ob quas sese indignum reddit cognatus jure prælationis præ aliis amicis, sicuti ex adverso non desunt rationes, ob quas interdum amicus cognato præferatur: quæ cum in casu particulari exceptionem pariant, ad casus autem particulares descendere instituti nostri ratio minime permittit, in eas in præsenti inquirere non tenemur.

§. 837.

Educatio liberorum alienorum est beneficium parentibus in liberis ipsorum præstitum. Quoniam liberi per educationem apti efficiuntur, ut sibimetipsi de iis prospicere possint, quibus ad conservationem sui indigent, & actiones suas juxta naturæ legem determinare (§. 255.), actus autem omnis beneficium est, quo perfectionem alterius ac statum ejusdem quomodocunque gratis promovemus, aut imperfectionem præcavemus (§. 22. *part.* 4. *Jur. nat.*); quin educatio liberorum alienorum sit beneficium non minus respectu liberorum, quam parentum, quorum onus in nos suscipimus (§. 263.), nemo dubitabit. Quamobrem cum beneficia parentibus præstentur etiam in liberis (§. 834.); educatio liberorum alienorum est beneficium parentibus in liberis præstitum. *De educatione liberorum alienorum.*

Obtinet hoc, sive parentes fuerint adhuc in vivis, sive mortui. Nemo sane pro beneficio sibi præstito non agnoscet, si quis filium suum, vel filiam suam educare velit. Et si pater moribundus educationem prolis suæ alteri commendat, eam utique pro beneficio sibi præstando confisus amore ejus, cui eandem commendat, erga se reputat. Ac idem liquet in eo casu, quo beneficiariis nostris commendamus liberos nostros, ut beneficia nobis reddenda (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*), in eos conferantur.

§. 838.

Si parentes moriantur, antequam liberi eorum fuerint educati, parentibus superioribus jam prædefunctis, nec educationem liberorum suorum aliis commiserint; cognati curam educationis naturaliter in se suscipere debent. Etenim cum educatio liberorum beneficium sit parentibus ipsorum præstitum (§. 837.), cognati autem sibi invicem speciali ratione obligentur ad mutua beneficia præstanda, quantum in potestate est (§. 836.); cognati curam educationis in se suscipere debent naturaliter, si parentes moriantur, antequam liberi eorum fuerint educati parentibus superioribus jam prædefunctis, ad quos ea alias pertineret (§. 831.), nec curam educationis illorum aliis commiserint, quemadmodum facere debebant (§. 833.), vel quia repentina morte abrepti, vel alia quacunque de causa de eo non cogitarunt. *De cura educationis ad cognatos spectante.*

Quoniam beneficium nemini obtrudendum (§. 100. *part.* 4. *Jur. nat.*); si pater prætermissis cognatis curam educationis alii committere velit, quem eam diligentius curaturum confidit, hoc utique facere licet (§. 833.), nec cognati eandem sibi arrogare possunt contra expressam patris voluntatem.

§. 839.

Si parentes moriantur, antequam liberi eorum fuerint educati, parentibus superioribus jam prædefunctis, nec educationem liberorum suorum alii commiserint, cognati autem vel desint, vel educationem curare non possint, aut nolint; in statu naturali unicuique integrum est educationem illorum in se suscipere, qui voluerit. Quoniam enim educatio liberorum beneficium est liberis & parentibus in liberis ipsorum præstitum (§. 837.), naturaliter autem homines sibi invicem obligantur ad beneficia mutua, quantum in potestate est, præstandum (§. 23. *part.* 4. *Jur. nat.*), & uniuscujusque arbitrio relinquendum, cuinam beneficium dare velit (§. 29. *part.* 4. *Jur. nat.*), liberi autem nondum educati beneficium educationis merentur (§. 30. *part.* 4. *Jur. nat.*); in hy- *De educatione liberorum a morte parentum deficientibus cognatis.*

BIU Cujas

potheſi propoſitionis præſentis unicuique omnino integrum eſt in ſtatu naturali educationem liberorum in ſe ſuſcipere, qui voluerit.

Ubi deficit obligatio naturalis ſpecialis, locus eſt generali, quæ ex humanitate venit. Hæc tangit in univerſum homines omnes, ac laudem merentur, qui eidem ſatisfacere ſtudent (§. 552. *p. 1. Jur. nat.*). Miſeratione digni ſunt liberi parentibus orbi. Omnium igitur maxime merentur, ut quævis officia ipſis præſtentur, quæ homo homini præſtare debet. Educationem eorum negligere, aut non ſatis diligenter eandem curare, maxime inhumanum utique cenſendum.

§. 840.

Pupilli definitio. *Pupilli* dicuntur perſonæ impuberes parentibus, vel uno ſaltem parente, præſertim patre orbi.

Cum noſtris moribus maritus uxorem, pater liberos alere teneatur, conſequenter ſumtus in educationem prolis facere; ideo pupillis potiſſimum accenſentur, qui patre orbi ſunt, & quamdiu is vivit, matre licet mortua, iis adhuc ſatis proſpectum putatur.

§. 841.

Tutela quid ſit. *Tutores* dicuntur perſonæ, quibus educatio pupillorum curæ eſt, ſeu jus educandi pupillos competit. Unde *Tutela* eſt jus educandi pupillos. *Tutores*, qui voluntate ultima parentum conſtituuntur (§. 833.), vocantur *teſtamentarii*; qui jure cognationis tales ſunt (§. 838.), *legitimi*; qui vero nullo cognationis vinculo pupillis junguntur (§. 839.), *dativi* appellantur. Unde patet, quænam ſit tutela *teſtamentaria*. quænam *legitima*, quænam *dativa*.

Terminos in Jure Romano receptos accommodamus Juri naturæ. In Jure iſto poteſtas patria plurimum differt a poteſtate patria naturali (*not.* §. 661.), ac propterea quoque in eodem de tutela varia occurrunt, quæ noſtro Juri parum conveniunt. Definitionem *Servii*, quod ſit vis ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit, Jure civili data & permiſſa, quam defectus familiaritatis morum & uſus loquendi Romanorum obſcuram reddit, explicavimus in Horis Subſecivis A. 1730. trim. vern. num. 11. §. 6. & ſeqq. Quodſi quæ ibidem dicta ſunt perpendere volueris, ex templo apparebit ineſſe huic definitioni, quæ Juri Romano propria ſunt, ut ea de cauſa in Jus naturæ ſine ulla mutatione recipi minime poſſit. Quemadmodum vero definitio tutelæ in genere continet talia, quæ Juri Romano propria ſunt, & a quibus liberanda ſunt in Jure noſtro; ita idem tenendum eſt de diverſis tutelæ ſpeciebus, quarum determinationes admitti nequeunt, niſi quæ in Jure naturæ locum habere poſſunt. Præterea notandum eſt, nos hic nondum ſupponere ſtatum civilem, conſequenter tutelam quoque non conſiderare, niſi quatenus obtinet in ſtatu naturali, conſequenter mere a natura dependet. Atque hæc ratio eſt, cur tutores dativos non diximus eos, qui a Magiſtratu dantur, cum in ſtatu naturali magiſtratus non ſit. Quemadmodum vero in ceteris, ita quoque in caſu præſenti ratio eorum, quæ conveniunt ſtatui civili, penitus perſpici nequit, niſi explorata ſint ea, quæ in ſtatu naturali ipſa natura conſtituta ſunt.

§. 842.

De curatela. *Curator* dicitur perſona, cui competit jus adminiſtrandi bona minorum, vel etiam perſonarum aliarum, quæ ob corporis quoddam, vel animi vitium rebus ſuis ipſimet præeſſe nequeunt. Unde *Cura*, *Curatio* ſive *Curatela* eſt jus adminiſtrandi bona minorum, vel aliarum etiam perſonarum, quæ ob animi quoddam, aut corporis vitium ea per ſe adminiſtrare, ſeu rebus ſuis ipſimet præeſſe nequeunt. Patet itaque *curatore opus habere* non modo *minorennes* (§. 768.), verum etiam *furioſos*, *mente captos imbecilli judicio præditos*, *prodigos*, *ſurdos*, *mutos*, *morbo perpetuo affectos*.

Apud nos tutela & cura in eadem perſona continuantur.

§. 843.

BIU Cujas

§. 843.

Si parentes superiorum graduum fuerint in vivis, pupilli tutore opus non habent, nec minores aut animi vel corporis quodam vitio laborantes curatore. Etenim si parentes moriantur, antequam liberi fuerint educati, parentes superioris gradus educare tenentur (§. 831.), consequenter etiam eorum bona administrare, quamdiu per ætatem nondum adeo perfectum est eorum judicium, ut negotia sua per se rite curare norint (§. 757.), adeoque minores sunt (§. 768.). Et idem facile intelligitur etiam eo in casu, in quo ob vitium quoddam animi, vel corporis rebus suis ipsimet præesse nequeunt. Quoniam itaque tutela est jus educandi pupillos, & tutor, cui hoc jus competit (§. 841.), cura autem jus administrandi bona minorum, vel aliarum etiam personarum, quæ ob animi quoddam, aut corporis vitium rebus suis ipsimet præesse nequeunt (§. 842.); si parentes superiorum graduum fuerint in vivis, pupilli tutore opus non habent, nec minores vel animi aut corporis quodam vitio laborantes curatore. *Quando tutela & cura non sit opus.*

Cum parentum superioris gradus eadem sit obligatio, quæ parentum primi gradus (§. 831.); cura educationis, vel administratio bonorum ut personæ cuidam a morte parentum primi gradus committatur, opus non est: morte nimirum parentum primi gradus onus educationis & administrationis bonorum etiam in casu minorennitatis solius devolvitur in parentes superioris gradus, quod in se suscipere obligantur, perinde ac parentes primi gradus idem ferre tenebantur. Quodsi dicas, hoc modo liberos parentibus primi gradus orbos non recte dici pupillos, cum perinde sit, ac si parentes primi gradus, seu patrem ac matrem adhuc haberent, quamdiu avus & avia, vel proavus & proavia vivunt; litem nonnisi de nomine moves & siquidem definitionem pupillorum restringere volueris ad eos, qui nec parentes superioris gradus habent, per nos hoc facere licet. Immo si parentes quoque superioris gradus tutores ac curatores appellare velis, nos tibi de nomine litem non movebimus. Tum vero distinguendum erit inter tutores necessarios & voluntarios, ita ut necessarii sint parentes superioris gradus, voluntarii autem ceteri. Quoniam tamen admissa hac distinctione tutorum omnium non eadem prorsus est obligatio: præter necessitatem difficultates fiunt, quibus carere possumus. Ab universalitate enim notionum non discedendum, nisi necessitas urgeat, ita ut potius ex adverso universalitas notionum per fictionem haud raro sustinenda veniat.

§. 844.

In statu naturali ad tutelam suscipiendam nemo cogi potest. Etenim educatio liberorum alienorum beneficium est parentibus in liberis ipsorum præstitum (§. 837.), immo præstitum etiam ipsis liberis, qui educantur (§. 22. *part.* 4. *Jur. nat.* & §. 255. *h.*). Enimvero ad dandum beneficium nemo naturaliter cogi potest (§. 27. *part.* 4. *Jur. nat.*). Nemo igitur cogi potest ad tutelam suscipiendam in statu naturali (§. 841.). *An ad tutelam suscipiendam quis cogi possit.*

Hoc minime obstat, quo minus quis in statu civili ad tutelam suscipiendam cogi possit. In statu enim civili libertas naturalis potest restringi & ex imperfecte debito fieri perfecte debitum, prouti suo loco ostendetur.

§. 845.

Tutor non obligatur sumtus educationis sua pecunia sustentare; sed bona pupillorum administrare & de fructibus eorum, vel, si necesse fuerit, de ipsis bonis illos facere: si vero bona non habeant, liberalitate aliorum & quocunque alio possibili modo, iisdem prospicere. Tutor enim beneficium præstat tam liberis, quam ipsorum parentibus in iisdem, dum tutelæ onus in se suscipit, prouti ex demonstratione præcedente patet. Quamobrem cum beneficium non mereantur, nisi qui eodem indigent, aut ipsi acquirere non valent, quæ dat benefactor (§. 30. *part.* 4. *Jur. nat.*); si pupilli propria *An tutor obligetur ad sumtus educationis de propriis sustentandos.*

pria habeant bona, opus non est, ut alii sumtus in educationem faciendos suppeditent, consequenter nec tutores ad eos de suo faciendos naturaliter obligantur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi vero pupilli nulla habeant bona, mendici sunt (§. 52. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter cum labore suo tantum acquirere minime possint, quantum ad vitæ necessitatem sufficit, eleemosyna ipsis danda (§. 220. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quoniam vero ad eleemosynam dandam non obligatur, qui ipse non habet, nisi quod ad tolerandam vitæ necessitatem sufficit (§. 234. *part.* 4. *Jur. nat.*), & a dantis voluntate unice dependeat, utrum mendico eleemosynam dare velit, nec ne, & quantum dare velit (§. 224. *part.* 4. *Jur. nat.*), nemo autem ad dandum compelli possit (§. 223. *part.* 4. *Jur. nat.*); nulla quoque ratio est, cur tutor propterea, quod onus educationis prolis alienæ in se suscipit, etiam sumtus educationis præsertim solus de propriis facere debeat. Quamobrem nec naturaliter obligatur ad sumtus in educationem faciendos tutor (§. 70. *Ontol.*). *Quod erat primum.*

Quemadmodum vero parentes bona, quæ liberis obveniunt, administrare debent, quamdiu scilicet ipsimet ea administrare non possunt (§. 757.); ita etiam tutores, qui quoad educationem in illorum locum succedunt (§. 841.), bona pupillorum, quæ habent, administrare tenentur. *Quod erat secundum.*

Et quoniam suo sumtu pupillos non educare tenentur tutores, *per demonstrata n.* 1. nec ab alio peti potest, quod quis ipse habet (§. 232. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si bona habeant pupilli, quæ tutores administrare tenentur, *per demonstrata n.* 2. fructibus sumtus educationis sustentandi, immo si hi non sufficiant, ipsa etiam bona in eam impendenda. *Quod erat tertium.*

Denique si pupilli non habeant, unde sumtus educationis sustentari possunt, cum tutores eos facere de propriis non teneantur *per demonstrata n.* 1. curæ tamen ipsis esse debeat, ut pupilli conserventur & adolescant, & ne desint ea, quibus ad conservationem sui indigent (§. 637. 841.); de sumtibus in educationem faciendis iisdem utique prospicere debent omni possibili modo, veluti beneficia, quæ merentur (§. 222. *part.* 4. *Jur. nat.*), ab aliis pro iisdem impetrando, & eleemosynas, ad quas ipsis jus est (§. 220. *part.* 4. *Jur. nat.*), colligendo, easque de suo augendo, si in potestate ipsorum fuerit (§. 248. *part.* 4. *Jur. nat.*). *Quod erat quartum.*

Equidem quæ hic demonstrantur, moribus apprime conveniunt: ex eo tamen non sequitur, ea sine demonstratione sumi potuisse: neque enim mores sunt norma juris naturæ, sed ex hoc potius illi dijudicandi. Quamobrem ut constet, utrum mores consentiant cum jure naturæ, nec ne, quid huic juri consentaneum sit, ex principiis ejus omnino demonstrandum. Educatio, præsertim quando accedit bonorum administratio, per se onus satis ingens est: durum itaque foret, si, qui hoc onus nulla utilitate sua in se suscipit, sumtu suo illam sustentare deberet. Cum nulla ratio hoc suadeat, nemo sane est, cui non absque ulla probatione absurdum videatur beneficium a tutore præstandum adeo onerosum, immo damnosum efficere velle. Et quoniam parentibus curæ esse debet, ut, si ipsos mori contingat, antequam liberi fuerint educati, ipsis relinquant bona, quorum fructibus sumtus educationis sustentari possunt (§. 724.); bona a parentibus pupillis relicta non alio fine intelliguntur, quam ut tutor fructibus eorum sumtus educationis sustentet. Immo cum ipsi parentes, si liberis undecunque obveniant bona, eorum fructus in educationem impendere possint (§. 527.), qui tamen de suo eos facere alias tenentur (§. 445.); multo magis idem faciendum est tutoribus, qui in locum parentum succedentes (§. 841.), beneficium iisdem præstant in liberis ipsorum (§. 837.). Pupillos egenos, aut omnium rerum inopes propria indigentia promiscue omnium liberalitati commendat (§. 220. 222. 249. *part.* 4. *Jur. nat.*). Tutores itaque satisfaciunt officio suo, si pupillis curæ ipsorum commissis de beneficiis aliorum ac eleemosynis prospiciant. Quid in statu civili curæ magistratus hac in parte relictum sit, alio loco ostendendum.

§. 846.

Qualis potestas tutoribus competat.

Tutoribus competit potestas patria naturalis. Etenim tutores pupillos educare debent (§. 841.). Quamobrem ipsis quoque competit omne jus in pupillos, sine quo educatio fieri nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum educatio requirat, ut actiones pupillorum determinentur juxta legem naturæ, quas per se ita de-

BIU Cujas

determinare nesciunt (§. 637. 659.); tutoribus quoque competit jus actiones pupillorum determinandi. Quoniam itaque in hoc jure consistit potestas patria naturalis (§. 661.); tutoribus utique competit potestas patria naturalis.

Non contradicit hæc propositio juri Romano, quo liberi mortuo patre a patria potestate liberantur, consequenter pupilli, qui sunt sub tutela, non tamen dicuntur esse sub potestate aliena, sed sui juris. Potestas enim patria Romanorum erat jus quoddam mere civile, quod a patria potestate naturali prorsus diversum erat, quemadmodum alias jam annotavimus (*not.* 661.). Fons patriæ potestatis naturalis est educatio sobolis (*not.* §. 660.). Qui adeo in locum parentum succedit quoad educationem, ille quoque succedit in jus vi educationis parentibus competens.

§. 847.

Vicarius dicitur, qui vicibus alterius fungitur, seu idem præstat, quod alter præstare debebat. *Vicarius* itaque *ad idem obligatur, ad quod obligatur is, cujus vicibus fungitur.* *Vicarius quinam sit.*

Ita vicarius regni dicitur, qui regnum alterius nomine administrat. Et in genere vicarius operar præstare dicitur, qui operas, quas alter præstare debebat, ipsius nomine ac loco præstat.

§. 848.

Tutores sunt vicarii parentum defunctorum in educatione pupillorum. Etenim tutores in se suscipiunt onus educandi pupillos (§. 841.), consequenter liberos impuberes parentibus orbos (§. 840.). Quamobrem cum parentum sit educare liberos (§. 636.); quod facere debebant parentes id tutores faciunt, consequenter vicibus parentum funguntur (§. 847.). Quoniam itaque vicarius alterius est, qui vicibus ejus fungitur (§. *cit.*); tutores sunt vicarii parentum defunctorum in educatione pupillorum. *Tutores parentum mortuorum vicarii.*

Nimirum tutores quoad educationem repræsentant parentes, non vero quoad ortum a parentibus, consequenter non per omnia his æquiparandi. Tutela quoad educationem tutores parentibus facit parentibus, adeoque ex hac definiendum, in quantum parentibus sint æquiparandi. Hæc probe notanda veniunt, ne officia pupillorum erga tutores ultra id, quod par est, extendantur.

§. 849.

Quoniam tutores sunt vicarii parentum defunctorum in educatione pupillorum (§. 848.), vicarius autem ad idem obligatur, ad quod obligatur is, cujus vicibus fungitur (§. 847.); *tutoribus idem curæ esse debet in educandis pupillis, quod parentibus*, consequenter *quæ de educatione liberorum demonstrata fuerunt, ea etiam de educatione pupillorum tenenda, exceptis iis, quæ ad sumtus in educationem faciendos pertinent, si pupilli non habeant, unde iidem sustententur* (§. 845.), *& per consequens iis, quæ inde porro dependent.* *Principium generale de officio tutorum.*

Habemus itaque principium generale officiorum tutorum erga pupillos. Quamobrem cum in anterioribus abunde demonstratum sit, quid parentibus incumbat, ut officio educandi prolem suam ex asse satisfaciant; non opus est, ut ad particularia descendentes ostendamus, quænam ea sint, quæ tutoribus curæ esse debent in educatione pupillorum. Quamvis vero sumtus in educationem de suo non facere teneantur tutores, de iis tamen aliunde pupillis inopibus prospicere debent (§. 845.), quemadmodum ipsimet parentes inopes facere tenebantur. Quamobrem si pupilli fuerint egeni; tutores æquiparantur parentibus egenis. Ubi vero sua sponte liberalitate sua egestatem pupillorum sublevant; id non faciunt qua tutores, sed qua benefactores, quales etiam esse poterant, si tutores non essent. Cum parentes bona liberorum, quæ habent, administrare debeant (§. 757.), ipsisque competat jus subsidio fructuum sumtus educationis sustentandi (§. 527.)s

BIU Cujas

(§. 527.); vi propositionis præsentis quoque demonstrari poterat tutores bona pupillorum administrare debere ac sumtus educationis subsidio fructuum sustentandos esse.

§. 850.

De quasi contractu tutoris cum pupillis.

Dum tutor tutelam in se suscipit, cum pupillo quasi contrahit, quod ipsum educare & bona ejus fideliter atque diligenter administrare velit. Etenim cum tutela consistat in jure educandi pupillum (§. 841.), & tutori competat administratio bonorum ejusdem (§. 845.); dum tutor tutelam in se suscipit, omnino declarat, quod pupillum educare & bona ipsius fideliter atque diligenter administrare velit. Et quoniam pupillus ope aliena indiget, ut educetur & bona ipsius administrentur; si consensum suum per ætatem declarare posset, quin eundem declaraturus esset, dubitandum non est, consequenter in hoc consentire præsumitur, ut tutori educatio ipsius curæ sit & is bona ipsius administret. Recte igitur de eo tutor & pupillus inter se convenire finguntur. Quamobrem cum istiusmodi conventio ficta, in qua consensus alterius tantummodo præsumitur, quasi contractus sit (§. 504. *part.* 5. *Jur. nat.*); dum tutor tutelam suscipit, cum pupillo quasi contrahit, quod ipsum educare & bona ejus fideliter atque diligenter administrare velit.

Quemadmodum quasi contractus in genere sunt juris naturalis (§. 511. *p.* 5. *Jur. nat.*); ita quoque eidem convenit quasi contractus tutoris cum pupillo initus, nec tantummodo pro figmento juris Romani haberi potest. Unde etiam ex hoc quasi contractu deduci possunt jura & obligationes tam tutoris, quam pupilli. Si quis sua sponte tutelæ onus in se suscipit, hic quasi contractus negotiorum gestioni assimilatur (§. 512. *p.* 5. *Jur. natur.*): quodsi vero tutela alicui ab alio, vel aliis deferatur, cum hi consensum pupilli nomine impertiantur, consequenter perinde sit, ac si pupillus eundem ipsemet declaret, non tam cum illo, quam cum pupillo contrahit tutor, cui quasi contractus cum pupillo ineundus quasi commendatur, nec qui nomine pupilli impertitur consensus alius est, quam pupilli consensus præsumtus.

§. 851.

Qualis sit obligatio tutoris ac pupilli.

Quoniam inter tutorem atque pupillum de tutela quasi contractum (§. 850.), ex quasi contractu autem unus alteri obligatur ad id, ad quod obligaretur, si revera contractum fuisset (§. 505. *part.* 5. *Jur. nat.*); *tutor pupillo & pupillus tutori ita obligatur, ac si de tutela revera contractum fuisset*, consequenter cum obligatio ex contractu perfecta sit (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*), *tutor & pupillus sibi invicem perfecte obligantur*, cumque id, quod ex obligatione contracta debetur, perfecte debeatur (§. 403. *part.* 3. *Jur. nat.*), *tutor pupillo curam educationis & fidelem ac diligentem bonorum administrationem perfecte debet; nec minus perfecte debet pupillus id, ad quod vicissim tutori obligatur* (§. 850.).

Quamvis itaque educatio liberorum alienorum beneficium sit (§. 837.), beneficium autem a benefactore nonnisi imperfecte debeatur (§. 26. *p.* 4. *Jur. nat.*); per quasi contractum tamen quod erat beneficium in perfecte debitum mutatur, ut non amplius cura educationis & administratio bonorum ex voluntate tutoris, sed ex iis, quæ ad utramque requiruntur, sit metienda. Etsi autem per quasi contractum beneficium fiat perfecte debitum; non tamen ideo beneficium esse desinit, sed naturam beneficii simul retinet: neque enim repugnat, ut unus idemque actus simul sit beneficium & perfecte debitum. Inde est, quod contractus quidam sint benefici, quia scilicet id, quod ex contractu præstatur, beneficium est: id quod in commodato & mutuo clarissime perspicitur (§. 418. 513. *p.* 5. *Jur. nat.*). Quamobrem quæ de benefactore & beneficiario quoad beneficium datum & acceptum demonstrata sunt in parte quarta, recte applicantur ad tutorem atque pupillum, & iisdem ideo principiis in subsequentibus demonstrandis utemur.

BIU Cujas

§. 852.

Naturaliter non repugnat, ut uni tutori tantummodo competat cura educationis, alteri administratio bonorum, immo alii saltem inspectio, num a ceteris pupilli rite educentur & bona eorum fideliter ac diligenter administrentur. Tutoris officium est curare educationem pupilli & bona ejus fideliter ac diligenter administrare (§. 851.). Enimvero nemo non videt, curam educationis & administrationem bonorum non necessario conjunctam esse, sed a se invicem separari posse, ita ut uni competat educationis cura, alteri vero bonorum administratio. Quamobrem cum pupillo perinde sit, sive tutor simul educationem curæ habeat, & bona administret, sive uni curæ sit educatio, alteri vero competat administratio; naturaliter non repugnat, ut uni tutori tantummodo competat cura educationis, alteri administratio bonorum. *Quod erat unum.* *De divisione tutelæ.*

Et quoniam interest pupilli, ut rite educetur, ac bona ejus fideliter atque diligenter administrentur, quod per se patet; multo minus naturaliter repugnat, ut alicui committatur inspectio, utrum ceteri tutores officio suo rite fungantur, nec ne, consequenter utrum pupillum rite educent ac bona ejus fideliter ac diligenter administrent, nec ne (§. 851.). *Quod erat alterum.*

Tutela jus quoddam est (§. 841.), quod cum plura jura a se invicem separabilia contineat, in partes potentiales, quas *Grotius* vocat, quemadmodum alia jura in plura resolubilia, dividi potest. Cum tutela onus sit respectu tutoris; æquitati etiam convenit, ut facta divisione onus allevetur. Fieri etiam potest, ut, qui educationi rite præesse potest, idem administrationi bonorum non sufficiat, & contra. Ipsa igitur necessitas tum suadet tutelæ divisionem, quemadmodum amor pupilli, qui nos impellit, ut optimo quovis modo eidem consulatur, inspectionem tutelæ imperat. Ceterum nemo non videt per se, posse etiam curam educationis & administrationem bonorum porro subdividi inter plures, veluti ut uni tutori competat administratio rerum mobilium, alii vero administratio immobilium, vel ut certæ bonorum partes demandentur diversis tutoribus.

§. 853.

Tutor educator dicitur cui cura educationis pupilli competit: *Tutor* autem *administrator* vocatur, qui bona pupilli administrat. *Tutor* denique *inspector* appellatur, cui inspectio tutelæ demandata. Vocantur illi communi nomine *Tutores inferiores*; hic vero *Tutor superior*, vel *honorarius*. Nec refert, utrum tutela inter tutores inferiores sit diversa, an vero indivisa pluribus communis. *De diversis tutoribus.*

Quoniam tutela dividi potest (§. 852.), divisa autem tutela non idem manet tutoris officium, quod per se patet; ideo necesse est, ut qui sunt ex parte tutores distinguantur ab iis, qui sunt ex integro. Commodissimum itaque nobis videtur, tutoribus imponi nomina ab officio, quo funguntur.

§. 854.

A voluntate parentum pendet, utrum tutelam inter plures dividere, an vero uni vel pluribus conjunctim indivisam committere velint, immo etiam utrum tutorem superiorem constituere velint, nec ne. Naturaliter quoque a voluntate tutelam suscipientium pendet, utrum tutelam divisam, an indivisam habere velint. Etenim tutela jus quoddam est, quod pater, vel etiam mater transfert in tutorem ultima sua voluntate (§. 841.). Quamobrem cum a voluntate jus quoddam in alium transferentis dependeat, quomodo illud transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*), naturaliter autem non repugnet, ut tutela inter plures dividatur (§. 852.); a voluntate omnino parentum pendet, utrum *De jure parentum quoad divisionem tutelæ & jure tutelam in se suscipientium.*

BIU Cujas

utrum tutelam inter plures dividere, an vero uni vel pluribus conjunctim indivisam committere velint. *Quod erat primum.*

Et quoniam parentibus curæ esse debet, ut liberi fiant felices (§. 710.), ac fortunati (§. 732.), consequenter ut rite educentur ac bona ipsorum fideliter ac diligenter administrentur, quæ consequentia facile patet, tutelam vero committere debent personis, quas eam diligenter curaturas confidunt (§. 833.); ipsorum judicio, consequenter voluntati relinquendum, utrum inspectionem tutelæ alicui sigillatim committere velint, consequenter tutorem inspectorem, seu honorarium constituere (§. 853.), nec ne. *Quod erat secundum.*

Denique cum naturaliter ad tutelam suscipiendam nemo cogi possit (§. 844.); a voluntate quoque suscipientis pendet, utrum divisam, an indivisam accipere velit. *Quod erat tertium.*

§. 855.

De voluntaria divisione a tutoribus facta.

Quoniam naturaliter a voluntate eorum, qui tutelam suscipiunt, pendet, utrum divisam, an indivisam suscipere velint (§. 854.); *si plures sint tutores, naturaliter iidem inter se de divisione convenire possunt, & quomodo inter se convenerint, ita singuli cum pupillo quasi contraxisse intelliguntur* (§. 850.), consequenter *singuli* tenentur *ex quasi contractu suo.*

Fieri hoc potest naturaliter, etiamsi pater dederit tutores conjunctim (§. 833.); immo si unus datus, is contutorem sibi pro lubitu adscisscere potest, cum naturaliter ad tutelam suscipiendam nemo cogi possit (§. 844.), & a voluntate suscipientis dependeat, quomodo eam suscipere velit, an divisam, an indivisam (§. 854.), consequenter etiam num solus, an conjunctim cum aliis. Jure tamen interno non indifferens est, quid horum fiat: id enim fieri debet, quo optime consulitur pupillo. Tutelæ enim administratio medium est pupillos educandi, bona eorum conservandi, immo quantum datur amplificandi: eligenda autem sunt media ad finem consequendum maxime apta. Quid conveniat statui civili, in quo libertas naturalis jure interno restringenda, suo patebit loco.

§. 856.

De tutore suo sumtu pupillum educante.

Si tutor suo sumtu pupillum educat, id non facit qua tutor, sed qua benefactor. Tutor enim non obligatur pupillum suo sumtu educare, etiamsi inops fuerit (§. 845.). Quamobrem si suo sumtu pupillum educet, id non facit qua tutor. *Quod erat unum.* Quoniam vero benefactor est, qui alteri gratis dat, quod eidem utile est (§. 20. *part.* 4. *Jur. nat.*); si tutor suo sumtu pupillum educat, id facit qua benefactor. *Quod erat alterum.*

Arbitrio benefactoris relictum est, cuinam beneficium dare velit (§. 29. *part.* 4. *Jur. natur.*). Quemadmodum itaque suo sumtu prolem alienam educare potest, qui voluerit; ita quoque tutor suo sumtu educare potest pupillum, si voluerit, nec interest, utrum is sit egenus, an habeat, unde sumtus educationis sustentari possint. Quamvis enim beneficium mereantur, qui eodem indigent, aut ipsi acquirere non valent, quæ dat benefactor (§. 30. *part.* 4. *Jur. nat.*); non tamen solum jure externo permittendum, ut dominus de suo disponat pro arbitrio suo (§. 169. *part.* 2. *Jur. nat.*); verum dantur etiam causæ honestæ, cur hoc faciat tutor, perinde ac alii, veluti si id fiat animo rependendi gratias parentibus in prole sua (§. 835. *h.* & §. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*), vel amore singulari pupilli dotibus naturalibus, aut moribus sese commendantis tutori.

§. 857.

De obligatione tutoris suo sumtu pupillum educantis.

Quoniam tutor suo sumtu educat pupillum non qua tutor, sed qua benefactor (§. 856.); *ad eum suo sumtu educandum non obligatur ex quasi contractu cum pupillo inito, dum tutelam suscepit* (§. 850.) consequenter *ab arbitrio ipsius dependet, quamdiu* sumtus

sumtus educationis dare velit, nisi pacto quodam singulari se ad dandum obligaverit vel parentibus moribundis, vel pupillorum cognatis, aut amicis parentum, quod utique servandum (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*).

Patet itaque, non inani subtilitate distingui inter ea, quæ facit tutor qua tutor, & quæ facit qua benefactor (§. 856.).

§. 858.

De inhabilitate tutoris ob vitia.

Qui vitiis deditus est, ad tutelam administrandam inhabilis est. Qui enim vitiis deditus est, actiones suas ratione contraria dirigit, quam lege naturali præscribitur (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), omittens ea, quæ lex naturæ præcipit, committens vero, quæ prohibet (§. 356. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & per consequens mala prodit exempla (§. 929. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum tutori educatio pupilli curæ esse debeat (§. 841.), consequenter is actiones ejusdem juxta legem naturæ determinare teneatur (§. 659.), ac operam dare, ut virtutis exercitium ejdem reddatur familiare (§. 658.), & exempla bona præbere, mala vero non prodere teneatur (§. 690.); ad tutelam administrandam utique inhabilis est, qui vitiis deditus.

Pessime consulitur liberis, si eorum educatio committatur hominibus a virtute alienis, sicuti ex adverso iisdem optime prospicitur, si eorundem educatio demandetur hominibus virtute præditis, consequenter vitia odio habentibus (§. 368. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Tutoribus itaque cum committatur educatio pupillorum, præcipua cura esse debet, ut eligantur personæ, quæ virtutem amant, vitium quodcunque odio habent. Quamvis enim haud raro contingat, ut quis in aliis ferre non possit vitium, cui ipsemet deditus est; cum tamen magna sit exemplorum vis, in animis præsertim impuberum, per hoc inhabilitas tutoris nondum tollitur, quod vitia detestetur in aliis, quibus ipsemet delectatur. Accedit, quod in tutoribus deficiat naturalis ille amor, qui prolem suam parentibus commendat (§. 257.), ut ideo non bene sperandum sit de cura tutorum pupillis exercitium virtutum familiare reddendi, qui nullo virtutis amore ducuntur, sed vitiis potius delectantur.

§. 859.

De inhabilitate prodigi.

Qui prodigus est, ad tutelam administrandam inhabilis est. Qui enim prodigus est, in eroganda pecunia modum excedit, quem parsimonia præscribit (§. 385. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter verendum est, ne plures faciat in educationem pupilli sumtus, quam par erat, immo ne bona ejus dilapidet (§. 459. *part.* 2. *Jur. nat.*), ac ideo nec cura educationis, nec administratio bonorum eidem tuto committitur. Quamobrem cum tutor pupillum educare (§. 841.) & bona ejus administrare debeat (§. 845.); qui prodigus est, ad tutelam administrandam inhabilis.

Accedit, quod tutores pupillos mature docere debeant, quomodo pecunia recte uti debeant (§. 703.). Vix autem ac ne vix quidem hoc expectare datur a prodigo, qui ipse pecunia recte uti minime novit (§. 385. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quantum autem interest pupilli, ne hac in parte diligentiam suam desiderari patiatur tutor, ex iis patet, quæ supra annotavimus (*not.* §. *cit.*).

§. 860.

De ignorantia administrationis bonorum & negligentia in iis administrandis.

Qui bona rite administrare non novit, vel in propriis administrandis negligens est; tutor administrator esse nequit, non tamen simpliciter repugnat, ut sit educator. Etenim tutor administrator bona pupilli administrare tenetur (§. 853.). Qui adeo ignorat, quomodo bona rite administrentur, ei administratio bonorum committi nequit, & per consequens tutor administrator constitui non potest. *Quod erat primum.*

Similiter qui in bonis propriis administrandis negligens est, is non præsumitur se magis diligentem præbiturum in administrandis bonis alienis. Quamobrem ipsi bonorum administratio tuto committi nequit, consequenter cum tutori administratori com-

BIU Cujas

petat bonorum pupilli administratio (§. 853.), tutor administrator constitui nequit. *Quod erat secundum.*

Enimvero simpliciter non repugnat, ut, qui bona rite administrare non novit, vel etiam in bonis administrandis se negligentem præbet, ceteroquin actiones suas juxta naturæ legem determinare studeat. Quamobrem cum seposita bonorum administratione cura educationis potissimum huc redeat (§. 637.), tutori autem educatori cura educationis pupilli demandetur (§. 853.); simpliciter non repugnat, ut, qui bona rite administrare non novit, vel etiam in propriis administrandis negligens est, tutor educator sit. *Quod erat tertium.*

Ita ex. gr. mater, quæ administrationi bonorum præsse nequit, sufficere tamen potest educationi prolis suæ quoad mores. Quamobrem in hoc casu pater recte proli suæ dat tutorem administratorem, cura educationis eidem relicta integra.

§. 861.

De inhabilitate ob morbum, ætatem provectam & negotia propria.

Si quis ob infirmitatem corporis, vel ob ætatem nimis provectam, aut multitudinem negotiorum propriorum, tutelam ea diligentia administrare nequeat, quæ requiritur; ad tutelam inhabilis est. Quemadmodum naturaliter ad recte agendum in genere obligamur (§. 180. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ita quoque ad tutelam recte administrandam obligatur tutor. Quodsi ergo quis ob infirmitatem corporis, vel ob ætatem nimis provectam, aut multitudinem negotiorum propriorum tutelam ea diligentia administrare nequeat, quæ requiritur *per hypoth.* cum nemo obligatur ad id, quod impossibile (§. 209. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec cum neglectu sui officium quoddam alteri præstare quis teneatur (§. 609. *part.* 1. *Jur. nat.*), per se autem pateat, interesse pupilli, ut probe educetur, atque bona ipsius omni diligentia administrentur; illi tutela committi nequit, consequenter idem ad tutelam inhabilis.

Ita ex. grat. professores & clerici ad tutelam inhabiles censentur, quia vix vacat iisdem alienis negotiis sese immiscere, si munere suo rite fungi velint.

§. 862.

De inhabilitate minorum.

Minores ad tutelam inhabiles sunt. Etenim minoribus per ætatem nondum adeo perfectum est judicium, ut negotia sua per se rite curare norint (§. 768.), ac ideo ipsimet curatore opus habent, qui bona eorum administret (§. 842.); igitur tutela minoribus committi nequit, consequenter ad eam inhabiles sunt.

Facile patet, in Jure naturæ sermonem esse de minorennitate naturali, quæ non ex numero annorum, sed ex judicio, quod quis in actionibus suis prodit, æstimanda venit (*not.* §. 768.). Naturaliter itaque ætas sola minime obstat, quo minus quis tutor esse possit, &, si vel maxime tutor administrator esse nequeat, idem tamen sit tutor educator. Absit itaque, ut, quæ juris positivi sunt, cum naturali perperam confundantur. Nulla autem metuenda est confusio, modo animum attendas ad definitionem, quæ in hoc Jure datur.

§. 863.

De tutela administratione per honorarium tutorem facilitanda.

Tutor honorarius contutores consilio & auxilio juvare tenetur, quantum datur. Etenim tutori honorario demandata est inspectio tutelæ (§. 853.), consequenter ipsi curæ esse debet, ut a contutoribus tutela recte administretur. Quamobrem quicquid ipse ad rectam tutelæ administrationem conferre potest, id utique conferre tenetur. Contutores itaque consilio & auxilio juvare tenetur, quantum datur.

Inspectio tutelæ non debet esse otiosa: committitur enim ea tutori honorario, ut magis consultum sit pupillo, cujus maxime interest, ut tutela rite administretur. Cum igitur tutor ho-

BIU Cujas

honorarius tutelam ſuſcipiens promittat, ſe curaturum, ut tutela recte adminiſtretur; ſe ad rectam adminiſtrationem collaturum utique promittit, quicquid conferre potuerit. Hinc facile intelligitur, in ſtatu naturali tutore honorario maxime opus eſſe.

§. 864.

Inventarium dicitur conſignatio bonorum defuncti, in quibus pupillus ſuccedit, vel etiam curandus, tum etiam ceterorum, ſi quæ ſunt pupillo, vel curando, quæ aliunde jam habet. *Inventarium quid ſit.*

Cum in ſtatu naturali nullus ſit magiſtratus, nec ad inventarium in eo requiritur, ut fiat publica autoritate, conſequenter *bonorum ſpecificatio* ab inventario naturaliter minime differt. Venit enim a ſtatu civili, ut ad conſignationem bonorum pupilli, vel curandi accedere debeat publica autoritas.

§. 865.

Tutores & curatores inventarium conficere tenentur & naturaliter inventarium fieri debet coram teſtibus, qui nomina ſua ſubſcribunt & ſigilla apponunt. Quoniam enim bona pupilli adminiſtrare debet tutor (§. 845.), & bona curandi curator (§. 842.); ideo conſtare debet, quænam ſint illa bona. Ea igitur conſignanda ſunt, conſequenter inventarium conficiendum (§. 864.). *Quod erat unum.* *De inventario conficiendo.*

Enimvero conſtare etiam debet, inventarium fideliter eſſe confectum, nec quicquam in eo prætermiſſum. Quamobrem cum id aliter probari non poſſit, niſi per teſtes (§. 1014. *part.* 5. *Jur. nat.*); naturaliter inventarium fieri debet coram teſtibus, qui nomina ſua ſubſcribunt & ſigilla apponunt, ut de eorum teſtimonio ſatis conſtet. *Quod erat alterum.*

In ſtatu civili teſtium loco ſunt perſonæ, quibus a magiſtratu demandata inventarii confectio, cum publica autoritas ſit teſtimonium omni exceptione majus.

§. 866.

Quoniam tutori honorario competit inſpectio tutelæ (§. 863.), conſequenter ipſi curæ eſſe debet, ut contutores ſingula rite faciant, quæ ſunt officii ſui, tutores autem inventarium conficere tenentur (§. 865.); *tutor* quoque *honorarius attendere debet, num inventarium fideliter conficiatur*, conſequenter *præſens eſſe quando inventarium conficitur*. Immo ex eadem ratione patet, *quod urgere debeat, ut tutores ceteri inventarium ſine mora conficiant, ne in adminiſtratione bonorum quicquam negligatur*. Et quoniam ad inventarium conficiendum requiruntur etiam teſtes (§. 865.); *ſi adminiſtratio bonorum ſigillatim uni, vel aliquot tutoribus demandata ſit, contutores tamen educatores ſimul præſentes eſſe debent, quando inventarium conficitur.* *De præſentia tutoris honorarii, quando inventarium conficitur.*

Si plures ſint tutores educatores & tutor præterea honorarius conſtitutus, cum tam illi, quam hic teſtium loco ſint; naturaliter vix opus videtur, ut præterea teſtes alii adhibeantur. Evitandæ tamen colluſionis cauſa, aut ſaltem removendæ ſuſpicionis, conſultius omnino eſt, ut præter tutores educatores ac inſpectorem adhibeantur teſtes alii. Probe autem notandum eſt, nobis jam ſermonem eſſe de eo, quod recte fit in ſtatu naturali, & ex quo deinde definiendum, quid fieri debeat in ſtatu civili.

§. 867.

Tutor adminiſtrator ſingulis annis rationem adminiſtrationis reddere tenetur tutori honorario. Etenim tutor honorarius curare debet, ut tutor adminiſtrator bona pupilli fideliter ac diligenter adminiſtret (§. 845. 853.), conſequenter ipſi conſtare debet, quo- *De ratione adminiſtrationis reddenda.*

BIU Cujas

modo bona pupilli administrentur. Quamobrem tutor administrator rationem administrationis tutori honorario reddere tenetur. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam interest pupilli, ut tempestive de remedio cogitetur, siquidem contingat, bona ipsius vel non satis fideliter, vel non satis diligenter administrari, tutor autem honorarius contutores consilio & auxilio juvare debet, quantum datur (§. 863.), immo prospicere pupillo, ne quid committatur, vel prætermittatur, quod in detrimentum ipsius quocunque modo vergere possit, quod ex inspectione eidem demandata facile intelligitur (§. 853.); ideo quotannis rationem administrationis ipsi reddere tenetur tutor administrator. *Quod erat alterum.*

Non est, quod urgeas nihil in administratione fieri debere nisi consensu tutoris honorarii: etenim tum onus administrationis una devolveretur in honorarium, consequenter is non amplius inspector, sed simul administrator foret: quod utique implicat.

§. 868.

Quomodo spectandus sit tutor in administratione bonorum.

Tutor in administratione bonorum personam pupilli repræsentat. Quoniam enim pupillus ipse bona sua administrare nequit; ideo administratio bonorum tutori committitur (§. 853.). In eorum itaque administratione pupilli vicibus fungitur, & quicquid agit, loco ac nomine pupilli agit, consequenter personam ejus repræsentat.

Non obstat, quod tutores sint vicarii parentum in educatione pupillorum (§. 848.), quatenus scilicet ea præstare debent quod parentes præstare debebant (§. 847.). Sunt enim tales respectu parentum: in administratione autem bonorum considerantur respectu pupilli, quatenus ea agunt, quæ pupillus agere debebat, sed per ætatem agere nequit. Nulla igitur repugnantia est, quod diverso respectu vicarii parentum & personam pupilli repræsentare dicantur.

§. 869.

Principium generale de administratione bonorum pupilli.

Quoniam tutor in administratione bonorum personam pupilli repræsentat (§. 868.), *ea facere debet, quæ pupillus facere deberet, si ipse bona sua rite administraret, quemadmodum administrare deberet* (§. 189. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *& qui cum eo contrahit, cum pupillo contraxisse intelligitur*, consequenter *ex contractu ejus pupillo obligatur, & pupillus ipsi vicissim obligatur, immo quodcunque negotium tutor gerit cum alio, id cum pupillo gestum censetur.*

Habemus hinc principium generale, per quod facile definiuntur, quæ circa administrationem bonorum pupilli occurrunt.

§. 870.

Obligatio tutoris quoad patrimonium pupilli.

Tutor obligatur ad patrimonium pupilli conservandum & amplificandum, quantum in potestate sua fuerit. Etenim homo quilibet, consequenter etiam pupillus, si per ætatem fieri posset, obligatur ad patrimonium suum conservandum & amplificandum, quantum in potestate sua est (§. 458. *p.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum tutor ea facere obligetur, quæ pupillus facere deberet, si ipse bona sua administraret, quemadmodum administrare deberet (§. 869.); tutor quoque obligatur ad patrimonium pupilli conservandum & amplificandum, quantum in potestate sua fuerit.

Quænam sint in potestate nostra, alibi docuimus (§. 175. *part.* 1. *Jur. nat.*). Ac inde dijudicare debet tutor honorarius, cui inspectio tutelæ commissa (§. 853.), & cui tutor administrator rationem administrationis reddere tenetur (§. 867.), utrum debitam diligentiam in administratione is adhibuerit, an vero eandem aliqua ex parte desiderari passus fuerit. Huc etiam faciunt ea, quæ de diversis culpæ gradibus demonstravimus alias (§. 748. & segq. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*),

§. 87

BIU Cujas

§. 871.

Quoniam tutor patrimonium pupilli conſervare & amplificare obligatur (§. 870.), conſequenter operam dare pro virili, ne bona pupilli diminuantur, ſed ut potius augeantur (§. 452. 453. *p. 2. Jur. nat.*); *bona mobilia ſupervacua ac ea inprimis, quæ ſervando ſervari non poſſunt, vendere debet, ac pecuniam inde redactam vel fœnori dare* (§. 1423. *part. 4. Jur. nat.*), *vel in emtionem prædiorum collocare, niſi pater expreſſe prohibuerit res quaſdam mobiles alienari, nec ulla eas alienandi neceſſitas adſit*, quia ſcilicet fructibus ſumtus educationis abunde ſuſtentari poſſunt. *De alienatione rerum mobilium.*

Patris omnino ſequenda eſt voluntas, quamdiu nulla neceſſitas urget, ut ab ea recedatur, quoniam is de bonis, quæ liberis ſuis relinquit, pro arbitrio diſponere poteſt vi dominii (§. 118. *part. 1. Jur. nat.*). Ita ſi prohibet, ne bibliotheca diſtrahatur, quod eam uſui eſſe exiſtimat filio, quem ſtudiis literariis deſtinavit, cum ſumtibus etiam ſtudiorum ſufficiant fructus bonorum filio præter librorum apparatum relictorum; eam diſtrahere non licet, præſertim ſi in eorum numero ſint libri ſelecti ac rariores, quos filius aliquando habere mallet, non tamen iterum nanciſci poteſt. Similiter ſi mater res quaſdam pretioſas filiæ ſervari velit, eas vendere non licet. Quamvis enim tutor repræſentet perſonam pupilli (§. 868.), conſequenter bona ejus adminiſtrare debere videatur ex præſumta pupilli voluntate; hoc tamen minime obſtat, quo minus in non alienandis mobilibus ſequatur voluntatem patris, vel matris, quia parentum voluntas cenſetur voluntas pupillorum (§. 641. 745.). Ceterum mobilia quænam ſupervacua ſint, facile intelligitur, ea nimirum, quæ nulli uſui ſunt pupillo. Quodſi vero ætate adulta uſui eſſe poſſint, immo ſi eorum uſus tum neceſſarius exiſtat; probe expendendum eſt, num pecunia inde redacta & fructuum augmentum hoc modo quæſitum parum aut multum ſuperet ſumtus in illa comparanda faciendos, ne eorundem alienatio vel damnoſa ſit pupillo, vel abſque ulla utilitate fiat. Prudentia, quæ circumſtantiarum ſingularium rationem haberi jubet (§. 257. *part. 1. Jur. nat.*), nec ab adminiſtratione bonorum pupilli, conſequenter nec ab alienatione mobilium abeſſe debet (§. 258. *p. 1. Jur. nat.*). Quæ denique ſervando ſervari non poſſint, experientia docet, optima hac in parte rerum magiſtra.

§. 872.

Similiter quia *tutor* patrimonium pupilli amplificare obligatur, quantum in poteſtate ſua eſt (870.); *ſumtus ſuperfluos, ſeu minime neceſſarios in educationem pupilli facere non debet, & quod ex fructibus prædiorum, vel uſuris reſiduum fuerit, illis deductis, in ſortem imputare tenetur, nec pecuniam otioſam relinquere, ſed in lucrum conveniens collocare, niſi deſit occaſio debitorem idoneum, vel prædia venalia inveniendi.* *De ſumtibus in educationem faciendis & pecunia in lucrum collocanda.*

Boni œconomi eſt non omne lucrum conſumere, ſed partem quandam, ſi fieri poteſt, conſervare: alias enim patrimonium non amplificatur, quemadmodum fieri debet (§. 458. *p. 2. Jur. nat.*). In lucro pupilli computantur uſuræ, quæ ipſi ſolvuntur, & pecunia ex fructibus prædiorum redacta, vel merces a conductoribus prædiorum ſoluta. Quamobrem cum ex lucro fieri debeant ſumtus in educationem; tutori curæ eſſe debet, ne totum impendatur, ſed pars ejus conſervetur, quæ conſervari poteſt. Lucri autem reſiduum computatur in ſortem. Per ſe autem patet, non poſſe a tutore exigi, quod impoſſibile. Quæ igitur diximus, ea a tutore intendi debent: quantum vero a regula ſit diſcedendum ex circumſtantiis particularibus dijudicandum. Et tutoris honorarii, ſeu ejus, cujus inſpectio eſt (§. 853.), officium eſt, ut judicet, utrum culpa adminiſtratoris a regula diſceſſum fuerit, nec ne. Datis circumſtantiis particularibus, quæ neceſſitatem diſcedendi a regula tutori imponunt, cum non difficile ſit judicium, opus non eſt, ut ad caſus particulares deſcendamus. Omnibus enim numeris abſolutam dare theoriam ab inſtituto noſtro alienum eſt, ac laboris foret infiniti.

§. 873.

Quia tutor patrimonium pupilli conſervare & amplicare debet, quantum in poteſtate ſua fuerit (§. 870.); *debitores moroſos ad ſolutionem compellere*, cumque reſiduum *De exigendis debitis, uſuris & mercede.*

BIU Cujas

duum lucri in sortem imputandum sit (§. 872.), *in exigendis usuris & mercede a conductoribus prædiorum moram ipse committere non debet.*

Major diligentia requiritur in administrandis bonis alienis, quam in propriis. In administratione enim bonorum propriorum quilibet stat judicio suo, &, si lucrum, quod habere poterat, negligit, non interest alterius. Aft qui bona aliena administrat, culpa sua efficere non debet, ut alter lucro, quod habere poterat, privetur. Standum hic est judicio ejus, cujus sunt bona: id quod tale præsumitur, ut universa faciat lucri. Nemo sibi ipsi rationem reddere tenetur administrationis bonorum suorum: aft tutor, quemadmodum administrator omnis rei alienæ, rationem administrationis tenetur reddere pupillo, ac ei, qui ejus vicibus fungitur (§. 867.

§. 874.

De solvendis debitis pupilli.

Ex eadem ratione intelligitur, quod *tutor obligetur sine mora solvere, quæ pupillus debet*, ne mora eidem sit damnosa, *ac si pupillus in ære alieno sit, operam dare ut eodem servatis rebus immobilibus eum liberet*, consequenter *sumtus in educationem faciendos moderetur, quantum datur, & quod ex fructibus eorum residuum fuerit, in æs alienum luendum impendat.*

Novimus exempla tutelæ adeo laudabiliter gestæ, ut pupillis ex multo ære alieno laborantibus eodem prudenter dissoluto prædia servata fuerint. Absit adeo, ut tibi persuadeas hic præcipi, quæ in potestate tutoris nunquam sunt.

§. 875.

De pecunia pupilli in rem tutoris versa.

Si tutor pecuniam pupilli in rem suam vertat; usuras ipse solvere & sine mora a seipso exigere debet. Etenim tutor pecuniam pupilli non otiosam relinquere, sed in lucrum conveniens collocare debet (§. 872.), veluti ut pariant usuras. Quodsi ergo tutor pecuniam pupilli in rem suam vertat, quæ usuras parere poterat, immo debebat; eas utique ipse solvere tenetur. *Quod erat unum.*

Enimvero tutor in exigendis usuris moram committere non debet (§. 873.), easque in sortem imputare (§. 872.). Quamobrem usuras quoque a se ipso sine mora exigere debet tutor, si pecuniam pupilli in rem suam vertat. *Quod erat alterum.*

Naturaliter nihil obstat, quo minus tutor pecuniam pupilli in rem suam vertat, ac debitor fiat pupilli, modo eidem satis cautum sit. Perinde nimirum est, sive tutor pecunia pupilli utatur, sive alius, modo pupillus inde nullum sentiat damnum: id quod ne fiat, usuras solvere tenetur tutor, quas alius solveret debitor, & ut usuris præstitis sors crescat, eas a se sine mora exigere debet. Quodsi ratio administrationis reddat tutor administrator honorario (§. 867.), hujus est dispicere, utrum pupillo satis cautum sit, si tutor pecunia ejus utatur, nec ne, & usuras, quas solvere debebat, in sortem pupilli imputare, nisi jam ipse hoc fecerit. Ceterum hinc quoque patet ratio, cur necesse sit quotannis reddi rationem administrationis, ne usuris non solutis, vel exactis impediatur, quo minus sors pupilli crescat.

§. 876.

De usuris a tutore non solutis.

Quoniam *tutor usuras* a seipso sine mora exigere debet (§. 875.), ac sorti addere (§. 872.); *si eas a seipso non exigit, eædem tanquam nova sors penes ipsum sunt*, consequentur *etiam pro his usuræ a termino solutionis solvendæ, nisi ostendi possit, defuisse occasionem idoneum debitorem nanciscendi* (§. 872.).

Hinc patet, cur tutor, si pecuniam in rem suam vertit, usuras usurarum præstare teneatur, quas non in omni casu, seu in se esse illicitas, alibi demonstravimus (§. 1422. *part. 4. Jur. nat.*). Tutoris tamen honorarii est dispicere, ne cum periculo pupilli multiplicatis usuris sors penes tutorem crescat.

§. 877.

BIU Cujas

§. 877.

De alienatione immobilium.

Tutor bona immobilia pupilli alienare nequit, nisi ea adsit necessitas, quæ ipsum pupillum ad alienandum cogit. Etenim tutor administrator est, non dominus bonorum pupilli (§. 853.). Quoniam itaque nemo præter dominum rem alienare potest (§. 668. *part.* 2. *Jur. nat.*), sive per se hoc faciat, sive per alium, quod per se patet; tutor quoque bona immobilia pupilli alienare nequit. *Quod erat unum.*

Quodsi vero ea emergit necessitas, quæ ipsum pupillum ad alienandum cogit; tum non amplius a voluntate ejus pendet, utrum alienare velit, an nolit, sed alienare tenetur. Quamobrem cum tutor in administratione bonorum personam pupilli repræsentet (§. 868.), ac ideo ea facere debet, quæ pupillus facere deberet, si ipse bona sua administraret (§. 869.); si ea emergit necessitas, quæ ipsum pupillum ad alienandum cogit, bona quoque immobilia pupilli alienare potest. *Quod erat alterum.*

Non solum hic sermo est de coactione physica, quando domino etiam invito alienatio fit; verum etiam de morali, quando nimirum ejus intermissio domino damnosa. Neque enim solum contra officium est damnum a patrimonio suo non avertere (§. 494. *part.* 2. *Jur. nat.*); sed etiam insipientis est id, cum possis, avertere nolle. Unde haud difficile erit judicium in casu particulari, utrum adsit alienandi necessitas, nec ne, siquidem tutor rem pupilli immobilem alienare velit.

§. 878.

De re immobili ob æs alienum alienanda.

Quoniam tutor bona immobilia pupilli alienare nequit, nisi ea adsit necessitas, quæ ipsum pupillum ad alienandum cogit (§. 877.); *si æs alienum solvendum sit, nec ex rebus aliis solvi possit, tutor bona immobilia pupilli alienare potest.*

Non solum hoc obtinet, si debitori hypotheca fuerit in re constituta; verum etiam si æs alienum sine hypotheca contractum. Immo alienatio necessaria est non tantummodo in eo casu, quo creditores solutionem urgent, nec moram indulgere ulteriorem volunt, verum etiam si æs alienum inveterascens multiplicandis usuris crescat. Facile autem apparet, huc trahendum non esse casum superiorem, quo prædii servandi causa sumtus educationis imminuendos & residuum lucri in æs alienum luendum impendendum esse diximus (§. 874.): tum enim ex rebus aliis solvi æs alienum potest, ut ideo alienatio necessaria non sit. Et, si vel maxime sint creditores, qui moram indulgere nolunt, æs tamen alienum novum cogi potest, ut vetus persolvatur. Necessitas alienandi non ante adesse intelligitur, quam ubi alienatio rei immobilis est unicum medium æs alienum, cujus solutio urgetur, persolvendi.

§. 879.

De alienatione immobilium inutilium.

Si bona immobilia fuerint inutilia, præsertim si etiam sumtus in educationem ex rebus aliis vix fieri possint; illa tutor alienare potest. Etenim tutor obligatur patrimonium pupilli amplificare, quantum in potestate sua est (§. 870.), sicuti pupillus etiam ipsemet obligaretur, siquidem per ætatem hoc fieri posset (§. 458. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam igitur fieri nequit, ut patrimonium pupilli amplificetur, quantum datur, si bona immobilia inutilia non alienentur; quin necessitas eandem urgeat, dubitandum non est. Quamobrem cum ob urgentem istiusmodi necessitatem bona immobilia pupilli alienare possit tutor (§. 877.); ea quoque alienare potest, quæ inutilia sunt. *Quod erat unum.*

Enimvero si bona immobilia fuerint inutilia, quibus venditis pecunia inde redacta in lucrum conveniens collocari poterat, sumtus autem in educationem ex rebus aliis vix fieri possint; tum utique alienandi necessitas multo major adest, consequenter patet ut ante, multo magis tutorem bona immobilia inutilia alienare posse. *Quod erat alterum.*

Eadem

BIU Cujas

Eadem hic tenenda sunt, quæ supra de bonis mobilibus supervacuis monuimus (*not.* §. 871.). Bona enim immobilia inutilia non minus supervacua sunt, quam mobilia. Sunt autem bona immobilia inutilia, ex quibus nulli percipiuntur fructus: id quod duplici modo contingit, vel quia per se infructuosa effici nequeunt fructuosa, vel quia impensæ superant fructus sive naturales, sive artificiales. Ita ædes inutiles sunt; quæ non inveniunt conductorem, vel ubi impensæ & onera superant pensionem annuam, quæ ab illo solvitur. Similiter hortus inutilis est, ex quo nulli percipiuntur fructus, sed in quem tantummodo impensæ voluptuariæ fieri debent.

§. 880.

De ære alieno prædii causa contrahendo.

Si prædii reficiendi causa contrahendum sit æs alienum, & usuræ prædium inutile reddant; tutor id vendere potest. Etenim si prædium fuerit inutile, tutor id alienare potest, præsertim si ex rebus aliis sumtus in educationem vix fieri possint (§. 879.). Enimvero unum idemque est, sive prædium in se fuerit inutile, sive usuræ quotannis solvendæ absumant fructus ex eo percipiendos, aut saltem maximam eorum partem, consequenter illud inutile efficiant. Et si prædii reficiendi causa æs alienum contrahendum; plerumque ex aliis rebus sumtus in educationem vix fieri poterunt. Quamobrem si prædii reficiendi causa contrahendum sit æs alienum & usuræ prædium inutile reddant; tutor id vendere potest.

Ponamus ex. gr. incendio consumi omnia ædificia, quæ necessario de novo excitanda esse per se patet. Quodsi æs alienum contrahendum sit, & fructus ex prædio percepti sint modici; nemo non videt præstare, ut prædium vendatur & pecunia in aliud lucrum conveniens collocetur, quam ut prædium ære alieno gravetur.

§. 881.

De consensu tutoris honorarii ad alienationem prædii requisito.

Naturaliter tutor administrator prædium pupilli alienare nequit sine consensu tutoris honorarii. Etenim tutor honorarius inspicere debet, num tutela a contutoribus rite administretur (§. 853.), hosque consilio juvare, quantum datur (§. 863.). Quamobrem cum bona immobilia pupilli alienari non debeant, nisi ea adsit necessitas, quæ pupillum, si per ætatem de rebus suis statuere liceret, vel invitum adigeret ad alienandum (§. 877.), consequenter tutor administrator maxima hic uti teneatur circumspectione, tutorisque honorarii consilio maxime indigeat, tutor autem honorarius inprimis dispicere debeat, ne alienatio præter necessitatem fiat; naturaliter omnino tutor administrator prædium pupilli alienare nequit sine consensu tutoris honorarii.

Alienatio prædiorum pupilli res maxime ardua est in omni tutelæ administratione. Circumstantiæ, si rem in se spectes, adeo variant in casu particulari, ut nonnisi omnibus simul excussis definiri possit, an magis e re pupilli sit, prædium servari, quam alienari. Quoniam vero non modo præsens pupilli utilitas spectanda est, verum etiam futura, quam prævidere non satis licet; ideo judicium de eo, quod e re pupilli est, adhuc difficilius redditur. Præterea de possessione rerum immobilium judicium non omnes ab utilitate arcessunt, & plures sese offerunt rationes, ob quas quis mavult habere prædium hoc, quam aliud, etsi alterum sit illi, siquidem utilitatem solam spectes, multo præferendum. Qua de causa de alienatione prædii tutor statuere nequit ex eo, quod sibi videtur, neque ex eo, quod revera pupillo suo utilius est; sed ad eam procedere non debet, nisi satis certus sit, pupillum, ubi ad ætatem adultam pervenerit, alienationem necessario ratihabiturum. Patet itaque, consensum tutoris honorarii ad prædii alienationem esse adhibendum. Quæ vero in statu naturali de tutore honorario demonstrantur, ea proderunt in sequentibus ad definienda ea, quæ magistratui circa tutelæ administrationem conveniunt.

§. 882.

Quomodo res pupillares distrahendæ.

Si res pupillares distrahendæ, a peritis taxandæ sunt, & tutori curæ esse debet, ut inveniat emtorem pretium justum offerentem. Etenim tutor obligatur ad patrimonium pupilli conservandum & amplificandum, quantum in potestate sua est (§. 870.). Quamobrem-

BIU Cujas

mobrem curæ ipsi esse debet, ut, si quæ res pupilli distrahendæ, eædem justo pretio vendantur, immo ne vendat huic emtori, si alium pinguiorem invenire possit, consequenter omnem diligentiam adhibere debet, ut emtorem pretium justum offerentem inveniat. *Quod erat unum.*

Enimvero cum rationem reddere debeat administrationis (§. 867.), consequenter probare, quod pretio justo rem vendiderit, necesse omnino est, ut a peritis taxetur. *Quod erat alterum.*

Non est quod excipias, sufficere consensum tutoris honorarii, cui ratio administrationis reddenda (§. 867.). Etenim pupillo, ubi ad ætatem adultam pervenerit, constare etiam debet, tutelam fideliter satis ac diligenter administratam fuisse, & tutorem honorarium officio suo satisfecisse. Quamobrem taxatio omnino necessaria est.

§. 883.

Quoniam tutori curæ esse debet, ut inveniat emtorem pretium justum offerentem (§. 882.), si vero plures sint emtores, pretium id injustum non est, quod ceteris pinguior offert; *si res pupillares distrahendæ, curæ esse debet tutori, ut, quænam res sint venales, publice innotescat, & certo die distractio facienda indicetur, ac res vendatur ei, qui pretium majus quam ceteri offert. Quodsi nemo fuerit, qui pretium taxationis offert, nec extrema adsit alienandi necessitas, quæ moram non ferat, venditio differenda in aliud tempus, ut appareat, num emtor pinguior inveniri possit.* *Quænam porro observanda.*

Maxime interest tutoris, ut hoc modo distractio rerum pupillarium fiat, ob eam, quam modo diximus (*not.* §. 882.) rationem. Ita nimirum non modo prospicitur pupillo, ne lucro quodam privetur, quod habere poterat, verum etiam a tutore tam administratore, quam honorario suspicio omnis removetur, quasi pretio viliori res vendita fuerit, quam vendi poterat, aut debebat. Quamvis enim tutores sint vicarii parentum (§. 1848.), non tamen per omnia iisdem æquiparantur (§. 849.): cessat in iis ratio, cur parentibus licita alienatio, quæ in liberorum utilitatem tendit (§. 758.), quippe qui rationem administrationis iisdem reddere non tenentur (§. 766.).

§. 884.

Si alienatio prædii, seu rei immobilis absque urgente necessitate facta fuerit, jure nulla est, & nisi pupillus, ubi ad ætatem adultam pervenit, eam ratihabuerit, illam a possessore vindicare potest. Etenim tutori non competit jus alienandi res immobiles pupilli, nisi adsit ea necessitas, quæ ipsum pupillum ad alienandum cogit (§. 877.), consequenter alienatio, quæ absque urgente necessitate fit, nullo jure fit. Quamobrem cum per se pateat, alienationem nullo jure factam ipso jure nullam esse; erit etiam alienatio prædii, seu rei immobilis pupilli absque urgente necessitate facta, ipso jure nulla. *Quod erat primum.* *De re immobili absque urgente necessitate alienata.*

Enimvero quando pupillus ad ætatem adultam pervenit, bona sua ipsemet administrat. Quodsi ergo alienationem a tutore factam, etiam absque urgente necessitate, ratihabeat; perinde omnino est, ac si eandem ipse vendidisset. Quamobrem cum eam pro lubitu alienare possit (§. 665. *part.* 2. *Jur. nat.*); alienatio absque urgente necessitate a tutore facta subsistit. *Quod erat secundum.*

Denique cum alienatio absque urgente necessitate facta ipso jure nulla sit, *per demonstrata;* si pupillus, ubi ad ætatem adultam pervenit, eam non ratihabeat, nulla manet. Quoniam itaque domino competit jus rem suam vindicandi adversus quemliber possessorem (§. 544. *part.* 2. *Jur. nat.*); pupillus, ubi ad ætatem adultam pervenit, nec alienationem a tutore factam absque urgente necessitate ratihabet, rem suam vindicare potest. *Quod erat tertium.*

Facile patet, idem valere, etiamsi tutor honorarius in alienationem consenserit. Quamvis enim ipsi competat inspectio, utrum adsit necessitas urgens, nec ne, ut permittere non de-

BIU Cujas

beat absque tali alienationem fieri (§. 853.); non tamen ipsi competit jus alienationem absque urgente necessitate permittendi, consequenter actum jure nullum consensu suo validum efficere nequit. Male prospiceretur pupillo tutela honoraria, si ejus talis esset effectus.

§. 885.

De restitutione pretii rei vindicatæ.

Si pupillus rem a tutore absque urgente necessitate alienatam vindicat; pretium emtori restituere tenetur. Quoniam enim tutor res pupilli vendere potest, si necessitas quædam urgeat (§. 877. *& seqq.*); qui rem ab ipso emit, non modo præsumit, tutorem jure suo non abuti, verum etiam quod dat pretium in rem pupilli vertitur. Quodsi ergo pupillus pretium restituere non teneretur, locupletior fieret cum damno alterius: quod cum fieri non possit (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*); pupillus rem a tutore absque urgente necessitate alienatam vindicans pretium emtori restituere tenetur.

Non est, quod excipias, sumi in demonstratione, quod in hypothesi propositionis non continetur, nimirum tutorem pretium rei venditæ in rem pupilli vertisse. Neque enim supponimus tutorem adeo dolosum & infamem, qui res pupilli, ipsas etiam immobiles vendat & pecuniam inde redactam in rationes pupilli non referat: id quod si vel maxime fiat, emtori tamen imputari nequit; sane qui tutori solvit pecuniam pupillo debitam, propterea non denuo solvere tenetur, siquidem tutor defraudator pupilli eandem in rationes non referat: quamobrem nec ratio ulla est, cur pretium, quod accepit tutor, re vindicata, a pupillo restitui non debeat, si vel maxime contingere possit, ut tutor pecuniam acceptam forsan vertat in suos usus, ex quo facto deinde pupillo suo tenetur (§. 875.). Qui cum tutore agit, tanquam cum bono viro agit, parum sollicitus, utrum ipse tutelam rite administret, nec ne: quamobrem si vel maxime in emenda re pupillari non satis circumspectum se præbeat, non tamen damnum ex culpa aliena sentire debet, sufficit quod suæ culpæ causa teneatur ad restitutionem. Quando tutor rem pupillarem vendens pretium ab emtore accipit, eam pupillus accepisse intelligitur. Quomodo deinceps pecunia ista utatur, vel abutatur tutor, de eo sollicitus esse non debet emtor, cui nulla inspectio administrationis tutelæ competit. Ceterum per se patet, hic nobis sermonem esse de re pupillari vendita tanquam pupillari, non vero tutorem dolose vendere rem pupillarem tanquam suam. Tum enim ulterius patet, eadem hic valere, quæ de re aliena vendita alibi demonstrantur (§. 940. *& seqq. p.* 4. *Jur. nat.*).

§. 886.

De servitute prædio imponenda & acquirenda.

Tutor prædio pupilli servitutem imponere nequit; acquirere tamen valet. Etenim prædium imposita servitute deterioratur, ut tanti æstimari nequeat, ac si esset liber (§. 1275. *part.* 5. *Jur. nat.*), & quoniam prædium dominans jus quoddam in serviente acquirit, & illi ab hoc utilitas quædam præstatur (§. 1271. *part.* 5. *Jur. nat.*), prædium acquisita servitute melioratur, ut majoris æstimetur, quam si eo jure careret. Quoniam itaque tutor obligatur ad patrimonium pupilli amplificandum, quantum potest (§. 870.), consequenter etiam obligatur ad idem non diminuendum (722. *part.* 1. *Jur. nat.*); tutor prædio pupilli servitutem imponere nequit, acquirare tamen valet.

Facile patet, servitutem a tutore prædio pupilli impositam ipso jure nullam esse, consequenter possessorem prædii dominantis jure a tutore ipsi concesso uti non posse, ubi ad ætatem adultam pervenerit pupillus, nec impositionem servitutis ratihabuerit.

§. 887.

De oppignoratione prædii pupilli.

Tutor ob urgentem necessitatem prædium pupilli oppignorare potest. Etenim si necessitas urgeat prædium pupilli oppignorari, necesse est ut pecuniam sine mora solvere teneatur pupillus, quam paratam tutor non habet. In hoc igitur casu aut prædium alienandum, aut oppignorandum esse nemo non videt. Quoniam tamen nulla necessitas adhuc urget, ut prædium alienetur, quamdiu oppignorari potest, tutor autem absque necessitate, quæ pupillum ad alienandum non cogit, id alienare nequit (§. 877.);

quin

BIU Cujas

quin illud potius oppignorare debeat, consequenter oppignorare possit, dubitandum non est.

Quoniam oppignoratio est via ad alienationem, nisi debitum statuto tempore solvatur (§. 1145. *part.* 4. *Jur. nat.*); eadem de ea tenenda sunt, quæ de alienatione demonstrata sunt (§. 881.), & præterea etiam quæ de oppignoratione demonstrata sunt in parte quinta.

§. 888.

De bonis tutoris naturaliter obligatis pupillo.

Bona tutoris naturaliter obligata sunt pupillo. Etenim tutori competit administratio bonorum pupilli (§. 845.), consequenter pupilli interest, ut ea fideliter ac diligenter administrentur, nec ei detur damnum culpa vel dolo tutoris. Quamobrem cum pupillus securus esse debeat, ne culpa vel dolo tutoris damnum detur patrimonio suo, hanc vero securitatem aliter consequi nequeat, nisi ea de causa bona tutoris ipsi sint obligata (§. 1142. 1143. *part.* 5. *Jur. nat.*); bona tutoris naturaliter obligata sunt pupillo.

Ostendimus supra (§. 850.), tutorem eo ipso, quod tutelam suscipit, cum pupillo quasi contrahere, quod bona ejus fideliter ac diligenter administrare velit. Quamobrem cum pupillus, si revera cum eodem contraheret, jure quoque ab eo exigeret cautionem; oppignoratio bonorum tutoris in isto quasi contractu contenta intelligitur, ut adeo perinde sit, ac si eadem expresse eidem oppignorasset.

§. 889.

De hypotheca tacita in rebus immobilibus tutoris.

Quoniam bona tutoris naturaliter oppignorata sunt *pupillo* (§. 888.); eidem *in rebus immobilibus tutoris tacita hypotheca competit* (§. 1143. *p.* 5. *Jur. nat.*); consequenter cum jus hypothecæ cum re transeat ad quemlibet possessorem (§. 1154. *part.* 5. *Jur. nat.*), *si durante tutela tutor rem suam alienat, vel antequam de administratione satisfecerit, pupillus hypothecam in eadem retinet.*

§. 890.

Quando satisdatione tutoris non sit opus.

Quoniam pupillo tacita hypotheca competit in rebus immobilibus tutoris (§. 889.); *naturaliter non est opus satisdatione tutoris, si bona immobilia possidet.*

Hypotheca nimirum tacita idem operatur, quod expressa, quemadmodum quasi contractus eandem obligationem inducit, ac idem jus confert, quam inducit & quod confert contractus verus (§. 505. *part.* 5. *Jur. nat.*).

§. 891.

Quinam tutor administrator eligi debeat & quando satisdatione opus sit.

Similiter quia pupillo tacita hypotheca competit in rebus immobilibus tutoris (§. 889.), eadem autem opus habet pupillus in securitatem sui (§. 1143. *p.* 5. *Jur. nat.*); *tutor administrator dari non debet, nisi qui bona immobilia possidet, quibus pupillo satis cautum est, aut, si ipse non possideat, cavere is debet per fidejussores, talia possidentes* (§. 784. *part.* 4. *Jur. nat.*), quippe quæ accedere potest ad quamlibet obligationem (§. 789. *part.* 4. *Jur. nat.*).

Facile patet, in statu naturali tutoris honorarii esse, ut inquirat in facultates tutoris administratoris, utrum per eas pupillo satis cautum sit, nec ne (§. 853.). Immo propter hanc cautionem sæpius necesse est, ut plures constituantur tutores, quorum bona simul obligata sint in solidum pupillo, aut ut administratio inter plures dividatur, ut uniuscujusque bona obligata sint pro ea parte, quam quis administrat. Naturaliter autem nulla ratio est, cur bona tutoris educatoris obligata sint pupillo.

BIU Cujas

§. 892.

Tutor & curator quinam suspectus dicatur.

Tutor & Curator suspectus dicitur, qui non fideliter, aut negligenter tutelam vel curam administrat.

Tutorem & curatorem suspectum reddit vel dolus, vel culpa, vel dolus & culpa simul. Administratio parum fidelis, vel fraudulenta a dolo, negligens a culpa proficiscitur; quæ vero fraudulenta & negligens est, a dolo & culpa simul. In administratione tutelæ dolum quoque committere potest, multoque magis culpam etiam tutor educator, ex. gr. si sumtus in educationem pupilli faciendos simul impendat in liberos suos, quando scilicet pupillus apud ipsum educatur. Similiter tutor honorarius suspectus fit, si rationes administrationis sibi reddi non curat, vel quomodo tutela administretur a tutoribus ceteris parum curat.

§. 893.

Quinam tutores suspectos reddere possint.

Tutorem suspectum reddere potest tam tutor honorarius, quam contutor alius: immo suspectum reddere potest quilibet alius. Etenim tutori honorario competit inspectio tutelæ (§. 853.), consequenter ejus est inquirere, utrum tutores ceteri tutelam fideliter ac diligenter administrent, an vero parum fideliter, seu fraudulenter, aut negligenter. Quamobrem cum tutor suspectus reddatur, si ostendatur, eum parum fideliter, aut negligenter tutelam administrare (§. 892.); tutor honorarius tutorem suspectum reddere debet, consequenter potest (§. 158. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat primum.*

Tutoribus idem curæ esse debet in educandis pupillis, quod parentibus (§. 849., consequenter quicquid ad hoc conferre possunt, ut iidem fiant felices, ac fortunati, pro virili conferre tenentur (§. 710. 733.). Quodsi ergo tutor unus videat, a contutore quædam committi, quæ felicitati aut fortunæ pupilli adversantur, consequenter eum parum fideliter, aut negligenter tutelam administrare; id utique ferre non debet. Quoniam itaque tutorem suspectum reddit, qui eum parum fideliter, aut negligenter tutelam administrare ostendit (§. 892.); tutor quilibet contutorem suspectum reddere potest (§. 159. *part* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat secundum.*

Denique unicuique homini danda est opera, quantum in potestate sua est, ut alii quoque homines, quicunque fuerint, consequenter etiam pupilli, quorum educatio tutoribus commissa (§. 840.), fiant felices, & quantum in ipsis est impedire, *ne sint* infelices (§. 614. *part.* 1. *Jur. nat.*). Nec minus danda est opera, ut consequantur fortunæ bona (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), & ne incidant in mala fortunæ (§. 613. *p.* 1. *Jur. nat.*), consequenter ut fiant fortunati (§. 409. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi ergo videat, tutorem parum fideli, aut negligente tutelæ administratione committere felicitati ac fortunæ pupillorum adversa; ipsi utique jus est hoc ostendendi (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter tutorem suspectum reddendi (§. 892.). *Quod erat tertium.*

Educatione liberorum intenditur, ut fiant felices &, quantum datur, fortunati: neque enim fortunæ bona in potestate nostra sunt, ut ideo contenti esse debeamus ea fecisse, quæ a parte nostra proficisci possunt, ne culpa nostra iisdem careamus. Pupilli maxime indigent ea in re aliorum ope atque auxilio (§. 840. 767.), ac ideo merentur opem atque auxilium cujuscunque (§. 667. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamvis itaque tutela sit divisa, ut unicuique certæ assignentur partes; non tamen ideo alter liberatur ab obligatione naturali pupilli perfectionem & commoda quovis modo promovendi, nec quia constituti sunt tutores, ideo quilibet alius ab eadem obligatione liberatur (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter & contutori, & cuilibet alii jus est tutorem suspectum reddendi, ut læsio quævis pupilli avertatur, quamvis major sit obligatio contutoris, in quo ad naturalem accedit contracta ex quasi contractu, quam aliorum, qui naturaliter tantummodo obligantur.

§. 894.

BIU Cujas

§. 894.

In ſtatu naturali tutor honorarius, immo etiam honorario deficiente contutor tutorem ſuſpectum removere poteſt, & alium magis idoneum eligere. Etenim tutoris honorarii eſt iuſpicere, utrum tutela fideliter atque diligenter adminiſtretur, nec ne (§. 853.), conſequenter ipſi competit jus ad ea, ſine quibus fidelis ac diligens tutelæ adminiſtratio obtineri nequit, (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*): alias nimirum temere daretur tutor honorarius (§. 277. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod in Jure naturæ abſurdum (§. 278. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodſi ergo tutor honorarius deprehendat, a tutore alio tutelam parum fideliter ac negligenter adminiſtrari, eidem adminiſtrationem amplius relinquere non debet, ſed alii committere, qui eam fideliter ac diligenter adminiſtret. Patet itaque in ſtatu naturali tutori honorario competere jus tutorem ſuſpectum removendi (§. 892.), & alium magis idoneum eligendi. *Quod erat unum.* *Quinam tutorem ſuſpectum in ſtatu naturali removere poſſint.*

Enimvero quoniam tutori cuilibet competit jus contutorem ſuſpectum reddendi (§. 893.), conſequenter inſpiciendi, utrum tutelam fideliter ac diligenter adminiſtret (§. 892.); ſi nullus conſtitutus fuerit tutor honorarius, cui inſpectio in ſpecie demandata, contutores ſibi invicem ſimul ſunt inſpectores, ſeu tutoris honorarii vicibus funguntur (§. 853.). Quoniam itaque tutor honorarius in ſtatu naturali tutorem ſuſpectum removere & alium magis idoneum eligere poteſt, *per demonſtrata*; quilibet tutor contutorem ſuſpectum removere atque alium magis idoneum eligere poteſt. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias, difficilem eſſe hujus juris executionem in ſtatu naturali: quæſtio enim hic tantummodo eſt de jure, non de executione juris. Difficultas executionis non modo obtinet in executione hujus juris, ſed etiam aliorum. Quomodo vero eadem tollatur in ſtatu civili, ſuo loco conſtabit.

§. 895.

Pupillus naturaliter ſine tutoris conſenſu alteri ſe obligare nequit ad aliquid præſtandum, nec qui curatorem habet, ſine curatoris conſenſu, niſi factum pupilli ratihabuerit tutor, vel curandi curator. Etenim tutori competit adminiſtratio bonorum pupilli (§. 845.), & curatori adminiſtratio curandi (§. 842.), conſequenter pupillus ſine conſenſu tutoris, curandus ſine conſenſu curatoris alteri ſe obligare nequit ad aliquid præſtandum. *Quod erat unum.* *De obligatione pupilli & curandi ſine tutoris & curatoris conſenſu facta.*

Quodſi vero factum pupilli ratihabuerit tutor, vel curandi curator, perinde omnino eſt, ac ſi tutore autore, vel cum conſenſu curatoris actus obligatorius perfectus fuiſſet. Quamobrem cum tutori competat jus adminiſtrandi bona pupilli (§. 845.), curatori autem jus adminiſtrandi bona curandi (§. 842.); ſi factum pupilli vel curandi ratihabuerit tutor, vel curator, actus obligatorius validus eſt. *Quod erat unum.*

Damni avertendi cauſa pupillo, etſi non amplius ſit infans, datur tutor, curando autem curator, quia uterque nondum ſibi ſatis cavere poteſt, ne cum damno ſuo alteri ſeſe obliget. Quamobrem repugnat, ut ſine conſenſu tutoris, vel curatoris alteri ſeſe obligare poſſit pupillus, vel curandus. Jus ſe alteri obligandi ademtum eſt pupillo, & curando atque translatum in tutorem & curatorem. Quod ergo ſine conſenſu tutoris, vel curatoris fit, id ex parte pupilli, vel curandi invalidum eſt, etſi ex parte alterius validus ſit actus, qui jure ſuo pupillo, vel curando ſeſe obligare potuit. Tutoris itaque & curatoris eſt inquirere, utrum actus obligatorius vergat in detrimentum pupilli, vel curandi, nec ne, ac per conſequens utrum eundem ſubſiſtere velit, an nolit. Per ſe autem patet in jure naturali ſermonem eſſe de pubertate morali & minorennitate naturali, non autem de civili, quæ certo annorum numero circumſcribitur. Fieri nimirum poteſt, ut quis negotium unum ſatis circumſpecte gerere poſſit, etiamſi ceteris nondum ſufficiat, immo ut gerendis rebus ſuis in univerſum præeſſe poſſit, quamvis ad certam ætatem nondum pervenerit.

§. 896.

BIU Cujas

§. 896.

De actu, quo pupillus alterum sibi obligavit in commodum suum.

Si pupillus vel curandus alterum sibi obligavit ad aliquid gratis præstandum, vel cum eo contraxit in commodum suum; actus validus est. Etenim si pupillus, vel curandus alterum sibi obligavit ad aliquid gratis præstandum, vel cum eo contraxit in commodum suum; tutori, vel curatori nulla ratio est, cur consentire non debeat in factum pupilli, vel curandi, consequenter id ratihabere tenetur. Quamobrem cum in hoc casu perinde sit, ac si tutore autore, vel cum consensu curatoris alterum sibi obligasset pupillus, vel curandus; si is alterum sibi obligavit ad aliquid gratis præstandum, vel cum eo contraxit in commodum suum, actus validus est.

Cessat nimirum ratio, cur actus absque consensu tutoris, vel curandi invalidus esse debeat, quæ non alia est, quam ut omne damnum a pupillo, vel curando avertatur, qui nondum eo judicio pollet, ut rebus suis ipsemet præesse queat. Quamobrem si pupillo, vel curando aliquid donetur, vel promittatur, etsi acceptatio facta fuerit inscio tutore, vel curatore, donatio tamen & promissio valida est. Similiter si pupillus, vel curandus emat rem sibi necessariam, vel vendat inutilem pretio minime iniquo, quam emere, vel vendere debebat ipse tutor, vel curator; emtio & venditio subsistit.

§. 897.

De contractibus pupillorum, & curandorum.

Contractus pupilli, vel curandi absque tutoris, vel curatoris consensu initi invalidi sunt, si vergant in detrimentum pupilli, vel curandi. Contractus enim sunt actus obligatorii (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum pupillus, vel curandus alteri sese obligare nequeat ad aliquid præstandum, nisi hoc fiat in commodum ipsius (§. 895. 896.), consequenter si vergat in detrimentum ejusdem; contractus pupilli, vel curandi absque tutoris, vel curatoris consensu invalidi sunt, si vergant in detrimentum pupilli, vel curandi.

Sunt equidem qui existimant, naturaliter valere etiam contractus minorum, etsi non accedat vel tutoris, vel curatoris consensus; vix tamen nobis contradicere videntur, quippe cum illi supponant minorennitatem civilem, quæ certo annorum numero definitur, non naturalem de qua nobis hic sermo est (*not.* §. 895.). Quodsi objicias difficultatem contractuum validitatem æstimandi ex naturali minorennitate; ea tenenda sunt, quæ paulo ante monuimus (*not.* §. 894.).

§. 898.

De administratione curæ.

Quæ de administratione bonorum pupilli demonstrata sunt, ea etiam valent de administratione bonorum curandi. Etenim eadem ratio est, cur tutori & cur curatori competat administratio bonorum, nimirum quia is, cujus bona administranda sunt, ipse rebus suis præesse nequit. Quamobrem quæ de administratione bonorum pupilli demonstrata sunt, non solum valent de tutore, verum etiam de curatore.

Quamobrem nec opus est, ut cura minorennium parentibus orborum a tutela distinguatur, sed, quemadmodum nostris moribus obtinet, qui tutor est, idem etiam curator manet, etsi post pubertatem, moralem scilicet, jus in actiones personæ non prorsus idem maneat, quemadmodum ipsa potestas patria non toto tempore eadem est, quo eidem subsunt liberi. Sane quamvis cura potissimum respiciat administrationem bonorum minorennis; non tamen curatori naturaliter ademtum est omne jus in actiones personæ, quippe quæ quoad eas, quæ per se rite determinare nondum novit, adhuc pro impubere in sensu morali habetur. Atque hinc patet ratio, cur naturali rationi magis conveniat, ut tutelæ administratio continuetur, donec educatio omnis fuerit absoluta, seu majorennitate in sensu morali acquisita. Ceterum ex propositione præsente intelligitur, non opus esse, ut de administratione bonorum minorennis curatori demandata sigillatim agatur.

§. 899.

BIU Cujas

§. 899.

Curator honorarius dicitur, cui inſpectio adminiſtrationis bonorum eius perſonæ, cui curator datus eſt, demandata. Unde intelligitur, *quodnam ſit curatoris honorarii* officium, cumque de curatoribus valeant, quæ de tutoribus quoad adminiſtrationem bonorum demonſtrata ſunt (§. 898.), *ad curatorem* quoque *honorarium applicanda veniunt, quæ de tutore honorario reſpectu adminiſtrationis bonorum demonſtrata ſunt.* *De curatore honorario.*

Ita curator curatori honorario quotannis rationem adminiſtrationis reddere tenetur, ſicuti tutor adminiſtrator tutori honorario (§. 867.).

§. 900.

Pupilli tutoribus obedire tenentur. Quoniam enim tutoribus idem curæ eſſe debet in educandis pupillis, quod parentibus (§. 849.), idem quoque jus in actiones eorundem ipſis competit, quod parentibus competebat (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter jus determinandi actiones eorum (§. 660.), ac ideo liberi eaſdem ad voluntatem illorum componere debent (§. *cit.*). Quamobrem cum alteri obediat, qui actiones ſuas ad voluntatem ipſius componit (§. 205.); pupilli tutoribus obedire tenentur, conſequenter inobedientes eſſe non debent (§. 207.). *De obedientia pupillorum.*

Vitanda igitur ſunt ea, quæ liberis minime permiſſa demonſtravimus, quando de obedientia & inobedientia eorum egimus (§. 667.).

§. 901.

Tutores obligantur pupillos efficere obedientes, nec permittere ut obediant aliis, ipſis inſciis ac inconſultis, aut prorſus invitis. Etenim parentes ad hæc obligantur (§. 659.), conſequenter etiam tutores (§. 849.). *De obligatione tutorum quoad obedientiam pupillorum.*

Facile apparet, nos ſupponere, quod pupilli educentur apud tutorem: alias enim tutor curare ſaltem debet, ut per alium rite educentur, alter tamen ſequi in educatione debet ipſius voluntatem, nec hoc obſtante, ipſe etiam tutor pupillis præcipere poteſt, quæ facienda ſint, & prohibere non facienda. Quamvis enim per alium faciat, quod ipſe facere debebat; ipſi tamen imputatur, ſi qua minus recte fieri permittat.

§. 902.

Quoniam tutor obligatur pupillos efficere obedientes nec permittere, ut obediant aliis, ipſo inſcio ac inconſulto, aut prorſus invito (§. 901.); *eidem* quoque *competit jus obligandi pupillos ad obedientiam præſtandam & inobedientiam vitandam*, ſeu *actiones ſuas ſic & non aliter determinandas* (§. 205.), conſequenter *eidem competit jus inobedientes puniendi & præmiis invitandi ad obediendum* (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ. & §. 671. h.*). *De jure puniendi pupillos & præmiis eos invitandi ad obedientiam.*

Niſi jus puniendi pupillos concedatur tutoribus, ſine ullo effectu iiſdem competit cura educationis, & nullius eſt efficaciæ obligatio pupillorum ad obedientiam. Quamobrem qui curam educandi committit alteri, is etiam eidem concedere debet jus puniendi. Parum vero refert, ſive caſtigationem, ſive pœnam vocare velis, qua inobedientes coercere debent tutores. Nos pœnæ nomen retinemus, ne terminos multiplicemus præter neceſſitatem. Quæ vero porro ſuperius de obedientia liberorum parentibus præſtanda demonſtrata ſunt (§. 673. & *ſeqq.*), ea quoque ad pupillos facile applicantur, ut prolixioribus nobis eſſe non liceat.

§. 903.

BIU Cujas

§. 903.

Quod tutores sint benefactores liberorum.

Tutores sunt benefactores pupillorum. Etenim tutores sunt vicarii parentum in educatione liberorum (§. 848.), ac ideo eandem curam in eam impendere tenentur, quam impendunt parentes (§. 849.), & propter pupillorum educationem plurimum molestiarum devorare tenentur, prouti patet ex iis, quæ de omni educatione liberorum supra demonstrata sunt. Præterea multum quoque negotii ipsis facessit bonorum administratio & haud parum molestiæ affert, vi eorum, quæ de eadem hactenus demonstrata sunt, & experientia indies confirmat. Quamobrem cum tutores tutelam gratis administrent, omnis autem actus beneficium sit, quo perfectionem alterius ac status ejusdem quomodocunque gratis promovemus (§. 22. *part.* 3. *Jur. nat.*); tutores sunt benefactores pupillorum.

Equidem tutores, quatenus spectantur ut benefactores, parentibus æquiparari nequeunt, cum ipsis non debeant vitam & sumtus educationis, sicuti hisce; non tamen propterea beneficia ipsorum vilipendenda sunt. Cessat enim in iis obligatio illa naturalis educandi prolem, quæ tenet parentes (§. 263.), nec minoris est relicta a parentibus conservare atque amplificare, consequenter parta tueri, quam quærere. Quodsi ergo tutela rite administretur, quod hic supponitur, administratio hæc utique non infimum inter beneficia locum meretur.

§. 904.

De officiis pupillorum erga tutores.

Quoniam tutores sunt benefactores pupillorum (§. 903.), beneficiarius autem benefactorem amare (§. 39. *part.* 4. *Jur. nat.*), beneficium occasione oblata eidem reddere (§. 41. *part.* 4. *Jur. nat.*) & animum gratum erga eum habere debet (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*); *pupilli tutores amare, beneficium occasione oblata iisdem reddere ac animum gratum erga eos habere debent.*

Officia hæ sunt perpetua, & subsistunt, tutela etiam finita, cum ratio eorundem semper subsistat (§. 118. *Ontol.*). Quatenus eadem officia ad curatores quoque extendantur, facile patet.

§. 905.

Quando tutela & cura finiatur.

Quamprimum pupilli ad eum statum fuerint perducti, ut sibimetipsis prospicere possint de iis, quæ ad conservationem sui indigent, & actiones suas juxta legem naturæ determinare; tutela curam complexa finitur: omnis autem cura finitur, quando curandus ipsemet bona sua administrare potest. Etenim tutoribus competit potestas patria naturalis (§. 846.), consequenter ea finitur, quando potestas patria naturalis finitur. Quamobrem cum potestas patria naturalis finiatur, quamprimum liberi ad eum statum fuerint perducti, ut sibimetipsis prospicere possint de iis, quæ ad conservationem sui indigent & actiones suas juxta naturæ legem determinare (§. 775.); tutela quoque iisdem positis finitur, quatenus curam quoque sub se comprehendit. *Quod erat unum.*

Curator datur bonorum administrandorum causa (§. 842.). Quamobrem si qui sub cura est ipsemet jam bona sua administrare potest, ut administratore non amplius habeat opus; cessante ratione curæ, ea omnino finitur. *Quod erat alterum.*

Nobis hic sermo est de eo, quod naturale est, non quod civile.

§. 906.

BIU Cujas

§. 906.

Quoniam tutela & cura finitur, quamprimum pupillus ipsemet per se actiones suas per legem naturæ determinare, sibi de iis, quibus ad conservationem sui indiget, prospicere & bona sua administrare valet (§. 905.), in sensu autem morali puberes sunt, quibus jam est ea boni ac mali notitia, ut per se de actionibus suis statuere possint (§. 767.), & naturaliter majorennes sunt, quorum per ætatem judicium adeo perfectum est, ut negotia sua per se recte curare norint (§. 768.); ideo patet, *naturaliter tutelam pubertate* in sensu morali accepta, *& curam majorennitate naturali finiri*. *Finis tutelæ ac curæ ulterius expenditur.*

Hæc ideo addimus, ut luculentius constet, quantum juri civili cum naturali conveniat, & quænam inter utrumque differentia intercedat. Etenim jure civili tutela pubertate, cura majorennitate finitur; sed utraque civiliter accipitur, quatenus certo annorum numero circumscripta.

§. 907.

Tutelæ administratio finitur morte tutoris; curæ administratio morte curatoris. Etenim quando tutor moritur, tutelam ipsemet amplius administrare nequit, quod per se patet. Quoniam vero tutela personale jus est (§. 539. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 841. *h.*), jus autem personale cum ipsa persona extinguitur (§. 542. *part.* 3. *Jur. nat.*); morte quoque tutoris finitur tutelæ administratio. *Quod erat unum.* *De morte tutoris & curatoris.*

Morte curatoris curæ administrationem finiri, eodem modo ostenditur. *Quod erat alterum.*

Morte tutoris non finitur ipsa tutela quoad pupillum; quippe qui tutore adhuc habet opus, ut ideo illa continuanda sit ab alio; finitur tamen administratio, quatenus jus, quod habuit defunctus, non transit in hæredes ipsius, qui se administrationi immiscere nec debent, nec tenentur. Et idem tenendum est de cura.

§. 908.

Morte pupilli finitur tutela; morte curandi cura. Etenim quando pupillus & curandus moritur, ille non amplius educatore, nec uterque, cum dominium amittat (§. 701. *part.* 6. *Jur. nat.*), administratore bonorum habet opus. Quamobrem cum tutoris sit educare pupillum & bona ipsius administrare (§. 841. 845.), curatoris vero administrare bona curandi (§. 842.); morte pupilli finitur tutela, morte curandi cura. *De morte pupilli, vel curandi.*

Morte adeo pupilli extinguitur omne jus tutoris & morte curandi jus omne curatoris, ut neuter in administratione bonorum quicquam amplius valide agat, nisi adsit periculum in mora; quo in casu ipsum tenet obligatio damni ab alio avertendi (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*), quæ majorem adhuc vim acquirit ex tutelæ ac curæ gestione, prouti ex sequentibus clarius elucescet.

§. 909.

Si tutelam tutor, bona curandi curator bene administravit, nec tenue sit patrimonium pupillo, vel curando; naturaliter tutori & curatori honorarium debetur, non tamen exigi potest. Etenim pupillus tutori beneficium, si potest, reddere tenetur (§. 904.), ac idem intelligitur de curando (*not.* §. *cit.*). Quamobrem cum dona sint beneficia (§. 56. *part.* 4. *Jur. nat.*), honorarium vero sit donum pecuniarium quod remunerandi animo ob præstationem gratuitam datur (§. 731. *part.* 4. *Jur. nat.*), & pupillus ac curandus eodem non gravetur, si habeat patrimonium non nimis tenue ac mediocre, quod per *De honorario tutori & curatori debito.*

BIU Cujas

se patet; quin tum tutori & curatori honorarium quoddam debeatur, dubitandum non est. *Quod erat unum.*

Enimvero ad dandum honorarium nemo cogi potest (§. 732. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter nec pupillus, vel curandus majorennis factus. Quamobrem tutor finita tutela, vel curator finita cura honorarium exigere nequit. *Quod erat alterum.*

Non iniquæ equidem sunt querelæ de honorario non dato, si bona præsertim multa fuerunt administranda, & ab administratore non modo servata, verum etiam insigniter aucta, vel si præterea multum curæ ac diligentiæ in educationem impendit tutor, non tamen qui jus habet conquerendi de ingratitudine alterius, eidem etiam jus est adigendi alterum ad beneficium reddendum.

§. 910.

De salario tutoris, vel curatoris.

Naturaliter non illicitum est, ut tutori, vel curatori, si ampla sint bona pupillo, vel curando salarium aliquod constituatur. Etenim si pupillo, vel curando ampla sint bona, pro tutela ac curæ gestione, quam amplitudo patrimonii magis molestam efficit, quidpiam dari tutori & curatori in potestate pupilli, vel curandi est (§. 175. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum nemo teneatur alteri gratis dare, vel facere, si is vicissim dare, vel facere possit (§. 268. *part.* 4. *Jur. nat.*); tutor quoque & curator onus administrationis in se gratis suscipere non tenentur, si ampla sint pupillo, vel curando bona. Quamobrem naturaliter illicitum non est, ut eo in casu tutori, vel curatori constituatur aliquod salarium.

Vidimus æquum esse, ut tutori, vel curatori detur aliquod honorarium, finita tutela, vel cura, si id sit in potestate ejus, qui majorennis factus (§. 909.). Quemadmodum vero de honorario etiam conveniri potest (§. 735. *p.* 4. *Jur. nat.*); ac tum idem abit in mercedem (§. 737. *part.* 4. *Jur. nat.*); ita eadem quoque est salarii tutori vel curatori dandi ratio, quæ honorarii, consequenter illius æquitas inde quoque eluceseit. Neque vero est, ut excipias, salarium dari quotannis, honorarium nonnisi semel, tutela nimirum, vel cura finita, consequenter illud hoc excedere; cum enim quantitas honorarii dantis arbitrio definiatur (§. 738. *part.* 4. *Jur. nat.*), & excedere possit mercedem operarum in deposito & mandato (§. 741. *part.* 4. *Jur. nat.*), contractibus beneficis; tale quoque honorarium tutori & curatori dari potest, quod ipsum salarium, si quod constitutum fuisset, superet.

§. 911.

Quænam istud constituere possit.

Naturaliter tutori, vel curatori salarium constituere nequit, nisi pater, vel mater. Etenim pater, vel mater, quando moriuntur, bona sua liberis relinquunt, consequenter de iis quoque pro arbitrio suo, antequam moriuntur, disponere possunt (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem dum iisdem tutores, vel curatores dant (§. 831. 841. 842.); hisce quoque pro tutelæ, vel curæ gerendæ onere salarium aliquod constituere possunt (§. 910.). *Quod erat unum.*

A morte parentum dominium in bonis relictis competit pupillo, vel curando, consequenter iisdem quoque jus competit de iis disponendi pro arbitrio suo (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec ulli alii (§. 121. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero cum pupillus & curandus bona sua nondum administrare valeant (§. 845. 842.); nec ipsi salarium tutori, vel curatori decernere possunt, sed eorundem est statuere de honorario pro gestione tutelæ, aut curæ dando. Præter parentes igitur in statu naturali nemo tutori, vel curatori salarium constituere potest. *Quod erat alterum.*

Naturaliter non repugnat, ut tutor vel curator finita tutela vel cura de honorario in locum salarii succedente cum eo, cui restituuntur bona, conveniat: quodsi tamen hunc non inveniat satis æquum, hoc ipsi ferendum (§. 732. 738. *part.* 4. *Jur. nat.*). Non est quod excipias, tutorem vel curatorem administrare bona pupilli, vel curandi, consequenter etiam sibimetipsi salarium, naturaliter non illicitum (§. 910.), constituere posse. Neque enim administrat nisi ex voluntate præsumta pupilli, vel curandi, consequenter nil committere potest, nisi quod pupil-

BIU Cujas

pillus, vel curandus ratihabere debet, quatenus administrationis actus vergit in commodum ipsius, cum ipsemet id facere debuisset, siquidem ipse bona sua administrasset. Jus igitur administrandi bona non continet jus sibi pro administratione decarnere salarium.

§. 912.

De restitutione bonorum & reddenda ratione tutelæ vel curæ finitæ.

Tutela, vel cura finita, bona pupillo vel curando & quæ ex administratione debentur sunt restituenda & ratio administrationis reddenda. Tutela enim, vel cura finita, cessat administratio bonorum pupilli (§. 845. 842.), consequenter eadem sine omni cautela sunt in potestate tutoris, vel curatoris (§. 461. *part. 2. Jur. nat.*). Quamobrem cum qui rem alienam in potestate sua habet, & novit, cujusnam ea sint, eandem domino restituere debeat (§. 467. *part. 2. Jur. nat.*); finita tutela, vel cura tutor, vel curator pupillo, vel curando bona sua, quæ administravit, restituere debet. *Quod erat primum.*

Quoniam alter nobis ad id dandum obligatur, quod debet (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), consequenter ut det necesse est (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*); finita tutela, vel cura, etiam restituendum, quod ex administratione debet tutor, vel curator. *Quod erat secundum.*

Quoniam pupillo, vel curando constare nequit, quænam sint bona, quæ sibi restituenda, *vi n.* 1. & quomodo bona sua fuerint administrata, consequenter quæ sibi ex administratione debeantur, adeoque restituenda *vi n.* 2. nisi rationem administrationis reddat tutor, vel curator (§. 700. *part. 4. Jur. nat.*); ideo quoque tutor, vel curator pupillo, vel curando rationem reddere tenetur. *Quod erat tertium.*

Multa sunt, quæ ex administratione, hoc est, ideo quia tutor, vel curator bona pupilli, vel curandi, administravit, restituenda. Pertinet huc omne residuum ex fructibus & usuris in educationem non impensis; pertinet etiam huc omne damnum, quod refarciendum. Quamvis adeo constet ex inventario, quænam fuerint bona, quorum administrationem in se suscipit tutor, vel curator (§. 864.); nondum tamen hinc constat, quænam sint restituenda, nisi ratio administrationis reddatur. Et quamvis ratio quotannis reddita fuerit tutori honorario (§. 867.); eam tamen etiam inspicere debet ipse pupillus, vel curandus, ut eidem pateat, num etiam tutor honorarius officio suo satisfecerit; ipsius enim est de administratione bonorum suorum statuere, nec in alieno judicio naturaliter acquiescere tenetur.

§. 913.

De damno refarciendo.

Naturaliter tutor, vel curator omne damnum refarcire tenetur dolo, vel culpa in administratione datum. Etenim quilibet damnum alteri dolo, vel culpa datum refarcire tenetur (§. 580. *part. 2. Jur. nat.*). Naturaliter itaque tutor etiam, vel curator damnum omne dolo, vel culpa in administratione datum refarcire tenetur.

Naturaliter adeo quæstio nulla est, quamnam culpam præstare debeat tutor, vel curator. Alia vero quæstio est, an in exigenda præstatione culpæ adeo rigidus esse debeat pupillus, vel curandus, quando eidem ratio redditur, an vero, cum ad beneficium reddendum illi obligatus sit (§. 904.), de summo jure non potius quædam remittere debeat (§. 95. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 914.

De tutore educatore.

Si quis saltem tutor educator fuerit constitutus, is propter damnum ab administratore datum non tenetur. Etenim si quis saltem tutor educator fuerit constitutus, ei nulla administratio commissa (§. 841.). Quamobrem nulla ratio est, cur culpa in administrando commissa ipsi imputari debeat. Quamobrem nec tenetur propter damnum ab administratore datum.

Nemo tenetur propter factum alienum, sed propter suum, siquidem ad alienum concurrit. Quamobrem nec tutor educator tenetur propter factum administratoris, si nulla cura administra-

BIU Cujas

tionis illi relicta. Quodsi excipias, naturaliter tutorem quemlibet posse contutorem reddere suspectum (§. 893.), immo removere (§. 894.); probe tenendum est, non ob quamlibet culpam removeri posse tutorem, nec quamlibet culpam manifestam esse ei, qui omnem administrationis rationem non inspicit, consequenter quo inscio ac inconsulto fit administratio.

§. 915.

De administratione divisa.

Si administratio inter plures tutores, vel curatores fuerit divisa; unusquisque nonnisi damnum sua culpa datum in ea parte, quam ipse administrat, resarcire tenetur. Etenim si administratio inter plures tutores vel curatores fuerit divisa; unusquisque quoad partes ceteris commissas spectandus est respectu ceterorum tanquam tutor educator, cui nihil administrationis demandatum, respectu tutoris administratoris, cui soli administratio competit (§. 841.). Quamobrem cum tutor educator propter damnum ab administratore datum non teneatur (§. 914.); ideo nec tutor vel curator, cui pars administrationis commissa, tenetur propter damnum datum culpa ceterorum in ea parte, quam ipsi administrant. Quoniam tamen quilibet damnum sua culpa datum resarcire tenetur (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*); si administratio inter plures tutores, vel curatores fuerit divisa, unusquisque damnum sua culpa in ea parte, quam ipse administrat, resarcire tenetur.

Eadem hic tenenda sunt, quæ modo annotavimus (*not.* §. 914.).

§. 916.

De administratione conjunctim facta.

Si plures tutores, vel curatores conjunctim administrent; singuli ob damnum culpa datum tenentur æqualiter; quodsi tamen ceteri solvendo non sint, qui solvendo est, tenetur in solidum. Etenim si plures tutores vel curatores conjunctim administrent, administratio fieri debet communicato consilio & communi consensu, consequenter si quod damnum culpa datur, id culpa omnium datum intelligitur, cum nullus pati quoque debeat, ut unus quid faciat, se inscio ac inconsulto. Quoniam itaque quilibet damnum sua culpa datum resarcire tenetur (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*), & singuli æqualiter obligentur, quod per se patet; singuli quoque ob damnum culpa datum æqualiter tenentur, si plures conjunctim administrent. *Quod erat unum.*

Quoniam vero plures dantur tutores, vel curatores, qui conjunctim administrant, non alio fine, quam ut magis cautum sit pupillo, vel curando, nec expresse conventum fuit, ut singuli non teneantur ultra ratam, *per hypoth.* ideo omnino plures administratores constituti intelliguntur, ut de eo, quod restituendum est, pupillo vel curando magis sit cautum, consequenter ut, si qui solvendo non sint, qui solvendo est, in solidum teneatur. *Quod erat alterum.*

Tutores conjunctim administrantes respectu pupilli, vel curandi nonnisi unam personam repræsentant, consequenter eorum bona, quæ ei obligata sunt (§. 888.), spectantur tanquam bona unius personæ, ex quibus conjunctim satisfieri debet pupillo, vel curando. Non igitur hic quæritur, cujusnam sint hæc, vel illa bona, sed potius quænam sint bona, ex quibus conjunctim præstandum, quod debetur. Rata igitur a singulis solvenda non habet locum, nisi quando solvi potest, quatenus communis bonorum massa pro toto debito oppignorata respectu tutorum vel curatorum spectatur tanquam divisa.

§. 917.

De eo, quod a tutore & curatore honorario præstandum.

Tutor & curator honorarius non tenetur nisi ob damnum culpa in inspectione administrationis commissa datum. Etenim tutori ac curatori honorario demandata est inspectio administrationis (§. 853.), consequenter ultra ea, quæ inspectionis sunt, obligatio ejus non extenditur. Quodsi ergo in hac nihil admisit, quod culpæ tribui possit; nihil quoque est, quod resarciri ab eo debeat. Quodsi vero tale quid commisit, tum uti-

BIU Cujas

utique damnum sua culpa datum resarcire tenetur (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem patet tutorem & curatorem ad honorarium non teneri nisi ob damnum culpa in inspectione administrationis commissa datum.

Valent etiam de tutore honorario, quæ paulo ante de contutorum culpa annotata sunt (*not.* §. 914.). In casu particulari facile patet, quomodo dijudicandum sit, utrum damnum aliquod culpa tutoris honorarii datum fuerit, nec ne, ut ideo non opus sit in ea prolixius inquiri.

§. 918.

De administratione inter tutores vel curatores conjunctim constitutos divisa.

Si tutores, vel curatores conjunctim constituti administrationem inter se diviserint; eodem modo tenentur, ac si conjunctim administrassent. Etenim si tutores, vel curatores conjunctim constituti administrationem inter se diviserint; respectu pupilli, vel curandi, perinde est, ac si conjunctim administrassent, &, si quod damnum culpa unius datum, id ceteris quoque imputari potest, quod administrationem, quam conjunctim fieri intererat pupilli, vel curandi, diviserint. Nulla igitur ratio est, cur hujus periculo divisio facta esse debeat. Quamobrem tutores & curatores eodem modo tenentur, ac si conjunctim administrassent.

Tutores constituti, ut conjunctim administrent, ex quasi contractu pupillo obligantur ad bona conjunctim administranda (§. 850.). Quodsi ergo eam inter se dividunt, ipsorum periculo fit divisio, non pupilli, qui ex ea nullum damnum sentire potest.

§. 919.

De indemnitate tutoris & curatoris.

Pupillus & curandus obligantur tutori & curatori ad impensas administrationis causa factas restituendum & damnum occasione ejus datum resarciendum, seu *tutorem & curatorem indemnem præstandum*. Etenim tutor pupilli, curator curandi nomine administrat, consequenter quæ in administrationem impenduntur, ejus nomine impenduntur, ut ideo perinde sit, ac si ab ipso impensæ fuissent. Quamvis itaque sese obligaverit tutelam, vel curam suscipiens ad fidelem ac diligentem administrationem (§. 850. 842.); non tamen ideo sese obligavit ad impensas suo sumtu faciendas, quas administratio exigit. Quamobrem cum nulla ratio sit, cur impensas facere teneatur, nec pupillus, vel curandus cum damno tutoris, vel curatoris locupletior fieri debeat (§. 585. *part.* 2. *Jur. nat.*; pupillus tutori, curandus curatori restituere obligatur impensas administrationis causa factas *Quod erat unum*.

Similiter cum nemo obligetur naturaliter cum neglectu officii erga seipsum, ac per consequens cum damno suo (§. 493 *part.* 2. *Jur. nat.*), alteri præstare officium (§. 609. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter bona ipsius administrare; ideo nec tutori, vel curatori administratio damnosa esse debet. Quodsi ergo tutori vel curatori occasione administrationis damnum aliquod detur, id a pupillo, vel curando resarciendum (§. 582. *part.* 2. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum*.

Impensa itaque & damni æstimatio rationibus administrationis recte inseruntur. Per se autem patet, necesse esse, ut probentur. Cum vero impensæ aliæ sint necessariæ, aliæ utiles, aliæ voluptuariæ (§. 604. *& seqq. part.* 2. *Jur. nat.*); quoad earum restitutionem eadem tenenda, quæ de negotiorum gestore demonstravimus (§. 524. *part.* 2. *Jur. nat.*), quemadmodum quoque alia de negotiorum gestione demonstrata ad tutelæ ac curæ administrationem applicari possunt, ut ideo in ea explicanda brevioribus esse licuerit. Inprimis autem notandum est, quicquid agit tutor, vel curator, id fieri ex præsumta pupilli, vel curandi voluntate, ex qua omnino omne jus administrationis metiendum. Sed ea fusius persequi descendendo ad particularia non est instituti nostri. Brevitati enim, quantum datur, studendum.

BIU Cujas

§. 920.

De re tutoris, vel curatoris administrationis causa oppignorata.

Quoniam tutorem pupillus, curatorem curandus indemnem præstare debet (§. 919.); *si tutor pupilli, curator curandi causa res sibi proprias oppignoravit, eas ab hoc onere liberare tenetur pupillus, vel curator, tutela, vel cura finita.* Et *idem eodem modo intelligitur de fidejussione.*

Per se patet, in casu opposito oppignorationem ac fidejussionem fore tutori ac curatori damnosam (§. 1144. *part.* 5. & §. 794. *part.* 4. *Jur. nat.*).

§. 921.

De jure deducendi impensas & alia tutori ac curatori restituenda, item de jure retentionis.

Naturaliter tutor & curator impensas & alia, quæ restituere debet pupillus & curandus, deducere potest: &, si qua de causa ipsi quoad ea, ad quæ ipsis tenetur pupillus & curandus, statim satisfieri non possit, res ipsis restituendæ tamdiu retineri possunt, donec fuerit satisfactum, nisi alio modo satis cautum sit. Jus deducendi impensas & alia, quæ a pupillo & curando restituenda (§. 919.), competere tutori atque curatori, eodem modo ostenditur, quo idem de possessore rei alienæ demonstravimus (§. 637. *part.* 2. *Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Quodsi vero quacunque de causa contingat, ut ea, quæ restituenda sunt (§. 919.), non statim restituantur, veluti si controversia de iis oriatur, ut deduci non possint, quando ratio administrationis redditur (§. 912.), vel etiam res tutoris ac curatoris non statim ab oppignoratione liberentur, aut ipse etiam tutor atque curator a fidejussione, quemadmodum fieri debet (§. 920.); securus omnino esse debet tutor ac curator, ut, quod ipsi debetur, consequatur, vel quod fieri debet, præstetur. Quamobrem cum securitatem præstent res pupilli, vel curandi, si maneant in potestate tutoris, vel curatoris (§. 461. *part.* 2. *Jur. nat.*); tutor atque curator eas tamdiu retinere possunt, donec ipsis fuerit satisfactum. *Quod erat secundum.*

Enimvero cum securitatem etiam præstet oppignoratio (§. 1142. 1143. *part.* 5. *Jur. nat.*), & fidejussio (§. 783. *part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter alio quoque modo, quam retentione rerum restituendarum; si tutori, vel curatori alio modo satis cautum sit, res restituenda retineri nequit, donec ipsi fuerit satisfactum. *Quod erat tertium.*

§. 922.

De officio parentum circa bona filiæ nubentis.

Si filiæ nubet ac propria habet bona; naturaliter parentes ea ipsi restituere debent, quantum tamen datur prospicere, ut ea serventur. Etenim conjuges conjunctim onera matrimonii ferre tenentur pro modo facultatum suarum (§. 449.), consequenter si uxor habuerit bona, quæ ex iis proveniunt, pro rata ab utroque conjuge acquisitorum in onera matrimonii impendenda (§. 448. 450.); bona autem sua administrare potest uxor vel ipsa, vel eorundem administrationem committere marito (§. 441.): immo etiam bonorum communionem contrahere possunt conjuges (§. 439. 440.). Quoniam parentes in bonis, quæ liberis undecunque obveniunt, dominium non acquirunt, sed ea saltem administrare tenentur, nec usufructus ad eos pertinet, nisi quatenus fructus impenduntur educationi (§. 757.); quando filia nubet, quæ ipsa bonis suis jam habet opus, *per demonstrata*, nulla amplius ratio est, cur ea maneant in potestate parentum (§. 461. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem parentes ea filiæ restituere debent. *Quod erat unum.*

Enimvero parentes sibi cavere debent, ne culpa eorum liberi fiant infortunati (§. 732.), consequenter bonis, quæ habent, priventur (§. 409. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem si filiæ nubenti restituuntur bona, *per demonstrata*; quantum datur prospicere debent, ut ea serventur. *Quod erat alterum.*

Pro-

BIU Cujas

Prospicere filiæ nubenti prudentiæ est, & pro diversitate circumstantiarum diversimode prospicitur. Eædem igitur probe expendendæ, ne quid culpæ parentum tribui possit. Quemadmodum natura nullam facit differentiam inter potestatem patris atque matris (§. 661.); ita quoque præsens propositio de utroque parente eodem modo intelligitur. Ceterum facile patet, si quis sibi non sufficiat in iis, quæ prudentia exigit, eum alienum consilium adhibere debere: id quod universaliter valet in omni negotiorum genere.

§. 923.

De officio tutorum & curatorum.

Quoniam tutores sunt vicarii parentum defunctorum in educatione liberorum (§. 848.), ad quam etiam spectat bonorum, quæ ipsis sunt, administratio (§. 757.), consequenter eadem facere tenentur, quæ parentes facere debent (§. 847.), parentes autem filiæ nubenti bona, quæ habet, propria restituere debent, ac quantum datur prospicere, ut ea serventur (§. 922.); *tutores* quoque *virgini, quæ sub tutela est, nubenti bona sua & quæ ex administratione debentur* (§. 912.), *restituere tenentur, & quantum datur prospicere debent, ut ea serventur*. Cumque de curatore eadem valeant, quæ de tutore quoad administrationem bonorum demonstrata sunt (§. 898.); *idem* etiam *de curatore intelligitur*.

Poterat de utroque idem demonstrari eodem modo, quo de parentibus id ostendimus (§. 922.).

§. 924.

Dos quid dicatur.

Dos dicuntur res, quas uxor affert ad maritum, vel quæ nomine ejus ipsi traduntur ab alio onerum matrimonii sustinendorum causa.

Constat in Jure Romano vocabulum dotis non semper eodem modo sumi. Etenim subinde denotat titulum, quo jus in res uxoris onerum matrimonii sustinendorum causa in maritum transfertur: subinde ipsam hanc rem, vel res, in quibus marito jus istud constituitur; subinde etiam ipsum jus in istis marito constitutum. Quoniam vero nostrum institutum exigit, ut omnem æquivocationem evitemus & vocabulo significatum fixum tribuamus; conveniens nobis visum fuit, ut significatum secundum retineamus, tanquam usitatiorem. Et cum in anterioribus demonstratum fuerit, quale jus naturaliter competat marito in bonis uxoris; definitionem quoque juri naturæ aptare debuimus, consequenter non diximus, res ab uxore transferri in maritum, vel ab eadem tradi, quia naturaliter non repugnat, ut ipsa fœmina bona sua administret, vel etiam per alium administrare curet, & de iis, quæ lucratur, ad onera matrimonii sustentanda ratam suam conferat.

§. 925.

De jure mariti in dote.

Quoniam dos est res, vel rerum quædam universitas, quam uxor affert ad maritum, vel alius ipsius nomine tradit onerum matrimonii sustinendorum causa (§. 924.), oneribus vero matrimonii sustinendis non ipsæ res impendi debent, nisi summa necessitas urgeat (§. 452.); *naturaliter marito non competit nisi jus fructum dotis oneribus matrimonii impendendi*, consequenter *non dominium plenum in dote habet* (§. 137. *part.* 2. *Jur. nat.*), *sed saltem usumfructum* (§. 1420. *part.* 5. *Jur. nat.*).

Jus, quod marito in dote competit, dominii nomine subinde venit in Jure Romano, per alias tamen leges ita restringitur, ut ultra usumfructum extendi nequeat. Qua de causa interpretes istius Juris misere sese torquent in conciliandis legibus istis, non attendentes Romanos JCtos vocabulum dominii etiam accipere in significatu restrictiori, prouti circumstantiæ rei ferunt. Sed ea sunt a foro nostro aliena.

§. 926.

BIU Cujas

§. 926.

De dotis substantia, & quanam de illa tenenda.

Quoniam naturaliter marito non competit nisi ususfructus in dote (§. 925.), in usufructu autem salva manere debet substantia rei (§. 1420. *part.* 5. *Jur. nat.*); *uxori* quoque *salva manere debet substantia dotis*: immo ex eadem ratione *de dote intelliguntur naturaliter, quæ de usufructu demonstrata sunt* in parte quinta Juris naturæ.

Ita autem, quæ de usufructu demonstrata sunt ad dotem applicanda, ut habeatur ratio eorum, quæ de oneribus matrimonii ferendis ac bonis conjugum supra demonstrata sunt (§. 435. & *sequentibus*.

§. 927.

An inter bona uxoris naturaliter quædam sit differentia.

Similiter quia dotis nomine veniunt res, quas uxor ad maritum affert onerum matrimonii sustinendorum causa (§. 924.), naturaliter autem onera matrimonii conjunctim ferre debent, pro modo facultatum suarum (§. 449., &, si maritus fuerit inops, uxor dives, vel fructus ex omnibus bonis uxoris oneribus matrimonii impendi possunt (§. 446.), immo si per operas suas & ex rebus suis conjuges tantundem acquirere nequeunt, quantum ad onera matrimonii ferenda sufficit, de ipsis etiam bonis uxoris quædam iisdem impendi possunt (§. 452.); *naturaliter inter bona, quæ habet uxor, nulla est differentia, sed omnia dotis sub nomine comprehenduntur, quorum fructum non sibi soli expresse reservavit.*

In Jure civili distinguuntur *bona dotalia* a *paraphernalibus*, quorum illa sunt, quæ, dum matrimonium initur, marito onerum ejus sustinendorum causa traduntur, hæc vero sunt, quæ præterea ab eadem inferuntur; sed eam differentiam nescit Jus naturæ, etsi ipsa dos ab eo non abhorreat, prouti ex sequentibus patebit.

§. 928.

De conventione circa dotem.

Naturaliter de dote & lege eidem imponenda conjuges convenire possunt, prouti ipsis visum fuerit. Etenim naturaliter inter dotem & reliqua bona uxoris nulla est differentia, sed omnia sub dotis nomine comprehenduntur (§. 927.). Quamobrem cum uxor per pactum marito jus constituere possit in bonis suis, quæ le voluerit (§. 436.); naturaliter de dote & lege eidem imponenda conjuges convenire possunt, prouti ipsis visum fuerit.

Ex hoc fonte manat jus superioris de dote ferendi leges positivas, quæ commodæ ipsi visæ fuerint. Quæ enim jura per pacta immutari possunt; ea etiam similem mutationem subire valent per leges positivas.

§. 929.

Pacta dotalia quid sint.

Pacta dotalia dicuntur, quibus a contrahentibus matrimonium de dote convenitur. Quoniam naturaliter de dote & lege eidem imponenda convenire possunt matrimonium contrahentes, quomodo ipsis visum fuerit (§. 928.); *pacta dotalia naturaliter licita sunt, modo ab omni fraude sint aliena* (§. 149. *part.* 5. *Jur. nat.*).

Ita illicita forent pacta dotalia, quibus conveniretur, ne dos marito mortuo reddatur uxori superstiti, prouti ex subsequentibus clarius elucescet, vel ut dotis fructus in dotem convertantur, quia revera tum dos esset nulla, consequenter pactum qua dotale absurdum.

§. 930.

BIU Cujas

§. 930.

Quoniam *per pacta dotalia* definiri potest jus, quod marito in dote competere debeat (§. 929.); *jus in ea ipsi naturaliter competens* (§. 925.), per ea *augeri potest*, *vel imminui*, veluti *dominium utile in dote marito constituendo*, *vel administrationem alii demandando*, *aut uxori reservando*, *bona omnia in dotem dando*, *vel quædam uxori reservando*. *De quibus in istis conveniri possit.*

Cum eadem vis sit legum positivarum (*not.* §. 928.); mirum videri non debet, si leges positivæ de dote varient, nec ex earum discrepantia quarundam colligi potest iniquitas.

§. 931.

Si parentes filiam elocant, *quæ propria non habet bona*, *eam dotare debent pro modo facultatum suarum*. *Quodsi indotatam ducere velit maritus*, *non tenentur*: *imo si propria filia habuerit bona*, *eam*, *si velint*, *dotare possunt*. Etenim parentes operam dare debent pro virili, ut liberi sui sint fortunati (§. 732.), consequenter ne careant bonis fortunæ (§. 409. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), præsertim si iisdem indigeant ad vitæ necessitatem, vel commoditatem (§. 736.). Quoniam itaque etiam uxor onera matrimonii ferre debet pro modo facultatum suarum (§. 449.); ut ferre possit, parentes filiam elocantes, quæ propria non habet bona, eam dotare debent. *Quod erat primum*. *De dotandis filiabus.*

Enimvero quoniam parentes liberorum fortunam pro virili quidem (§. 732.), attamen non ita promovere debent, ut ipsi deinceps inopia eorum, quæ ad vitæ necessitatem vel commoditatem requiruntur, laborent (§. 609. *part.* 1. *Jur. nat.*); parentes filiam elocantes eam dotare debent pro modo facultatum suarum. *Quod erat secundum*.

Et quoniam *maritus* solus onera matrimonii ferre potest, si possit, ac velit (§. 446. *h.* & §. 117. *p.* 3. *Jur. nat.*); *si velit indotatam ducere*, *parentes dotem dare non tenentur*, *quamvis dare possent*. *Quod erat tertium*.

Immo cum parentes operam dare debeant pro virili, non modo ut liberi habeant, quæ ad vitam necessaria sunt & ad eam commode agendam requiruntur, verum etiam quæ ad eam jucunde transigendam faciunt (§. 736.), tum etiam fieri possit, ut maritus sit inops, nec multum acquirere valeat; si vel maxime filia propria habuerit bona, hoc non obstante, eam, si velint, dotare possunt. *Quod erat quartum*.

Quoniam matrimonium sobolis procreandæ & educandæ causa contrahitur (§. 270.), fieri autem possit, ut maritus oneribus matrimonii ferendis solus sufficiat, immo etiam uxor per operas ministeriales & artificiales simplices acquirere valeat, quæ ad onera matrimonii marito levanda conferat; matrimonium utique sine dote subsistere potest, consequenter absolute necessarium non est, ut filia dotetur. Ceterum cum parentibus incumbat, ut liberos ad eum perducant statum, quo sibimetipsis prospicere possunt de iis, quibus ad sui conservationem indigent (§. 637.), consequenter etiam ad vitæ consuetudinem, ad quam matrimonium contrahentes conjugi obligantur (§. 473.); dotatio filiæ officium parentum est ad educationem pertinens ac ideo naturaliter non minus matris, quam patris est dotare filiam pro modo facultatum suarum, ne scilicet sibi ipsi desit dotans, præsertim mater, quæ mortuo marito non habet nisi fructus bonorum, unde vitam tolerare possit. Sunt quædam gentes, veluti Sinenses, quarum moribus patri pecuniæ summam conventam solvere tenetur, qui filiam ducere vult, ut ideo indotatæ ducantur omnes. Nec hoc per se juri naturæ repugnat. Quoniam vero per pacta dotalia conveniri potest, prouti visum fuerit (§. 928. 929.); de dote quoque sub conditione conveniri potest, veluti ut pater, vel mater certam det dotem, si proles una, vel plures nascantur, vel etiam si casu quodam contingat, ut jacturam bonorum faciat maritus, vel non tantum acquirere valeat, quantum onera matrimonii exigunt. Immo cum necesse etiam non sit, ut marito competat administratio rerum dotalium (§. 930.); parentes quoque nonnisi fructus dotis conventæ marito solvere possunt, dominio filiæ in eadem conservato, administratione autem sibi reservata. Talia autem brevitatis causa particulatim persequi nolumus, cum in dato casu facile intelligantur per ea, quæ in genere demonstrata sunt.

BIU Cujas

§. 932.

An parentes ad dotandum, vel sic non aliter dotandum cogi possint.

Naturaliter parentes cogi nequeunt ad filiam dotandam &, si dotare velint, arbitrio ipsorum relinquendum, quomodo dotare velint. Etenim parentes filiam dotare debent pro modo facultatum suarum (§. 931.), consequenter si hæ dotationem non ferant, dotare non tenentur. Quamobrem cum vi libertatis naturalis parentum sit judicium de eo, quod ferre possint facultates suæ (§. 156. *part.* 1. *Jur. nat.*), & conscientiæ ipsorum relinquendum, quantum officio suo in promovenda fortuna liberorum satisfacere velint, nec ulli rationem ejus, quod faciunt, reddere teneantur (§. 157. *part.* 1. *Jur. nat.*); parentes naturaliter cogi nequeunt ad filiam dotandam, & si dotare velint, arbitrio ipsorum relinquendum, quomodo dotare velint.

Mere civile est, quod pater ad dotandum compelli possit, mater vero dotare filiam non teneatur nisi ex magna & probabili causa.

§. 933.

De dotatione filiæ alienæ.

Si quis filiam alienam dotet; dotatio donationis quædam species est. Etenim qui filiam alienam dotat, is ipsi dat (§. 924.) rem aut pecuniam, quæ in locum rei cujuscunque succedere potest (§. 294. *p.* 4. *Jur. nat.*), ut nihil vicissim ab ea recipiat, consequenter gratis (§. 18. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum datio gratuita donatio (§. 48. *part.* 4. *Jur. nat.*); si quis filiam alienam dotet, dotatio donationis quædam species est.

De dotatione itaque filiæ alienæ statuendum est ex iis, quæ de donatione demonstrata sunt in quarta parte Juris naturæ.

§. 934.

An juri naturæ conveniat.

Quoniam dotatio filiæ alienæ donationis quædam species est (§. 933.), donationes autem in se illicitæ non sunt (§. 122. *part.* 4. *Jur. nat.*), immo variæ quoque dantur causæ, ob quas eædem legi naturæ conveniunt (§ 113. *& seqq. part.* 4. *Jur. nat.*), consequenter honestæ sunt (§. 968. *part.* 1. *Jur. nat.*); *dotatio filiæ alienæ in se illicita non est & honesta ob eas causas, ob quas donatio quælibet legi naturæ convenit.*

§. 935.

An ob causam turpem facta valida.

Dotatio fœminæ ob causam turpem, naturaliter valida est. Etenim qui fœminam dotat, ei quid dat (§. 924.), consequenter dominium ejus in eam transfert (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum sola voluntate domini dominium transferatur in accipientem (§. 13. *part.* 3. *Jur. nat.*); dotis quoque dominium transfertur in fœminam, consequenter dotatio valida est. Et quoniam in ipso modo dandi nullum est vitium, etiamsi ob causam turpem detur *per demonstrata*; dotatio quoque ob causam turpem valida manet, consequenter naturaliter valida est.

Facile patet, per demonstrationem propositionis præsentis, dationem quamlibet ob causam turpem validam esse, consequenter quod datum repeti non posse. Non obstat, quod promissio sub conditione turpi facta non sit valida (§. 495. *p.* 3. *Jur. nat.*), nec quod promissum exigi possit, turpi licet facto perpetrato (§. 496. *part.* 3. *Jur. nat.*). Alia nimirum est datio, alia promissio. In modo dandi nihil est vitii, sed omnia adsunt, quæ ad transferendum dominium requiruntur, quippe in quo non attenditur causa, ob quam datur: ast in modo promittendi vitium est (*nor.* §. 494. *part.* 3. *Jur. nat.*); quod obstat, quo minus ea valida esse, seu obligationem producere & jus ad promissum parere possit. Datio ob causam turpem jure interno illicita est & ad abusum dominii pertinet (§. 168. *p.* 2. *Jur. nat.*); sed cum hic jure externo unicuique sit permittendus, qui nil facit, quod est contra jus tuum (§. 169. *part.* 2. *Jur. nat.*), externo quoque jure sub-

BIU Cujas

subsistit datio ob causam turpem. Luculenter hinc in genere patet, *dationem ob causam turpem naturaliter esse validam* hoc est, *si quis alteri quid det, ob causam turpem, dominium a transferente in accipientem abire*. Poterat hoc eodem prorsus modo demonstrari, quo propositionem præsentem ostendimus, ac inde hæc, cum dotatio datio quædam sit, per modum corollarii inferri.

§. 936.

Si fœmina nubens propria habet bona, per se dotata est. Etenim naturaliter inter dotem & alia bona uxoris nulla est differentia, sed omnia, quæ habet uxor, sub dotis nomine comprehenduntur, quorum fructus non sibi reservavit (§. 927.). Quamobrem si fœmina nubens propria habet bona, ea loco dotis sunt, consequenter per se dotata est. *De dote fœminæ propria bona habentis.*

Nimirum nisi quædam bona sibi reservet, omnia ad maritum affert; & ea, quæ ex ipsis proveniunt, quantum necesse est, impenduntur oneribus matrimonii ferendis (§. 549.), consequenter naturaliter dos sunt (§. 924.). Quatenus igitur bona propria habet, dotata est, hoc est, apta ad ferendum onera matrimonii pro rata, & quatenus ea affert ad maritum, dotem affert, hoc est, res vel rerum quandam universitatem, exinde onera matrimonii levari possunt, ne marito soli sint ferenda. Quæ ab his abeunt, mere positivi sunt juris, minime naturalis.

§. 937.

Quoniam fœmina nubens, si propria habet bona, per se dotata est (§. 936.); *naturaliter nec ipsa ex iis dotem marito constituere, nec tutores, vel curatores constituere possunt, nisi quatenus fœminæ quædam bona reservantur, quorum fructus oneribus matrimonii ferendis impendi nequeunt.* *Quatenus naturaliter dos constituatur a fœmina, vel ejus tutore, aut curatore.*

Dotis quantitas in se definita non est, & ab arbitrio dotantis pendet naturaliter, quantam constituere velit, vi ipsius dominii (§. 118. *part. 2. Jur. natur.*). Quodsi ergo mulier ampla habuerit bona, nil obstat, quo minus omnium fructus oneribus matrimonii ferendis impendi a marito velit; nec ex adverso quid impedit, quo minus certam saltem bonorum partem iisdem destinet, si vel maxime bona sint tenuia. Immo si maritus velit onera matrimonii solus ferre, ut lucrum fœminæ imputetur in sortem; naturaliter nil obstat, quo minus id fieri possit. Dos igitur a fœmina locuplete, vel ejus nomine a tutore atque curatore naturaliter non aliter constitui intelligitur, nisi quatenus convenitur de iis, quæ fœmina ad ferenda onera matrimonii conferre debet.

§. 938.

Si fœmina nubens propria bona habet, ea, vel ipsius nomine tutor, aut curator pacta dotalia cum sponso inire potest. Etenim si fœmina nubens propria bona habet, per se dotata est (§. 936.), quatenus nimirum propria bona habet (§. 927.). Quamobrem cum naturaliter de dote & lege eidem imponenda inter se convenire possint conjuges, prouti visum fuerit (§. 928.), ac inprimis fœminæ prospiciendum sit, etiam a tutore, aut curatore (§. 923.), ut substantia dotis servetur (§. 926.), istiusmodi autem conventiones pacta dotalia sint (§. 929.); si fœmina nubens propria habeat bona, ea, vel ipsius nomine tutor, aut curator pacta dotalia cum sponso inire potest. *De pactis dotalibus fœminæ locupletis.*

Pacta hæc non superflua censeri debent, etiamsi intra terminos juris mere naturalis subsistant, hoc est, non aliter disponatur de ferendis matrimonii oneribus, quam quod juri naturæ convenire supra demonstravimus, quando nihil conventum. Cum enim pacta novam inducant obligationem (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), nil vero obstet, quo minus etiam nos alteri obligemur ad ea, quæ jam naturaliter debemus; quin in pactis dotalibus declarare possimus, nos intra terminos juris mere naturalis subsistere velle, dubitandum non est.

BIU Cujas

§. 939.

De rebus in dotem dandis.

In dotem dari possunt res omnes tam corporales, quam incorporales. Etenim dos constituitur onerum matrimonii sustinendorum causa (§. 924.). Quamobrem cum onera matrimonii sint impensæ, consequenter etiam omnes sumtus, (§. 443.), matrimonii causa faciendæ (§. 448.), res tamen ipsæ impendi non debeant (§. 926.); res omnes, ex quibus fructus quicunque percipi possunt, tam corporales, quam incorporales in dotem dari possunt.

§. 940.

Idem porro expenditur.

Quoniam res omnes tam corporales, quam incorporales in dotem dari possunt (§. 939.), res autem corporales vel mobiles, vel immobiles sunt (§. 496. *part.* 1. & §. 148. 149. *part.* 2. *Jur. nat.*), in rerum incorporalium numero vero etiam sint ususfructus & nomina, seu jus utendi fruendi aliqua re & debita exigendi ac quæcunque jura alia (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*); *in dotem dari possunt res tam mobiles, quam immobiles, ususfructus & nomina, ac jura quæcunque alia, item pecunia.*

In dotem nimirum dantur res, ex quibus fructus quidam percipiuntur, prouti ex fine intelligitur (§. 924.). Res igitur fructuosæ tam per se, quam quæ arte fructuosæ efficiuntur, in dotem dari possunt. Si quæ vero saltem voluptuariæ fuerint, veluti picturæ & res pretiosæ ornatui inservientes, eædem per se dotis loco haberi nequeunt.

§. 941.

De rebus æstimato in dotem datis.

Si res æstimato in dotem dentur; pecunia in dotem data intelligitur. Etenim si res æstimato in dotem dantur non alio fine pretium earum determinari intelligitur, quam ut constet, quid salvum mulieri manere debeat (§. 926.). Quoniam itaque nonnisi pretium rei in dotem datum intelligitur, perinde omnino est, ac si pecunia in dotem data fuisset (§. 292. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem si res æstimato in dotem dantur, pecunia in dotem data intelligitur.

Ex. gr. Ponamus fundum dotalem taxari pretio quatuor mille thalerorum; tum perinde est ac si quatuor mille thaleri in dotem dati essent.

§. 942.

Quale jus in re ista consequatur maritus.

Quoniam, re æstimato in dotem data, pecunia in dotem data intelligitur (§. 941.); *si res æstimato in dotem datur, dominium in maritum transfertur*, consequenter *is eandem pro arbitrio suo alienare* (§. 665. *part.* 2. *Jur. nat.*), *& de ea quocunque modo pro lubitu disponere potest* (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*).

§. 943.

Similiter quia, rebus æstimato in dotem datis, pecunia in dotem data intelligitur (§. 941.); *æstimato in dotem dari possunt etiam res, quæ usu consumuntur, & infructuosæ, veluti mere voluptuariæ.*

Nimirum in hoc casu in arbitrio mariti est, utrum res istas vendere & pretium inde redactum in rem suam vertere, an vero eas ipsemet consumere, aut voluptatis causa conservare velit. Perinde nimirum est, ac si res istas sua pecunia emisset, pecuniam vero dotalem sub usuris collocasset, vel alio modo in commodum suum convertisset.

§. 944.

BIU Cujas

§. 944.

Si pecunia in dotem datur marito ea lege ut eandem in rem ſuam vertat, vel eandem ſaltem adminiſtret proprio nomine; dominium ejus in eum transfertur. Etenim ſi pecunia in dotem detur marito, ea lege ut eandem in rem ſuam vertat; neceſſe eſt, ut pecuniam in commodum ſuum convertere, conſequenter erogare poſſit. Enimvero cum per ſe pateat, pecuniam aliter erogari non poſſe, niſi ut dominium ejus in accipientem transferatur, nemo autem dominium transferre poſſit in alium niſi dominus (§. 662. 668. *part.* 2. *Jur. nat.*); ſi pecunia in dotem datur ea lege, ut maritus eam in rem ſuam convertat, dominium ejus in eum transfertur. *Quod erat unum.* *De pecunia in dotem data.*

Ponamus porro pecuniam in dotem dari ea lege, ut maritus eam ſaltem ſuo nomine adminiſtrare debeat, conſequenter ſub uſuris collocare, ſortem vero ſervare (§. 926.); patet denuo ut ante dominium pecuniæ in ipſum transferri debere. *Quod erat alterum.*

Utrumque etiam hoc modo oſtenditur. Si pecunia in dotem datur ea lege, ut maritus eam in rem ſuam vertere poſſit, vel ut ipſi competat adminiſtratio; tum uſus pecuniæ in dotem datus intelligitur, quia ſors ſalva manere debet (§. 926.). Quamobrem denuo patet ut ante, *per demonſtrata* ſcilicet *n.* 1. dominium pecuniæ in maritum transferri.

Naturaliter fœmina nubens manet domina etiam pecuniæ ſuæ, etſi ad onera matrimonii ferenda obligetur pro rata (§. 449.). Quamobrem eidem quoque competit adminiſtratio ſicuti bonorum omnium, quæ habet, ita etiam pecuniæ ſuæ. Sive igitur eandem per ſe adminiſtret, ſive per alium, conſequenter etiam per maritum; omnia fiunt ipſius nomine. Quodſi ergo in pactis dotalibus conveniatur, ut adminiſtratio marito competere debeat (§. 928. 929.); maritus bona uxoris proprio nomine adminiſtrare debet. Moribus noſtris & Jure quoque Romano obtinet, ut proprio nomine adminiſtret.

§. 945.

Si maritus bona uxoris proprio nomine adminiſtret, bona ipſius tam præſentia, quam futura pro iiſdem uxori oppignorata ſunt naturaliter; minime vero ſi ipſamet ea vel per ſe, vel per alium quemcunque, etiam maritum, ſuo nomine adminiſtret. Etenim naturaliter omnia bona uxoris ſub dotis nomine comprehenduntur, nec inter dotem atque bona alia ulla eſt differentia (§. 927.). Quamobrem cum dotis ſubſtantia ſalva eidem manere debeat (§. 926.), ſi per pacta dotalia marito concedatur, ut ea proprio nomine adminiſtret, ea lege adminiſtratio eidem commiſſa intelligitur, ut ſubſtantia bonorum ipſi ſervetur. Quoniam igitur fœmina ſecura eſſe debet de ſubſtantia bonorum ſuorum, oppignoratio autem præſtet ſecuritatem (§. 1142. 1143. *part.* 5. *Jur. nat.*); quando marito conceditur libera adminiſtratio bonorum, id omnino actum intelligitur, ut bona ipſius pro bonis uxoris oppignorata ſint, ex quibus ea conſequi poſſit uxor, matrimonio finito. Quodſi ergo maritus bona uxoris proprio nomine adminiſtret, bona ipſius tam præſentia, quam futura pro iiſdem uxori oppignorata ſunt naturaliter. *Quod erat unum.* *Quando bona mariti pro bonis uxoris obligata ſint.*

Enimvero ſi uxor ipſamet ſuo nomine bona adminiſtret, ſive hoc faciat per ſe, ſive per alium quemcunque, ipſum etiam maritum, cum bona maneant in poteſtate ipſius, non autem veniant in poteſtatem mariti (§. 461. *part.* 2. *Jur. nat.*); ratio quoque ceſſat, cur in eorum ſecuritatem bona mariti ipſi oppignorata eſſe debeant, conſequenter nec oppignorata ſunt. *Quod erat alterum.*

Tacita oppignoratio nonniſi locum habet, quando bona marito actu traduntur, ut ea pro ſubitu adminiſtret: tum enim tantummodo opus eſt, ut maritus præſtet ſecuritatem de reſtituendis iiſdem matrimonio finito. Si vero nihil accepit, nihil quoque quod reſtituendum habet. Quodſi maritus nomine uxoris ea adminiſtret, tum non ſpectatur ut maritus, ſed ut extraneus, cui ſuo nomine adminiſtrationem demandavit uxor.

§. 946.

BIU Cujas

§. 946.

De donatione propter nuptias.

Donatio propter nuptias in Jure Romano appellatur donatio mulieri a viro in securitatem dotis facta. *Donatio* igitur *propter nuptias non minor esse debet dote*, & quoniam hypotheca constituitur in re immobili (§. 1143. *part.* 5. *Jur. nat.*), pignus in re mobili in securitatem crediti (§. 1142. *part.* 5. *Jur. nat.*), naturaliter autem omnia bona mariti obligata sunt uxori pro bonis ipsius, quæ ad maritum attulit (§. 945.), consequenter pro dote ejusdem (§. 924.); *naturaliter donatione propter nuptias opus non est.*

Est igitur ea commentum juris Romani, in quo habet rationem sufficientem, sed quæ deficit in Jure naturali. De ea igitur ut plura dicamus, præsentis instituti non est; sicuti ab eodem etiam aliena sunt plurima alia, quæ de ipsa dote in Jure civili occurrunt, a nobis hic minime attingenda.

§. 947.

De Morgengaba.

Morgengaba dicitur donum, quod sponsus dare solet sponsæ altero nuptiarum die in præmium virginitatis, seu pudicitiæ ereptæ, aut propter primum concubitum.

Morgengaba est Juris Germanici, quemadmodum apparet ex antiquis Germanorum legibus, & hodienum passim obtinet inprimis inter personas *illustres* & *nobiles*. Dicitur autem *Morgengaba*, quod vocabulum vi originis donum matutinum significat, quia dabatur mane ante prandium. Differt a donatione propter nuptias Romanorum, quia hæc dabatur in securitatem dotis, aut in recompensationem dotis (§. 946.), atque a *largitate sponsalitia*, seu muneribus sponsalitiis, quia hæc dantur propter spem nuptiarum amoris declarandi causa (§. 393.). Consistebat ea in re quadam pretiosa, veluti in catena aurea, aut jocalibus, adjecta certa pecuniæ summa, quæ liberæ uxoris dispositioni relinquitur: postea vero adjecta sunt certa prædia, villæ ac pagi, cumprimis apud Alemannos, non tantum jure usufructus, sed etiam jure proprietatis; Videatur *Mullerus* ad *Struvii* Syntagm. Jur. civil. Exercitat. 30. §. 32. *not. e*. Duplicem per modo dicta is dici monet morgengabam, alteram per se & *ex sua natura* talem, alteram vero *extensive* talem *cum augmento Saxonico*, ut præter donum uxori nobili citra conventionem ex bonis mariti defuncti certæ res debeantur, propter solam legis dispositionem. Istiusmodi res sunt omnis generis fœmellæ pecudes, veluti vaccæ cum vitulis, capreæ, sues, quotquot harum omnium in agris pascuntur, equæ etiam cum pullis, quæ aratro jungi non affueverunt, fœpes, ædificia carpentata & omnis materia lignorum prædiis extruendis comparata. Videatur idem ad Exercit. 38. th. 41. *not. π*.

§. 948.

An jure naturali debeatur.

Quoniam morgengaba datur propter primum concubitum, vel in præmium ereptæ virginitatis (§. 947.); fœmina autem mari perfecte obligatur ad concedendum corporis sui usum generationis causa (§. 308.), consequenter ipso pacto, quo contractum matrimonium est, transtulit in marem, maritum futurum jus eripiendæ virginitatis, vel, si ad secunda vota transit, pudicitiæ; *morgengaba jure naturali non debetur.* Quoniam tamen naturaliter quilibet jus quoddam in alterum transferre potest ea lege, quæ placuerit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*); *fœmina* quoque *naturaliter jus eripiendæ virginitatis, vel pudicitiæ in futurum maritum conferre potest sub modo, ut ipsi præmium quoddam post primum concubitum detur, vel certi quidpiam donetur*, tumque *maritus novellus præmium vel donum promissum post primum concubitum dare tenetur* (§. 431. *part.* 3. *Jur. nat.*), cumque solutio præcise fieri debeat tempore convento (§. 665. *part.* 5. *Jur. nat.*), *statim mane ante prandium.*

Quam-

BIU Cujas

Quamvis itaque morgengaba non ſit jure naturali debita, non tamen eidem repugnat, ut pro illicita haberi poſſit. Et quoniam morum ſeu conſuetudinis atque legum poſitivarum eadem vis eſt, quæ pactorum; ideo nec illa legi naturæ repugnant, nec ea invita, obligationem inducere poſſunt, & ita quoque morgengabam debitam efficere. Ceterum augmentum morgengabæ ſaxonicum ad eam proprie non ſpectat, quemadmodum jam ante annotavimus (*n*° §. 947.).

§. 949.

Similiter quia morgengaba datur altero nuptiarum die poſt primum concubitum (§. 947.), conſequenter quando matrimonium mutuo conſenſu perfectum per copulam carnalem conſummatum fuit (§. 367.), adeoque amor ille conjugalis incipit, cui nullus alius æquiparandus (§. 465.), donis autem alteri declarare poſſumus amorem noſtrum (§. 116. *part.* 4. *Jur. nat.*) & alterius quoque amorem nobis conciliare (§. 120. *part.* 4. *Jur. nat.*), & utroque fine data dona legi naturæ conveniunt (§. 117. 120. *part.* 4. *Jur. nat.*); *morgengaba* quoque *legi naturæ convenit*. Et quoniam promittendo nos perfecte alteri obligare poſſumus ad aliquid dandum (§. 363. 361. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter etiam ad donandum (§. 48. 130. *part.* 4. *Jur. nat.*); *naturaliter quoque ſponſus ſponſæ ſeſe obligare poteſt ad morgengabam dandum*. *Idem porro expenditur.*

Perſonæ ſponſi magis convenire videtur, ut ſua ſponte ſeſe obliget ſponſæ ad dandam morgengabam, cum promiſſio cauſam expreſſam habere non debeat (§. 594. *part.* 1. *Jur. nat.*), quam perſonæ ſponſæ, præſertim virginis, ut eam ſibi ſtipuletur. Et ſpontanea ſponſi obligatio ad dandam morgengabam rationes habet magis honeſtas, quam ejus ſtipulatio a fœmina facta, prouti ex collatione demonſtrationis utriuſque ſtatim patet.

§. 950.

Uxor in morgengaba accepta dominium acquirit. Etenim morgengaba donum eſt, quod datur ſponſæ a ſponſa ſecundo nuptiarum die (§. 947.), conſequenter conſiſtit in re, vel pecunia, aut in re & pecunia ſimul (§. 10. *part.* 4. *Jur. nat.*). Enimvero datio rei translatio dominii eſt (§. 675. *part.* 2. *Jur. nat.*), conſequenter accipiens in re data dominium acquirit. Uxor itaque in morgengaba accepta dominium acquirit. *Jus uxori in morgengaba competens.*

Non obſtat argumentum Saxonicum morgengabæ, quod fœmina demum accipit mortuo marito (*not.* §. 947.). Nil enim impedit, quo minus aliquid promittatur in diem incertum, quod ideo demum accipitur a promiſſario die iſto veniente. Morgengaba cum promitti poſſit, quæ de modo promittendi in genere valent, ea etiam valent de morgengaba promiſſa. Quocunque igitur tempore præſtetur, dominium in ea acquirit uxor, quamprimum eandem accipit, ex promiſſione autem habet jus ad eandem, quale eſſe poteſt per ea, quæ promiſſioni adjiciuntur.

§. 951.

Naturaliter morgengaba etiam in uſufructu conſiſtere poteſt, vel etiam in uſu nudo. Etenim morgengaba donum quoddam eſt (§. 947.). Quamobrem cum donum ſit res, quæ gratis datur (§. 48. *part.* 4. *Jur. nat.*), dari vero etiam poſſit uſusfructus & uſus nudus (§. 10. *part.* 4. *Jur. nat.*), res incorporales (§. 498. *part.* 1. *Jur. nat.*); naturaliter morgengaba etiam in uſufructu conſiſtere poteſt, vel etiam in uſu nudo. *An morgengaba in uſufructu conſiſtere poſſit.*

Minime hoc repugnat propoſitioni præcedenti. Cum enim uſusfructus & uſus nudus ſint res incorporales, quæ non minus in dominio eſſe poſſunt, quam corporales (§. 216. *p.* 2. *Jur. nat.*); ſi fœminæ loco morgengabæ conſtituitur uſusfructus, vel uſus nudus in re aliqua, in eodem non minus dominium habet, quam in re haberet, ſi ipſa daretur. Facile autem patet, ſi morgengaba in uſufructu, vel uſu rei conſiſtit, rem utendam, vel utendam fruendam tradi debere poſt primum concubitum, facta mentione amoris conjugalis copula carnali jam confirmati: datio enim morgengabæ requirit, ut expreſſa ſit cauſa (§. 947.), alias nimirum ab alia donatione diſcerni nequit. Conjunctio animorum, quæ veluti mater eſt amoris conjugalis illius prorſus

ſin-

BIU Cujas

ſingularis, a conjunctione corporum; quo matrimonium conſummatur, abeſſe minime debet. Nec ab uſu abhorret, ut etiam certi annui reditus in morgengabam dentur. Vid. *Mylerus* in Camalog. c. 6. n. 5.

§. 952.

De filio nubente. *Si filius nubet, qui propria non habet bona, quæ autem ipſe acquirit & uxor adferenda onera matrimonii confert, ea hiſce ſuſtentandis nondum ſufficiunt; naturaliter parentes obligantur res quaſdam fructuoſas, vel pecuniæ certam ſummam ei dare, pro modo facultatum ſuarum. Immo dare etiam poſſunt, ſi velint, in caſu oppoſito.* Parentes enim operam dare debent pro virili, ut liberi ſui ſint fortunati (§. 732.), conſequenter ne careant bonis fortunæ (§. 409. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), præſertim ſi iis indigeant ad vitæ neceſſitatem, vel commoditatem (§. 736.), eoſque perducere in eum ſtatum, quo ſibimetipſis proſpicere poſſunt de iis, quibus ad conſervationem ſui indigent (§. 637.), conſequenter etiam ad vitæ conſuetudinem, quam contrahunt conjuges (§. 473.). Quamobrem ſi filius nubens propria bona non habet, nec tantum acquirere valet, quantum oneribus matrimonii ferendis ſufficit, ſymbola licet ſua ab uxore collata (§. 449.); naturaliter parentes obligantur res quaſdam fructuoſas, vel pecuniæ certam ſummam ei dare. *Quod erat primum.*

Quod vero dare debeant pro modo facultatum ſuarum, eodem modo oſtenditur, quo idem demonſtravimus de filia dotanda (§. 931.). *Quod erat ſecundum.*

Et quod parentes dare etiam poſſint, ſi velint, in caſu oppoſito, eodem quoque modo oſtenditur, quo idem demonſtravimus de filia dotanda (§. *cit.*). *Quod erat tertium.*

Nemo non videt, quod filio nubenti datur a parentibus onerum matrimonii conſtituendorum cauſa convenire cum dote filiarum (§. 924.). Uſus tamen loquendi non fert, ut filius dotari dicatur, nec quæ de dote demonſtrata fuerunt, multo minus ea, quæ de ea juris poſitivi ſunt, ad hæc, quæ dantur filio matrimonii cauſa, applicari poſſunt, etſi nec a moribus noſtris abhorreat, ut parentes locupletes ſatisfaciant officio huic. Ceterum ad hoc officium pertinet, ut parentes etiam filiis dent, ſi opus habuerint eorum ope, quæ ad onera ſponſaliorum, & nuptiarum ſuſtinenda requiruntur, & ad inſtituendam œconomiam: item ut dent, ubi in uſu eſt, morgengabam.

§. 953.

De conſenſu parentum ad nuptias liberorum. *Liberi ſine conſenſu parentum matrimonium contrahere non debent: quodſi vero ſine eodem contrahatur matrimonium, naturaliter id irritum non eſt.* Etenim non ſolum liberi in omnibus ſuis actionibus ſtudere debent, ut placeant parentibus, ac ſollicite ſibi cavere, ne quid faciant, quod voluntati illorum adverſum (§. 745.); verum etiam parentum eſt proſpicere felicitati (§. 710.) ac fortunæ liberorum (§. 732.), conſequenter providere, ne matrimonium, quod contrahunt, felicitati ac fortunæ eorundem ſit adverſum. Quamobrem liberi inſciis ac invitis parentibus, conſequenter ſine conſenſu eorundem matrimonium contrahere non debent. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam liberi, quando matrimonium contrahunt, jam ea ſunt ætate, qua de actionibus ſuis ſtatuere poſſunt, cum alias matrimonium, quod ſobolis educationem exigit (§. 270.), naturaliter non debeant contrahere (§. 255.), conſequenter tum poteſtas patria naturalis, adeoque jus determinandi actiones liberorum (§. 661.), jam expiravit (§. 775.); conſenſus parentum non requiritur ad validitatem actus eorum, conſequenter matrimonium ſine eo contractum ſubſiſtit, ac ideo irritum non eſt. *Quod erat alterum.*

Conſenſus nimirum parentum ad matrimonium liberorum eſt honeſtatis, utpote officio liberorum erga parentes & horum erga ipſos congruens; non vero neceſſitatis, ut ſine eo ipſum pactum, quo matrimonium contrahitur, intrinſeco quodam vitio laboret, quod validitati obſtet.

BIU Cujas

ſtet. Et in eo convenit jus canonicum cum Jure naturæ. Nondum tamen hinc inferre licet, leges poſitivas eſſe injuſtas, quæ conſenſum neceſſarium faciunt, cum eædem quod eſt officii, ſeu imperfecte debetur, in perfecte debitum convertere poſſint, prouti ſuo loco oſtendetur.

§. 954.

Quoniam per ſponſalia ſponſus ſponſæ & ſponſa ſponſo obligatur ad matrimonium ineundum (§. 370.), *liberi* autem ſine conſenſu parentum matrimonium contrahere non debent (§. 953.); idem *ſine parentum conſenſu ſponſalia inire non debent*. Quoniam tamen matrimonium *ſine conſenſu parentum* contractum naturaliter irritum non eſt (§. *cit.*); *nec ſponſalia* ſine eodem *contracta naturaliter irrita ſunt*, conſequenter *nec diſſenſu parentum diſſolvi poſſunt*. *De conſenſu parentum ad ſponſalia liberorum.*

Juris mere poſitivi eſt, quod *ſponſalia clandeſtina* dicantur, quæ ſine conſenſu parentum celebrantur. Naturaliter ſolus cum ſola ſponſalia celebrare poteſt: teſtes enim, ſi qui adhibentur, non requiruntur ad actus validitatem, ſed probationis cauſa, ſi forte contingat, ut pars una altera invita ab iis recedere, nec matrimonium conſummare velit (§. 1014. *p. 5. Jur. nat.*).

§. 955.

Quoniam liberi ſine conſenſu parentum matrimonium (§. 953.) & ſponſalia inire non debent (§. 954.); *ad matrimonium ineundum conſilium parentum adhibere &, ubi rationes ſuas iiſdem expoſuerint, conſenſum eorum requirere debent*. *De officio liberorum quoad conſenſum parentum impetrandum.*

Ita nimirum liberi ſatisfaciunt officio ſuo ſtudendi in actionibus ſuis, ut placeant parentibus, ac probant animum nil committendi, quod ſit voluntati ipſorum adverſum (§. 745.). Quodſi ergo parentes quoque ſatisfaciant officio ſuo de felicitate & fortuna liberorum promovenda (§. 710. 732.); nullus metuendus eſt in ſponſalibus ac matrimonio contrahendis parentum atque liberorum diſſenſus.

§. 956.

Parentes ad ſponſalia vel matrimonium liberorum conſenſum ſuum denegare non debent, ſi matrimonium cum hac perſona non manifeſto adverſetur felicitati aut fortunæ eorundem. Etenim parentibus curæ eſſe debet, ut liberi ſint felices (§. 710.), ac fortunati (§. 732.). Quamobrem ſi liberi matrimonium velint contrahere, quod manifeſto eorum felicitati, vel fortunæ, aut utrique adverſatur; in id conſentire nequeunt, conſequenter conſenſum ſuum recte denegant. *Quod erat unum*. *Quando parentes conſenſum ſuum recte denegent.*

Enimvero ſi matrimonium, quod contrahere volunt liberi, ipſorum felicitati, vel fortunæ, multo minus utrique manifeſto non adverſetur; nulla quoque ratio eſt, cur in id conſentire nolint, conſequenter conſenſum ſuum denegare non debent. *Quod erat alterum*.

Arduum ac difficile negotium eſt matrimonium contrahere, conſequenter multa circumſpectione opus eſt, ne contracti pœniteat. Parentes, qui ipſimet in matrimonio vixerunt, & ejus commoda & incommoda experti ſunt, & qui præterea longa experientia didicerunt, quænam aliena matrimonia fecere fauſta, vel infauſta, rectius plerumque judicare poſſunt, quænam felicitati ac fortunæ adverſa ex matrimonio aliquo naſci poſſunt, quam juvenes, aut puellæ, experientia iſta deſtituti. Nihil itaque magis naturale eſt, quam ut liberi de matrimonio contrahendo cum parentibus deliberent, & rationes diſſenſus, quas afferunt, probe expendant, aut, ſi iis diſcutiendis minime ſufficiant, in parentum potius voluntate acquieſcant, quam ſuam ſequantur. Enimvero non modo liberi, verum etiam parentes, ut in aliis negotiis, ita hic quoque affectibus, quibus indulgent, facile in tranſverſum aguntur, ut verum cernere non poſſint. Quamobrem difficile eſt, ut ſine judice perito ac impartiali componatur controverſia de matrimonio contrahendo inter parentes ac liberos orta, & in ſtatu naturali permittendum liberis eſt, ut ſuo abundent ſenſu, ſibimetipſis imputaturi, ſiquidem incauti ſeſe reddant infelices ac infortunatos culpa ſua.

BIU Cujas

CAPUT V.

De Teſtamentis & ſucceſſione ab inteſtato ſeu Jure hæreditario.

§. 957.

Succeſſio in bona defuncti quid ſit.

IN *bona defuncti ſuccedere* dicitur, qui a morte defuncti jus in iis acquirit, quod habuerat defunctus.

Reddenda omnino nobis eſt ratio, cur hic loci demum agamus de ea quæſtione, cujuſnam eſſe debeant bona a defuncto relicta, ſeu quinam in ea ſuccedere debeat. Nimirum ad hanc quæſtionem reſpondere non datur, niſi conſtet, quænam ſint officia noſtra erga eos, qui a nobis per generationem deſcendunt, vel a quibus nos per eandem deſcendimus, aut qui nobiſcum ab eodem ſtipite deſcendunt, ſeu cognatorum erga cognatos, aut, ſi mavis, conſanguineorum erga conſanguineos. Quamobrem methodus, qua utimur, requirebat, ut ante ageremus de matrimonio, de cognatione & de officio parentum erga liberos & liberorum erga parentes cujuſvis gradus. Hiſce igitur abſolutis progredi jam licet ad ſucceſſionem in bona defuncti demonſtrandam.

§. 958.

Hæres quinam ſit.

Qui in bona defuncti ſuccedit, *Hæres* dicitur. Quamobrem cum qui in bona defuncti ſuccedit in iis acquirat jus, quod habuerat defunctus (§. 957.); *Hæres ſuccedit in omne jus, quod habuerat in bonis ſuis defunctus*, conſequenter cum huic juri etiam reſpondeant obligationes, vel ſaltem ei reſpondere poſſint, *in omnes etiam obligationes defuncti, quibus reſpectu bonorum tenetur aliis.* Unde porro patet, *hæredem quoad bona a defuncto relicta perſonam ejus repræſentare*, conſequenter cum perſona moralis ſit ſubjectum jurium & obligationum (§. 70. *part.* 1. *Jur. nat.*); *eundem cum defuncto eandem eſſe perſonam moralem, in qua omne jus defuncti & omnes obligationes quoad bona ejuſdem continuantur.*

Probe perpendenda ſunt, quæ hic dicuntur, ne ſucceſſionem in bonis defuncti implicemus difficultatibus inextricabilibus præter omnem neceſſitatem. Cum natura res omnes ſint communes (§. 7. *part.* 2. *Jur. nat.*); dominium, quo res communes factæ ſunt ſingulorum propriæ (§. 117. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*, nulli homini natura competit, ſeu tanquam individuo phyſico, ſed quatenus ſpectatur tanquam dominus & poſſeſſor rerum, ac inde ipſi orta ſunt jura alia & ipſe obligationes certas contraxit, perſona quædam moralis concipienda, cui dominium & omnia jura atque obligationes inde derivata inhærent (§. 70. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamvis itaque homine mortuo individuum phyſicum intereat, propterea tamen neceſſe non eſt, perſonam moralem interire, quam diximus, cum non repugnet, ut in alio individuo phyſico ſubſiſtat. Immo nec repugnat, ut dicamus, ſublato individuo phyſico perſonam iſtam moralem adhuc vivere, dum homo moritur, & in eo ſubſiſtere voluntatem defuncti quoad bona ſua. Non eſt quod objicias meras has eſſe fictiones, a quibus abhorreat Jus naturæ: neque enim in fictionum numero ſunt, quæ per ipſam naturam vi abſtractionis a ſe invicem ſeparantur. Sane hoc pacto omnia genera & ſpecies rerum, ſeu omnia entia univerſalia forent fictiones, quibus in diſciplinis nullus eſſet locus, quia illa in rerum natura nullibi exiſtunt, nec ſubſiſtere poſſunt niſi in rebus, quæ in rerum natura exiſtunt. Immo quis dixerit fictionem, ſi fluidum grave vi abſtractionis dividatur in duo ſubjecta, quorum uni nonniſi fluiditas, alteri ſola gravitas inhæret, ut duo ſiſtantur corpora a ſe invicem diverſa, quorum alterum fluidum eſt, alterum grave, etſi neutrum per ſe ſubſiſtere poſſit, ſed ſimul ſubſiſtant in ſubjecto aliquo phyſico, ſeu corpore in rerum natura exiſtente, veluti in aqua. Entia moralia non minus vera ſunt entia, quam phyſica. Et quod de hiſce valet, idem etiam valet de illis. Entia moralia, quæ in juribus & obligationibus conſiſtunt, cum ſubſiſtere nequeant niſi in individuis phyſicis, hoc ſingulare habent, ut de uno ſubjecto in aliud tranſire poſſint, nec per eas cauſas, per quas interimitur individuum phyſicum, perimuntur. Atque ideo cum individuo phyſico non neceſſario intereunt, quamvis in eodem amplius ſubſiſtere nequeant.

§. 959.

BIU Cujas

§. 959.

Jus hæreditarium dicitur jus ſuccedendi in bona defuncti. Quamobrem cum bona ſint res, quas habuit defunctus, ſeu quas moriens relinquit, univerſim, non ſigillatim ſpectatæ, nullo attento earum diſcrimine (§. 448. *part.* 2. *Jur. nat.*); *jus hæreditarium eſt jus ſuccedendi in univerſitatem rerum a defuncto relictarum.* *Jus hæreditarium quid ſit.*

In præſenti itaque demonſtrandum eſt, quomodo jus hæreditarium acquiratur, cum per ſe nemini competat.

§. 960.

Rerum a defuncto relictarum univerſitas *Hæreditas* appellatur, & dominium, quod in ea acquiritur, *Dominium univerſale* vocatur. *Hæreditas & dominium univerſale, quid ſit.*

Equidem communiter jus hæreditarium, hæreditas & dominium univerſale promiſcue tanquam ſynonyma uſurpantur, vaga dicendi licentia; attamen cum eam non ferat methodus, qua utimur, accurate a ſe invicem diſtinguenda ſunt, quæ eadem non ſunt. Ecquis vero non videt, modo identitatis ac diverſitatis notiones diſtinctas habeat (§. 181. 183. *Ontol.*), bona a defuncto relicta, jus in ea ſuccedendi & jus in iiſdem acquiſitum non eſſe unum idemque? Quæ autem diverſa ſunt, ea etiam nominibus diverſis a ſe invicem diſtinguenda (§. 145. *Diſc. prælim.*).

§. 961.

Hæreditatem ſuſcipere dicitur, qui verbis, vel facto ſufficienter declarat, quod hæres eſſe velit, conſequenter *ſuſceptio hæreditatis eſt acceptatio juris hæreditarii* (*part.* 2. *Jur. nat.*). In ſpecie autem *Hæreditatis aditio* vocatur, ſi voluntas iſta per verba, aut alia ſigna æquipollentia, ſine ullo facto ſufficienter declaratur: aſt *Geſtio pro hærede*, ſi quis facto ſufficienter declarat ſe hæredem eſſe velle. Quamobrem *ſi quis res quaſdam hæreditarius adminiſtret alio animo, quam quod hæres eſſe velit; is pro hærede ſe non geſſit.* *De hæreditatis ſuſceptione, aditione, & pro hærede geſtione.*

Retinemus ſignificatum terminorum in Jure civili receptorum ob rationem ſæpius jamjam inculcatam, ſcilicet ut manifeſtior ſit Juris naturæ ac civilis differentia & conſonantia, nec confundantur qui utrique Juri operam navant.

§. 962.

Quoniam hæreditatis ſuſceptio eſt acceptatio juris hæreditarii (§. 961.), jus vero transferri nequit niſi in acceptantem (§. 7. *part.* 3. *Jur. nat.*) & acceptatione acquiritur jus ſibi delatum (§. 13. *part.* 3. *Jur. nat.*); *ſi quis hæreditatem ſuſcipit*, conſequenter *vel eandem adit, vel pro hærede ſe gerit, jus hæreditarium acquirit*, cumque in acceptatione juris hæreditarii ſimul contineatur acceptatio dominii univerſalis (§. 959 960.), *cum jure hæreditario ſimul acquiritur dominium univerſale.* *Quomodo jus hæreditarium & dominium univerſale acquiratur.*

Utique qui declarat, ſeſe velle fieri hæredem, conſequenter habere jus ſuccedendi (§. 959.), is etiam declarat eo ipſo, quod dominium univerſale habere velit (§. 957. 960.), ſi quidem, quod hic ſupponitur, acceptatio fiat poſt mortem hæredem inſtituentis. Quoniam vero in ſe non repugnat, ut jus ſuccedendi acceptetur vivo adhuc inſtituente, cum dominium univerſale tum demum acquiratur a morte ipſius, ſatis patet, jura hæc a ſe invicem eſſe diſtincta, etſi communiter ſimul acquirantur.

BIU Cujas

§. 963.

Quomodo hæreditas acquiratur.

Hæreditas acquiritur, dum quis poſſeſſionem rerum a defuncto relictarum occupat. Etenim quando quis poſſeſſionem rerum a defuncto relictarum occupat, eaſdem detinere incipit, ut de iis tanquam ſuis diſponere poſſit (§. 761. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum res acquirantur, dum potentiæ phyſicæ ita ſubjiciuntur, quod per ſe patet, hæreditas vero conſiſtat in rebus a defuncto relictis (§. 960.); hæreditas acquiritur, dum quis poſſeſſionem rerum a defuncto relictarum occupat.

Poſſeſſio acquiritur actu corporali, qui conſiſtit in occupatione rerum hæreditariarum, cum nemo ſit, qui eam tradit, niſi defunctus aliquem conſtituerit, qui tradat; quod fieri poſſe, cum per ſe patet, tum ex infra dicendis eluceſcet.

§. 964.

Quænam ad hæreditatem referenda.

Ad hæreditatem pertinent res omnes corporales tam mobiles, quam immobiles, ſive fuerint in poteſtate defuncti, ſive in poteſtate alterius ſint, nomina etiam & jura omnia, qualiacunque tandem fuerint: ſi tamen in rerum numero fuerint alienæ, aut defunctus ære alieno laboraverit, illa ad hæreditatem non pertinent, hoc ab ea deducendum. Etenim hæreditas conſiſtit in univerſitatem rerum a defuncto relictarum (§. 960.), ſeu bonis ejuſdem (§. 448. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum res corporales vel mobiles ſint, vel immobiles (§. 148. 149. *part.* 2. *Jur. nat.*), & ad bona quoque pertineant res noſtræ, quæ ſunt penes alios, atque nomina (§. 450. *part.* 2. *Jur. nat.*), immo omnia jura noſtra (§. 451. *part.* 2. *Jur. nat.*), non vero res alienæ, quæ penes nos ſunt, & æs alienum (§. 449. *part.* 2. *Jur. nat.*), ad hæreditatem utique pertinent res corporales omnes tam mobiles, quam immobiles, ſive fuerint in poteſtate defuncti, ſive in poteſtate ſint alterius, nomina etiam & omnia jura, qualiacunque tandem fuerint, ablatis tamen rebus alienis, ſi quæ fuerint in numero rerum defuncti, & deducto ære alieno, ſi eo laboraverit defunctus.

Nimirum bona, quæ relinquit defunctus, ad hæreditatem pertinent: ea vero non intelliguntur niſi rebus alienis, quæ in rerum defuncti numero ſunt, ablatis & ære alieno deducto (§. 449. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ut conſtet, quænam ad hæreditatem pertineant, res alienæ ſunt a ceteris ſeparandæ, & æs alienum a maſſa bonorum deducendum.

§. 965.

Quænam ad eam non pertineant.

Jura perſonalia non pertinent ad hæreditatem. Etenim jus perſonale cum ipſa perſona extinguitur (§. 542. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter ab ipſa relinqui nequit, quando moritur. Quamobrem cum ea bona, in quorum numero etiam ſunt jura (§. 451. *part.* 2. *Jur. nat.*), ad hæreditatem pertineant, quæ a defuncto relinquuntur (§. 960.); jura perſonalia non pertinent ad hæreditatem.

Uſusfructus, qui conceſſus erat defuncto ad dies vitæ, non pertinet ad hæreditatem, nec ad eam pertinent reditus annui defuncto ad dies vitæ præſtandi.

§. 966.

Quænam obligationes defuncti non tranſeant in hæredem.

Nullæ obligationes perſonales tranſeunt in hæredem. Quicquid enim perſonale eſt, id a perſona, cui inhæret, in aliam tranſire nequit (§. 543. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem nec obligationes perſonales in hæredem tranſeunt.

Hæres perſonam defuncti non repræſentat niſi quoad bona a defuncto relicta ac inde dependentes obligationes (§. 958.), quatenus ſcilicet vi dominii atque jurium inde ortorum & obligatio-

BIU Cujas

gationum originem ſuam ad id referentium conſtituitur perſona moralis jurium & obligationum iſtarum ſubjectum; non vero perſonam defuncti repræſentat, quatenus eſt individuum phyſicum, vel alias adhuc perſonas morales induit. Unde ſi delictum commiſit defunctus, quod certam pœnam meretur; de eo non tenetur hæres. Similiter hæres non repræſentat defunctum tanquam artificem. Quamobrem ſi quis hujus operas conduxit ad conficiendum opus; hæres ad idem conficiendum non obligatur, nec ſi conficere velit, eidem ex contractu tenetur conductor. Operæ nimirum, quæ locantur, perſonale quid ſunt, nec perinde eſt, a quonam eædem præſtentur. Operæ hujus artificis, quæ tibi locatæ ſunt, non ſunt eædem cum operis alterius cujuſvis, Ex eadem ratione, tutore mortuo, ad tutelam, adminiſtrandam non obligantur hæredes, nec jus adminiſtrandi, prouti jam ſupra (§. 907.) oſtendimus, in eos tranſit. Ac idem valet de cura.

§. 967.

Onus hæreditatis ſunt obligationes bonis defuncti adhærentes. Quamobrem cum *hæres* ſuccedat in omnes obligationes defuncti, quibus is reſpectu bonorum tenetur aliis (§. 958.); *dum hæreditatem ſuſcipit, omne quoque ejus onus in ſe ſuſcipit.* *De onere hæreditatis.*

Retinetur hic ſignificatus generalis oneris, quem eidem tribuimus, cum de promiſſis ageremus (§. 585. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 968.

Si æs alienum ſuperet maſſam hæreditatis; hæres ultra ejus vires naturaliter non tenetur, nec naturaliter alio animo hæreditatem quis ſuſcipere intelligitur, quam ut ultra vires hæreditatis non teneatur. Etenim naturaliter nemo obligatur præſtare id, ad quod præſtandum alter obligatur, conſequenter pro alio ſolvere (§. 659. *part.* 5. *Jur. nat.*), niſi pro alio ſeſe obligaverit, conſequenter fidejuſſerit (§. 782. *part.* 4. *Jur. nat.*), aut ſua ſponte hoc facere velit vi dominii in rebus ſuis ſibi competentis (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum hæres non fidejuſſerit pro defuncto, *per hypoth.* (quodſi enim contingat fidejuſſorem fieri hæredem, non qua hæres fidejuſſit, quod per ſe patet); naturaliter nec pro defuncto ſolvere obligatur. Quoniam tamen æs alienum ſolvendum eſt ex bonis a defuncto relictis (§. 964.), & hoc facere obligatur hæres (§. 958.); ſi æs alienum ſuperet maſſam hæreditatis, hæres ultra ejus vires naturaliter non tenetur. *Quod erat unum.* *Quatenus naturaliter onus hæreditatis ferre debeat hæres.*

Et quia nemo præſumitur ſolvere de ſuo velle pro alio, niſi expreſſe hoc declaret, aut actu ſolvat, qui vero hæreditatem ſuſcipit, cum eo ipſo acquirat dominium in rebus omnibus a defuncto relictis (§. 962. 960., hoc facere intelligitur lucri faciendi, non ſuum perdendi animo, præſertim cum poſterius repugnet officio avertendi damni a patrimonio ſuo (§. 494. *part.* 2. *Jur. nat.*); naturaliter autem hæres, ſi æs alienum ſuperet maſſam hæreditatis, ultra vires ejus non tenetur, *per demonſtrata n.* 1. naturaliter quoque nemo hæreditatem ſuſcipere intelligitur niſi eo animo, ut ultra vires hæreditatis non teneatur. *Quod erat alterum.*

Non eſt quod excipias hæredem repræſentare perſonam defuncti, immo eandem eſſe perſonam moralem cum defuncto, in quo omnes hujus obligationes continuantur (§. 958.), conſequenter eum teneri ultra vires hæreditatis, ut ſolvere cogatur de ſuo, quod ex bonis defuncti ſolvi nequit. Etenim ſi defunctus adhuc eſſet in vivis, ut ipſe ſolveret, non plus tamen ſolvere poſſet, quam quantum eſt in bonis ſuis, non autem ſolvere poſſet de alieno, quod de ſuo ſolvere nequit. Repræſentatio itaque perſonæ defuncti minime exigit, ut ultra vires hæreditatis teneatur hæres. Nec eſt, quod urgeas, hæredem hæreditatem adeundo quaſi contraxiſſe cum creditoribus defuncti, quod ipſis ſatisfacere velit, dum omne onus hæreditatis in ſe ſuſcipit hanc ſuſcipiendo (§. 967. & §. 504. *part.* 5. *Jur. nat.*), ac ideo ad ſolvendum obligari ex quaſi contractu, citra ullum reſpectum ad vires hæreditatis. Etſi enim admittatur, hæredem ſuſcipiendo hæreditatem cum creditoribus defuncti quaſi contraxiſſe de debitis defuncti ſolvendis; non tamen aliter quaſi contraxiſſe intelligitur, quam ea lege, ut non teneatur ultra vires hæreditatis, quia aliter hæreditatem ſuſcepiſſe non intelligitur.

§. 969.

BIU Cujas

§. 969.

Quando hæres in vires hæreditatis inquirere teneatur.

Quoniam hæres, si æs alienum superet massam bonorum, ultra vires hæreditatis non tenetur, nec naturaliter hanc alio animo suscipere intelligitur, quam ut ultra vires ipsius non teneatur (§. 968.); *si hæreditas æri alieno obnoxia fuerit, necesse est ut de viribus hæreditatis satis constet*, consequenter *utrum æs alienum superet massam bonorum, nec ne, ac ideo hæres in hoc inquirere tenetur, antequam* declaret, se hæredem fieri velle, consequenter *hæreditatem suscipiat* (§. 961.).

Si hæreditas eri alieno obnoxia fuerit, non minus creditorum, quam hæredis interest, ut quantæ sint vires hæreditatis exploratum sit, ne de iis lites oriantur inter hæredem ac creditores, si hi urgeant solutionem, ille autem ultra vires hæreditatis solvere nolit.

§. 970.

Quando inventarium conficiendum & quomodo.

Quoniam constare debet, utrum æs alienum superet massam bonorum, nec ne, si hæreditas eidem obnoxia fuerit, (§. 969.), ad hæreditatem vero pertinent res omnes tam corporales, mobiles ac immobiles, quam incorporales, nomina & jura quæcunque alia, & ut massa bonorum constituatur, æs alienum deducendum, ac si in numero rerum a defuncto relictarum deprehendantur res alienæ, eædem a rebus defuncti propriis separandæ (§. 964.); *res a defuncto relictæ una cum nominibus & ære alieno fideliter ac diligenter sunt consignandæ*, consequenter *inventarium fieri debet* (§. 864.), *nec sine eo hæreditas suscipienda, si ea æri alieno obnoxia fuerit*. Et quoniam probari debet inventarium fideliter ac diligenter fuisse confectum, si æs alienum hæreditatis vires superare contingat; facta autem probanda sunt per testes (§. 1014. *part.* 5. *Jur. nat.*); *inventarium fieri debet in præsentia testium in statu naturali*.

Cum hæreditas non constet pecunia numerata, sed rebus etiam corporalibus & incorporalibus, atque nominibus (§. 964.), res autem non semper eo pretio vendi possint, quo a nobis æstimantur, nomina vero omnia non sint adeo certa, ut exigi possint; de viribus hæreditatis non semper certum est judicium, inventario licet confecto, consequenter fieri potest ut de facultatibus defuncti plus speretur, quam in iis est. Quamobrem cum inventarium conficiatur non solum hæredis, verum etiam creditorum causa, necesse omnino est, ut illud habeat fidem, consequenter ut probari possit, id fideliter ac diligenter confectum esse, nec dolo, vel culpa hæredis quicquam prætermissum, quod eidem inferendum erat. In statu igitur naturali in præsentia testium fieri debet, qui eidem fidem faciunt, prouti jam supra in casu speciali annotavimus (§. 865.).

§. 971.

De bonorum specificatione juratæ.

Si hæres inventarium nullis testibus præsentibus confecit, & hæreditas æri alieno persolvendo non sufficiat; naturaliter hæres creditoribus juratam specificationem bonorum defuncti edere tenetur. Etenim creditoribus probare tenetur hæres inventarium fideliter ac diligenter fuisse confectum, si hæreditas æri alieno defuncti persolvendo non sufficiat, quod per se patet. Quamobrem cum inventarium nullis testibus præsentibus ab hærede confectum per testes probari nequeat, quod denuo per se patet, quando vero res controversa aliter probari nequit, per juramentum probanda (§. 1060. *part.* 5. *Jur. nat.*), si hæres inventarium confecit nullis testibus præsentibus & hæreditas non sufficit æri alieno defuncti persolvendo, cum naturaliter ultra ejus vires non teneatur hæres (§. 968.), specificationem bonorum juramento confirmare, seu creditoribus juratam bonorum defuncti specificationem edere naturaliter tenetur.

Etsi naturaliter specificatio bonorum & inventarium non differant (*not.* §. 864.); poterat tamen ea in statu naturali ab hoc distingui, ut consignatio bonorum in præsentia testium

BIU Cujas

stium facta dicatur inventarium, facta absque testibus ab hærede solo specificatio, ut terminorum significatus proprius accedat ad eum, quem in Jure civili obtinent. Et, si ita visum fuerit distinguere, nos habebis minime repugnantes, utut omissa illa distinctione veritati non præjudicetur.

§. 972.

Hæreditatem repudiare dicitur, qui jus hæreditarium sibi delatum acceptare non vult. *Repudiatio hæreditatis quid sit.*

Opponitur repudiatio susceptioni hæreditatis. Quemadmodum enim qui hæreditatem suscipit, sufficienter significat, se hæredem fieri velle (§. 961.); ita qui hæreditatem repudiat, sufficienter significat, se hæredem fieri nolle. Retinetur hic significatus, quem vocabulo in genere tribuimus (§. 111. *p.* 3. *Jur. natur.*).

§. 973.

A voluntate uniuscujusque pendet, utrum hæreditatem sibi delatam suscipere, an vero repudiare velit. Quoniam enim nemini quid obtrudi potest (§. 200. *part.* 4. *Jur. nat.*); ideo nec hæreditas obtrudi potest, consequenter invitus ac renuens, seu quando declarat, quod eam acceptare nolit, eandem acceptare non tenetur. Quamobrem cum hæreditatem suscipiat, qui jus hæreditarium acceptat (§. 961.); eandem vero repudiet, qui idem acceptare non vult (§. 972.); naturaliter a voluntate uniuscujusque pendet, utrum hæreditatem sibi delatam suscipere, an vero repudiare velit. *De libertate naturali hæreditatem suscipiendi, vel repudiandi.*

Non opus est, ut hic addatur, a voluntate ejus, cui hæreditas defertur, etiam pendere, ut addatur, quomodo hæreditatem suscipere velit, cum naturaliter eam suscipere non intelligatur, nisi ea lege, ut ultra vires ejus non teneatur (§. 968.). Quodsi enim famæ defuncti consulturus de suo solvere velit ea, quibus hæreditas non sufficit; id non facit qua hæres (§. *cit.*), sed qua benefactor (§. 20. 17. *p.* 4. *Jur. nat.*), consequenter non opus est, ut animum benefaciendi defuncto declaret creditoribus.

§. 974.

Naturaliter hæres hæreditatem susceptam abdicare potest, si inventarium fuerit confectum in præsentia testium, aut jurata specificatio edatur ab hærede integræ fidei. Facile patet, neminem hæreditatem susceptam abdicaturum, hoc est, declaraturum, quod eam habere nolit (§. 972.), nisi ubi deprehenderit, ex bonis defuncti creditoribus satisfieri non posse, aut saltem de eo dubitet, vel etiam si lucellum, quod ex hæreditate sperare potest, ipsi non videatur tanti, ut molestiam subeat, sine qua creditoribus satisfieri nequit (§. 892. *Psych. empir.*). Quodsi inventarium fuerit confectum in præsentia testium, cum in eo res a defuncto relictæ una cum nominibus & ære alieno fideliter sint consignatæ (§. 970.); creditorum eadem manet conditio, sive hæreditas nondum suscepta repudietur (§. 972.), sive suscepta abdicetur (§. 115. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter qui susceptam abdicat nihil facit, quod est contra jus creditoris (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodsi hæres fuerit integræ fidei, perjurii suspectus non est (§. 757. 926. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter juratæ specificationi eadem fides haberi debet, quæ inventario in præsentia testium confecto. Quoniam itaque quilibet jus suum abdicare potest, quamdiu nil fit contra jus tertii (§. 118. *part.* 3. *Jur. nat.*); naturaliter quoque hæres hæreditatem susceptam abdicare potest, si inventarium in præsentia testium fuerit confectum, aut jurata specificatio edatur ab hærede integræ fidei. *De hæreditatis susceptæ abdicatione.*

Juri naturæ perfectivo, quo quod est melius, consequenter in præsenti casu tutius, alteri præferendum (§. 193. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), magis convenit, ut inventarium in præsentia testium

BIU Cujas

testium conficiatur, immo ut testes adhibeantur ipsi creditores, quam ut jurata specificatio edatur, cum non modo securitati creditorum omnium maxime hoc pacto prospiciatur, verum etiam ipse hæres omnem suspicionem famæ suæ adversam a se removeat, prouti virum bonum decet (§. 968. *p. 5. Jur. nat.*), ut ideo non omni culpa vacet hæres, qui novit multo ære alieno gravari hæreditatem, nec tamen inventarium in præsentia testium conficit (§. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 975.

De jure hæreditario liberorum. *Si parentes moriantur, bona sua liberis relinquere debent: quodsi eorum quidam fuerint educati, alii vero non fuerint, & quæ ab ipsis relinquuntur bona vix educationi horum sufficiant, ea ad nondum educatos solos naturaliter pertinent, aut si fructus illi sufficiant, ad eos usufructus pertinet solos, donec fuerint educati.* Etenim parentes operam dare debent pro virili, ut liberi consequantur bona fortunæ (§. 729.), nec eos privare bonis fortunæ, quibus eosdem augere poterant (§. 730.). Quamobrem cum re nulla amplius indigeant, quando moriuntur, quod per se patet, consequenter bonis suis non amplius habeant opus, immo dominium in iisdem retinere nequeant (§. 700. *part. 6. Jur. nat.*); ea liberis suis relinquere debent. *Quod erat primum.*

Enimvero parentibus curæ esse debet, ut, si ipsos mori contingat, antequam liberi fuerint educati, ipsis relinquant bona, de quibus sumtus educationis sustentari possunt (§. 734.). Quodsi ergo bona ab ipsis relicta vix educationi eorum sufficiant, qui nondum educati sunt, ceteris ipsorum cura atque ope ad eum statum jam perductis, quo sibimetipsis prospicere possunt de iis, quæ ad conservationem sui indigent (§. 637.), naturaliter omnino ad liberos nondum educatos solos bona a parentibus relicta pertinent. *Quod erat secundum.*

Denique si usufructus bonorum a parentibus relictorum educationi liberorum nondum educatorum sufficiat, parentum erga eos officio satisfactum, si eodem sumtus educationis fuerint sustentati (§. 734.). Quando vero educati sunt, eadem jam est quam liberorum ceterorum conditio, consequenter cum nulla sit ratio, cur substantia bonorum pertineat ad ipsos solos, quæ omnium esse debet, *per demonstrata n. 1.* si usufructus bonorum educationi liberorum nondum educatorum sufficiat, ad eos quoque solos is saltem pertinet. *Quod erat tertium.*

Quid æquitati naturali conveniat, hic nobis demonstrandum est, sive paradoxum videatur iis, qui notionibus ex Jure civili hausitis imbutum possident animum, sive minus. Et quamvis in statu civili standum sit legibus positivis; æquitatis tamen naturalis notitia non censeri debet usus nullius. Eam enim sequi non prohibent leges positivæ, &, qui conscientiæ rationem habere volunt, illi parere debent. Recte igitur faciunt fratres atque sorores, si in gratiam fratrum, vel sororum nondum educatorum in casu primo ab hæreditate abstineant, eamque totam his relinquant, in casu autem altero permittant, ut fructus omnes in educationem impendantur, nec ipsa bona inter se ante dividant, quam hi fuerint educati. Nullus dubito neminem fore, qui illa facientem non laudet, nisi ab æquitate animum alienum effecerit nimia lucri cupiditas, manifesto indicio, illam æquitatis notionem hominibus connatam esse, quatenus eam fovet amor fratrum atque sororum perversis affectibus minime imminutus. Ostendimus in superioribus, parentibus beneficia præstari posse in liberis (§. 834.), & in iisdem reddi (§. 835.), & cognatos sibi invicem speciali ratione obligari ad beneficia mutua præstanda, quantum in potestate est (§. 836.). Quamobrem multo minus absonum videri potest, ut fratres atque sorores abstineant ab hæreditate in gratiam fratrum atque sororum nondum educatorum, aut ut in educationem impendi patiantur omnes bonorum a parentibus relictorum fructus, si sumtus educationis aliter sustentari nequeant.

§. 976.

De officiis parentum gradus superioris. *Officia parentum primi gradus erga liberos suos etiam intelligenda sunt de parentibus gradus cujuscunque superioris erga liberos suos gradus cujuscunque inferioris, seu nepotes ac pronepotes, & ita porro.* Etenim liberi gradus inferioris, veluti nepotes ac pro-

BIU Cujas

pronepotes, non minus per generationem descendunt a parentibus gradus superioris, quam a parentibus gradus inferioris, & quamvis ab illis non immediate descendant, cum tamen liberi procreentur, ut genus humanum propagetur (§. 264.), a parentibus quoque per generationem liberorum suorum intenditur ulterior generatio liberorum ulterioris gradus, consequenter quæ officia parentes præstare debent liberis suis, quia eos generarunt, ac ideo voluerunt, ut in rerum natura existerent, ea etiam liberis gradus cujuscunque inferioris præstare debent parentes gradus cujuscunque superioris. Quamobrem cum ex iis, quæ de officiis parentum primi gradus erga liberos suos in superioribus demonstrata sunt, abunde pateat, ea rationem sufficientem non agnoscere nisi in generatione, seu in eo, quod liberos in rerum natura existere voluerint, conservandi generis humani causa (§. 56. *Ontol.*), & posita ratione sufficiente ponatur etiam id, quod per eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol.*); officia parentum primi gradus erga liberos suos etiam intelligenda sunt de parentibus gradus cujuscunque superioris erga liberos suos gradus cujuscunque inferioris, veluti nepotes & pronepotes, ac ita porro.

Natura liberos commendat per generationem. Quamobrem qui ad generationem concurrunt, consequenter ad hoc, ut liberi existant in rerum natura; illi etiam ad ea concurrere debent, ut iidem vitam hominis vivere, eamque, quantum datur, commode ac jucunde transigere possint. Sane ipsa etiam natura parentes superiorum graduum huc ducit, quibus non minus ac parentibus primi gradus instillavit amorem liberorum, qui ex liberis suis procreantur. Satis manifesto se prodit amor iste, nisi aliis affectibus appetitus sensitivus in transversum agatur. Neque enim solum voluptatem percipiunt ex eorum nativitate, verum etiam ex eorundem felicitate ac fortuna. Quamobrem ipsa quoque natura eos stimulat ad eorum felicitatem atque fortunam promovendum (§. 652. 636. *Psych. empir.*). Et hoc amore uniuntur parentes superioris gradus cum liberis inferioris gradus, ut hos spectent tanquam partem sui. Quo vero natura homines ducit, eo etiam eos tendere jubet ratio, ut sit appetitus sensitivi & rationalis consensus (§. 267. *part.* 1. *Jur. nat.*), eademque regere debet affectus ceteros, ne adversus amorem natura insitum prævaleant, & a via recta ad devia deflectatur.

§. 977.

De officio eorundem in promovenda felicitate ac fortuna liberorum gradus cujuscunque inferioris.

Quoniam officia parentum primi gradus erga liberos suos etiam intelligenda sunt de parentibus gradus cujuscunque superioris erga liberos suos gradus cujuscunque inferioris (§. 976.), parentibus autem primi gradus curæ esse debet, ut liberos suos reddant felices (§. 710.), ac fortunatos (§. 732.), consequenter bonorum fortunæ participes (§ 409. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *parentibus* quoque *gradus cujuscunque superioris curæ esse debet, ut liberi gradus cujuscunque inferioris reddant felices, ac fortunatos, seu bonorum fortunæ participes*, consequenter *pro virili conferre debent, quicquid ad hoc conferre possunt, ut felices ac fortunati, seu bonorum fortunæ participes fiant.*

Alia est ratio hominum, quam brutorum. Etenim bruta non conservant memoriam prolis suæ, nec hæc, ubi educata fuerit, genitorum suorum ope ac auxilio amplius indiget, sed sibimetipsi satis prospicere valet: alia vero prorsus ratio est hominum. Ideo etiam natura amorem illum naturalem, quo educatio prolis nititur, non extendit ultra prolem primi gradus, nec in ea ultra educationis tempus, cum in hominibus extendatur ad descendentes quoscunque, nec nisi morte parentum terminetur, nisi causæ quædam accidentales eundem supprimant. Sane amorem istum prodit ipsa tristitia, qua perturbatur animus parentum, quando liberi immorigeri in vitia prolapsi felicitati ac fortunæ suæ obicem ponunt (§. 642. *Psychol. empir.*), immo ipsa indignatio, ad quam ab iis adducuntur (§. 877. *Psych. empir.*). Quodsi homines omnes ratione duce uterentur, quæ modo diximus de amore parentum superiorum graduum, ea multo luculentius paterent. Quamvis patria potestas Romanorum prorsus diversa fuerit a naturali; in eo tamen cum jure naturæ conveniebat, quod in eadem etiam essent liberi inferioris gradus & per eandem jus filiationis ad hos quoque extenderetur.

BIU Cujas

§. 978.

De successione in bona parentum superiorum.

Si parentes superioris gradus, veluti avus & avia, moriuntur, ac desint liberi primi gradus; bona sua relinquere debent liberis inferioris gradus, veluti nepotibus. Et si bona sint tenuia, nondum educatorum eadem habenda est ratio, quam habere debent parentes primi gradus in eodem casu. Ostenditur eodem modo, quo idem demonstravimus de successione in bona parentum primi gradus (§. 975.) *vi* §. 977.

Immo ex iis, quæ de successione in bona parentum primi gradus demonstrata sunt (§. 975.), per modum corollarii idem inferri poterat *vi* §. 976.

Educatio nimirum, sine qua homo natus conservari & vitam hominis vivere nequit (§. 255.), indispensabilis necessitatis est. Sumtus igitur educationis expensis necessariis accensendi (§. 365. *p.* 4. *Jur. nat.*), consequenter ceteris omnibus præferendi (§. 378. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quoniam igitur cura educationis non minus ad parentes superiorum graduum (§. 831.), quam ad parentes primi gradus pertinet (§. 263.); bona ab iis relicta vix intelliguntur, nisi deductis impensis in educationem eorum faciendis, quos educare tenentur. Non est quod hinc inferas, in omni casu sumtus in educationem liberorum nondum educatorum faciendos subtrahi debere a bonis relictis, antequam de hæreditate statuatur. Quodsi enim fructibus illius partis, quæ nondum educato cedit, sumtus educationis sustentari possunt, parentum officium de suo eos faciendi cessat (§. 527.). Ergo nec educationis in hæreditate amplius habenda est ratio.

§. 979.

Quinam sint naturaliter hæredes sui.

Sui hæredes sunt, qui per generationem a defuncto descendunt. Quamobrem cum ii, qui per generationem a defuncto descendunt, sint liberi primi vel ulterioris gradus (§. 578.), *liberi primi ac ulterioris gradus sunt hæredes sui.*

In Jure Romano jus hæredum suorum deducitur ex patria potestate: sed cum ea naturalis non sit (*not.* §. 661.), hæredum suorum notio formanda erat, qualem Jus naturæ admittit. Atque eadem conformis est notioni communi, nemo enim est, qui nesciat *suos* appellari recepto usu loquendi eos, qui per generationem ab aliquo descendunt.

§. 980.

De subitione in locum parentum.

Si defuncto fuerint liberi primi gradus & quidam ulterioris, veluti nepotes aut neptes ex filio, vel filia; nepotes subeunt in locum patris, vel matris suæ. Etenim cum non minus liberorum ulterioris (§. 977.), quam primi gradus fortunæ consulere debeamus (§. 732.), præsertim cum illis desint parentes, qui iisdem prospicere possunt; liberi ulterioris gradus una cum liberis primi gradus in bona defuncti succedere debent. Enimvero cum illi jus succedendi non immediate acquisiverint a defuncto sed mediate per patrem suum, aut matrem; illis competere nequit nisi jus, quod pater, vel mater haberet, si adhuc in vivis esset. Nepotes igitur aut neptes ex filio, vel filia in locum patris, vel matris suæ subeunt.

Jus hæredum suorum per nativitatem acquiritur, ita ut quamprimum quis nascitur, sit hæres suus patris ac matris suæ. Quoniam vero hoc jus etiam pertinet ad liberos ex ipso aliquando nascendos, si ante patrem, vel matrem mori contingat, liberis relictis: jus hoc transmissibile est, ut hi in idem succedant, parentibus suis mortuis. Quamobrem in aliud jus succedere nequeunt, quam quod patri suo, vel matri competeret, si adhuc in vivis esset, avo vel avia moriente. Quorquot igitur in numero liberorum ulterioris gradus fuerint, ii simul in locum patris sui, vel matris subeunt, & in capienda hæreditate ejus personam repræsentant. Nihil itaque magis naturale est, quam ut nepotes ac neptes in locum parentis prædefuncti succedant, mortuo avo, vel avia.

§. 981.

BIU Cujas

§. 981.

Jus ſubeundi in locum parentum ſuorum, quod competit liberis ulterioris gradus cum liberis primi gradus concurrentibus, vocatur *Jus repræſentationis*. Atque ideo patet, *Jus repræſentationis eſſe naturale, ſeu juri naturæ convenire* (§. 980.). *De jure repræſentationis.*

Dicitur ideo jus repræſentationis, quia liberi ulterioris gradus repræſentant parentes ſuos quoad jus hæreditarium, quod in iis conjunctim ſubſiſtit, quatenus morte parentum in ipſis fuit tranſmiſſum. Probe nimirum notandum eſt, aliud eſſe tranſmiſſionem, aliud translationem juris. *Jus tranſmittitur* in aliquem, quod ipſi debetur, quamprimum in habente expirat, cum non transferatur niſi voluntate habentis (§. 12. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quemadmodum vero jus, quod unus habet, in plures tanquam commune transferri poteſt; ita nec repugnat, ut in plures tanquam commune tranſmittatur. Jus nimirum commune acquirentes unam repræſentant perſonam moralem.

§. 982.

Si quis improles moritur, naturaliter bona ſua relinquere debet parentibus ſuis primi gradus, aut, his deficientibus, gradus ulterioris, niſi quatenus conjugis ſuperſtitis habenda ratio. Etenim liberi non modo parentes inopes alere tenentur, niſi eadem inopia laborent, vel vix liberis ſuis alendis ſufficiant (§. 755.), verum etiam ad beneficium iiſdem reddendum, occaſione oblata obligantur (§. 741.), & in præſtandis officiis humanitatis, conſequenter etiam in promovenda eorum fortuna (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), ipſos præferre debent aliis, conjuge ſaltem ac liberis propriis, ſi quos habent, exceptis (§. 754.), immo pro virili conferre ea, quæ vitam eorum commodam atque jucundam faciunt (§. 756.). Quamobrem cum mortui non amplius rebus ſuis indigeant, quod per ſe patet; ſi improles moriuntur, nec conjugis ſuperſtitis habenda ipſis ratio ſit, naturaliter utique parentibus ſuis primi gradus bona ſua relinquere debent. *Quod erat unum.* *De ſucceſſione parentum.*

Enimvero non modo parentes gradus ulterioris, veluti avus & avia, ſunt vitæ noſtræ autores, quatenus ſpectantur tanquam cauſa remota ejuſdem, conſequenter etiam eorum, quæ inde dependent, quod in rerum natura exiſtimus, quod per ſe ſatis patet; verum etiam nepotes ac neptes educare tenentur, ſi parentes moriantur, antequam educati fuerint (§. 831.), immo vivis adhuc parentibus, ſi hi vel inopes fuerint, vel educationem negligant, & in omni caſu ad eandem conferre, quicquid poſſunt (§. 832.). Quamobrem his quoque ad beneficium reddendum obligantur nepotes atque neptes occaſione oblata (§. 41. *p.* 4. *Jur. nat.*), perinde ac parentibus primi gradus (§. 741.), quemadmodum iiſdem non minorem, quam his, reverentiam exhibere debent (§. 827.). Quodſi ergo quis improles moriatur, nec conjugi ſuperſtiti proſpicere teneatur, deficientibus parentibus primi gradus, quibus in eo caſu bona relinqui debent *per demonſtrata*, ea relinquenda ſunt parentibus gradus ſuperioris. *Quod erat alterum.*

Non par omnino jus eſt parentum primi ac ulterioris gradus. Quoniam enim parentes gradus primi ſeſe habent per modum cauſæ proximæ eorum, quæ ipſis quodammodo accepta ferre debemus, parentes autem gradus ulterioris per modum cauſæ remotæ; ac ideo in præſtandis officiis in locum parentum primi gradus non ſuccedunt, niſi his vel deficientibus, vel ea præſtare non valentibus; liberi quoque in præſtandis officiis erga parentes eos, qui gradus primi ſunt, præferre debent illis, qui ſunt gradus ulterioris, niſi utriſque ſimul idem officium exhiberi poſſit, quale reverentia filialis eſt (§. 827.). Nec eſt, quod excipias, parentum ſuperioris gradus majorem eſſe poſſe indigentiam, quam parentum primi gradus, conſequenter æquius eſſe, ut in eo caſu illis potius, quam hiſce relinquantur bona, quia tum parentes noſtri illorum indigentiam ſublevare tenentur (§. 755.), ac commoditatem & jucunditatem eorundem pro virili promovere (§. 756.), & nos bona noſtra parentibus noſtris relinquentes ad hujus officii præſtationem concurrimus. Quodſi hi non ſatisfaciant officio ſuo, id ipſis, non nobis imputandum. In Jure naturæ ſequentia ex præcedentibus deducenda, conſequenter ex iis, quæ

BIU Cujas

fieri debent, inferenda quæ porro facienda. Quamobrem in parentibus ulterioris gradus recte ſupponitur animus ea faciendi, quæ facere deberent, niſi eadem præſtarent parentes primi gradus, &, quando deſunt vires, ſupponenda tamen voluntas eſt. Ac in in utroque caſu voluntas facto æquiparatur. Quibus hæc paradoxa videntur, hi intimam philoſophiam moralem nondum penitus perſpexerunt.

§. 983.

De hæredibus naturalibus & voluntariis.

Hæredes naturales dicere lubet eos, quos ipſa natura conſtituit: *voluntarios* vero, quos defunctus voluntate ſua ſive expreſſa, ſive tacita, aut præſumta, inſtituit. Quamobrem cum natura conſtituat liberos hæredes parentum (§. 975. *& ſeqq.*) & viciſſim parentes hæredes liberorum improlium (§. 982.); *liberi ſunt hæredes naturales parentum & parentes hæredes naturales liberorum improlium.*

Liberi qua hæredes parentum ſuorum dicuntur hæredes ſui (§. 579.). Atque ideo patet, hæredes ſuos eſſe ſpeciem quandam hæredum naturalium. De hæredibus autem voluntariis agitur in ſequentibus.

§. 984.

Quomodo hæreditas deferatur.

Quoniam liberi ſunt hæredes naturales parentum & parentes hæredes naturales liberorum improlium (§. 983.), parentes vero ſunt cognati aſcendentes & liberi deſcendentes in eadem linea recta (§. 565. 576. 578.); *in linea recta natura defert hæreditatem deſcendentibus, obſervato jure repræſentationis* (§. 989. 981.), *his autem deficientibus parentibus ſecundum gradus* (§. 982.).

§. 985.

Quale jus ſit jus hæreditarium parentum & liberorum.

Jus hæreditarium parentum & liberorum mutuum eſt jus perfectum. Etenim jus hæreditarium parentum & liberorum mutuum oritur ex mutuis eorundem officiis erga ſe invicem, prouti ex demonſtratione ejuſdem luculenter patet (§. 975. *& ſeqq. atque* §. 982.). Enimvero ſocietas paterna, quæ inter parentes & liberos contracta intelligitur (§. 633.), &, cum homines generentur atque educentur generis humani conſervandi cauſa (§. 264.), etiam ad parentes & liberos gradus remotioris extenditur, quaſi pactum eſt (§. 634.), conſequenter officia mutua parentum eaque liberorum & inde orta jura quaſi pacto nituntur. Quamobrem cum ex quaſi contractu naſcantur obligationes, quales ex contractu vero naſcuntur (§. 505. *part.* 5. *Jur. nat.*), ex contractu autem naſcantur obligationes perfectæ (§. 793. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter iura ipſis reſpondentia (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*). etiam ſint perfecta (§. 235. 236. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); jus hæreditarium parentum & liberorum mutuum eſt jus perfectum.

Nemo non agnoſcit arctiorem eſſe obligationem, qua parentes ac liberi ſibi invicem tenentur, quam qua natura ceteros homines ſibi invicem devinxit. Unde multo magis reprehenduntur parentes atque liberi, ſi deſint officio ſuo, quam alii, qui officia erga alios inſuper habent. Et quo magis parentes ſtudent fortunam liberorum promovere, eo magis parentis partes omnes adimplere cenſentur. Ac idem eſt de liberis judicium. Ipſa itaque ratio hominibus dictitat, ea, quæ parentibus a liberis & liberis a parentibus debentur, magis eſſe neceſſitatis, quam voluntatis, ſicuti ea, quæ ex contractu debentur, ſeu ad quæ perfecte nos alteri obligavimus. Quamvis vero vulgo non agnoſcatur obligatio, quæ ex quaſi contractu venit, & naturalem obligationem firmiorem efficit; ubi tamen rationem reddere volueris, cur arctius vinculum ſit illa parentum ac liberorum obligatio, quam qua homines alias inter ſe copulantur, ea tandem diſtinctius explicata nos deducet ad quaſi contractum, ita ut qui animum ab eo alienum habet non juxta præſcriptum legis naturæ generationi prolis operam det, atque ideo quaſi contraxiſſe nolens volens intelligatur, qui prolem a ſe genitam agnoſcit.

§. 986.

BIU Cujas

§. 986.

An iis auferri possit.

Quoniam jus hæreditarium parentum & liberorum jus perfectum est (§. 985.), jus vero istiusmodi acquisitum nemini invito auferri potest (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); *jus quoque hæreditarium parentibus ac liberis invitis auferri nequit.*

Naturalem hanc justitiam agnovere Romani, qui liberos & parentes in testamento necessario hæredes instituendos esse voluerunt, ita ut invalidum sit testamentum, in quo prætereuntur.

§. 987.

Quid sit abdicatio liberorum.

Liberi abdicari dicuntur, si parentes sufficienter declarent, quod eos pro liberis suis agnoscere nolint.

Abdicatio liberorum apud Græcos usu recepta fuit. Quamvis vero moribus nostris non conveniat; ea tamen a Jure naturæ minime abhorret, quemadmodum ex sequente propositione intelligitur. Ceterum abdicatio liberorum intelligitur tam de parentibus superioris, quam primi gradus.

§. 988.

Quando ea naturaliter licita.

Si liberi scientes ac volentes ea committunt, quæ e diametro ipsorum erga parentes officio repugnant, vel a vita scelesta sese revocari non patiuntur; naturaliter eos abdicare licet. Etenim si liberi scientes ac volentes ea committunt, quæ e diametro ipsorum erga parentes officio repugnant; ipso facto declarant, quod sese tanquam liberos erga ipsos gerere nolint. Quamobrem indigni sunt, quos parentes pro liberis suis agnoscant, consequenter nec eos pro liberis suis agnoscere tenentur. Lege igitur naturali ipsis datur jus declarandi, quod eos pro liberis suis agnoscere nolint (§. 158. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ista declaratio sit abdicatio liberorum (§. 987.); si liberi scientes ac volentes ea committunt, quæ e diametro ipsorum erga parentes officio repugnant, naturaliter eos abdicare licet (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Quodsi vitæ scelestæ dediti ab ea sese avocari minime patiantur, per se patet, quod continuo contristentur parentes. Quoniam itaque liberi parentes contristare minime debent (§. 748.), officio liberorum erga parentes e diametro adversatur, quod a vita scelesta sese revocari minime patiantur, sed in ea perseverent. Quamobrem cum liberos abdicare liceat, si scientes ac volentes ea committunt, quæ e diametro ipsorum erga parentes officio repugnant, *per demonstrata n.* 1. eosdem etiam abdicare licet naturaliter, si a vita scelesta sese revocari non patiantur. *Quod erat alterum.*

Qui officia liberorum erga parentes in superioribus demonstrata perpendi, facile animadvertet, quænam sint facta, per quæ illa tolluntur, ita ut quis personam filii exuisse dicendus sit. Ita ferire parentes, aut iis maledicere reverentiæ filiali e diametro adversa, sine qua tamen filii persona concipi nequit (§. 752.). Hæc igitur justa abdicationis causa est, consequenter multo magis talis erit, si ipsi vitæ patris, vel matris insidias struat. Similiter amor filialis tollitur odio, seu inimico in parentes animo. Quamobrem qui inimicitiam irreconciliabilem fovet, filii personam sustinere nequit. Exemplum vitæ scelestæ est, si filius prædonibus se socier, vel filia meretrix sit.

§. 989.

De quantitate juris hæreditarii liberorum & parentum.

Naturaliter liberi omnes ejusdem gradus æquale jus ad hæreditatem parentum habent, ac vicissim parentes ejusdem gradus ad hæreditatem liberorum. Etenim liberis jus ad hæreditatem parentum competit, quia liberi sunt, prouti ex anterioribus patet, consequenter quia a parentibus suis per generationem descendunt (§. 578.). Quoniam itaque

BIU Cujas

itaque eadem est ratio sufficiens hujus juris in singulis liberis, quorum ceteroquin eadem supponitur conditio, nimirum ut omnes vel jam sint educati, vel non educati (§. 56. *Ontol.*); idem quoque esse debet singulis jus (§. 118. *Ontol.*). Naturaliter itaque liberi omnes ejusdem gradus æquale jus ad hæreditatem parentum habent. *Quod erat unum.*

Similiter parentibus competit jus ad hæreditatem liberorum, quia parentes sunt, prouti similiter ex anterioribus patet. Unde denuo ut ante colligitur, parentes ejusdem gradus ad hæreditatem liberorum æquale jus habere. *Quod erat alterum.*

Natura liberi omnes æquales sunt, quod idem de parentibus respectu liberorum intelligitur: neque enim ulla adest diversitatis ratio. Quodsi ergo uni illorum prærogativa quædam seu jus potius præ ceteris competere debeat; ex accidente aliqua adesse debet ratio, qualis est, si quidam liberi nondum fuerint educati, quibus tamen perinde alimenta debentur, ac ceteris debebantur & præstita fuerunt, fructibus tamen ejus, quam accipiunt, partis sumtus educationis sustentari nequeant. Nisi enim in eo casu admitteretur aliqua prærogativa quoad jus hæreditarium, non amplius natura forent æquales, cum conditio illorum deterior foret, quam ceterorum.

§. 990.

De divisione hæreditatis inter liberos.

Quoniam liberi singuli ejusdem gradus naturaliter æquale jus ad hæreditatem parentum habent (§. 989.); *liberi singuli hæreditatem æqualiter inter se dividere debent, & similiter qui jure repræsentationis succedunt* (§. 980.), *eam partem, quam parens ipsorum accepisset, si adhuc in vivis fuisset.*

Dicuntur liberi, qui proprio jure succedunt, *in capita succedere*, quia personæ singulæ æquales capiunt partes; qui autem succedunt jure repræsentationis, seu jure parentum morte eorundem in ipsos transmisso, *in stirpes succedere* dicuntur, quia quotquot eorum numero sint nonnisi unam tamen personam, defuncti nimirum parentis sui, repræsentant, ac ideo nonnisi unam portionem capiunt, parenti scilicet suo debitam, si adhuc viveret, inter se porro æqualiter ob æqualitatem juris dividendam. Facile autem patet, si omnes fuerint liberi ulterioris, sed ejusdem gradus, veluti nepotes ac neptes, eos jam jure proprio, non vero jure parentum succedere, consequenter cum cesset disparitas juris, quo succeditur, eos in capita succedere, non autem in stirpes. Non igitur opus est, ut hisce demonstrandis ulterius immoremur.

§. 991.

De divisione hæreditatis liberorum.

Ex eadem ratione intelligitur, *hæreditatem filii, vel filiæ inter patrem & matrem, hæreditatem nepotis, vel neptis inter avum paternum & maternum, & aviam paternam atque maternam æqualiter esse dividendam.*

Parentes enim, cum in bona defunctorum liberorum nunquam succedant, nisi qui sunt ejusdem gradus (§. 978.), consequenter singuli eodem jure succedant; nonnisi in capita succedere possunt, nunquam vero in stirpes (*not.* §. 990.). Ceterum naturale non est, ut attendatur, unde bona venerint liberorum, num paterna sint, an materna, vel noviter acquisita. Quamprimum enim quis efficitur rei dominus, res fit ejus propria, nec amplius quæritur, quomodo ea acquisiverit, cum per se eidem nullum adhæreat onus ex modo acquirendi. Si enim tale onus adhæreret, ex quo alteri jus aliquod nasceretur, de eo disponere non poterat in hujus præjudicium. Et nonne contingere potest, ut quis bona materna, vel paterna consumat, postea vero, ubi ad meliorem statum pervenit, alia acquirat? Quodsi ergo mortuus fuisset, antequam alia acquisivisset, nulla prorsus fuisset hæreditas.

§. 992.

De acceptatione post mortem transferentis facienda.

Dominium in alterum transferri potest ea lege, ut nonnisi post mortem suam acceptari possit. Etenim a domini voluntate unice dependet, quomodo dominium rei suæ in alium transferre velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam ea lege transferre potest, ut nonnisi post mortem suam acceptari possit.

Nulla

BIU Cujas

Nulla est necessitas, ut consensus transferentis cum consensu accipientis eodem tempore & simul existant. Actus transferentis absolvitur sola declaratione voluntatis suæ, & quamdiu is subsistit (subsistit autem tamdiu, quamdiu voluntas non mutatur), acceptatio quocunque tempore accedere potest. Quamobrem cum moriens inter vivos velle desinat, consequenter quamprimum quis moritur certum sit eum voluntatem suam non mutasse; quin post mortem ejus acceptatio ad actum transferentis accedere possit, ad quod tempus a transferente fuit restricta, dubitandum non est.

§. 993.

Si accipiens ante acceptare non potest, quam post mortem transferentis; necesse non est, ut ante mortem transferentis voluntas ejus ipsi innotescat. Voluntas transferentis accipienti innotescere debet, ut accipiendi voluntatem declarare possit, quod per se patet. Quamobrem si non ante hoc fieri possit, quam post mortem transferentis, *per hypoth.*; necesse quoque non est, ut voluntas transferentis ante hujus mortem ipsi innotescat.

Quando voluntas transferentis tunc innotescere debeat accipienti.

Quamdiu acceptare non potes, notitia voluntatis transferentis nulli tibi usui est. Sufficit igitur, hanc tibi innotescere eo tempore, quo acceptare potes: Ex. gr. si Titio committo, ut tibi notum faciat, me tibi aliquid promisisse in certum diem, salvo tamen jure revocandi promissum, antequam dies iste venerit; is demum tibi voluntatem meam significare potest, postquam dies venerit, nisi expresse aliter fuerit dictum. Quamobrem si acceptatio fieri debeat post mortem transferentis, ac interea promissum esset revocabile; is tibi voluntatem transferentis demum post mortem ejus significare poterit, immo si transferens ita voluerit, non ante debet. Perinde vero est, sive per te, sive per scripturam defuncti ejus voluntas illi innotescat. Nihil in hisce absurdi est, modo dominii & libertatis naturalis, unde exercitium ejus dependet, notionem satis distinctam habueris.

§. 994.

Expressa declaratio voluntatis defuncti de translatione dominii rerum post mortem suam relictarum, & de eo, quod præterea post mortem suam fieri velit, ea lege facta, ut nonnisi post mortem suam acceptatio fieri possit, *Testamentum* dicitur.

Testamentum quid sit.

Intelliguntur hic res tam corporales, quam incorporales, cum etiam hæ sint in dominio (§. 116. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quod vero diximus, voluntatem defuncti declarari quoque posse de eo, quod quis præterea fieri post mortem suam velit; ideo additur, quia in testamento etiam dari potest liberis tutor, vel curator, potest etiam præcipere defunctus, quæ de sepultura sua observari velit, quod monumentum ipsi sit excitandum, quod MSC. quoddam sit in lucem publicam edendum & si qua alia fuerint hujus vel alterius generis.

§. 995.

Si dominium in alterum transfertur ea lege, ut nonnisi post mortem suam acceptatio fieri possit; quamdiu vivit, voluntatem suam transferens mutare potest. Quoniam enim ex acceptatione accipienti nascitur jus in re translata (§. 365. *part.* 3. *Jur. nat.*), quod invito eidem rursus adimi nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); si transferens nolit acceptationem fieri ante mortem suam, non alio fine hoc velle intelligitur, quam ne jus quoddam acquirat ante mortem suam is, in quem dominium suum transferre nunc vult. Quamobrem sibi utique reservat jus mutandi voluntatem suam, quamdiu vixerit, si ita visum fuerit. Quodsi ergo dominium in alterum transfertur ea lege, ut nonnisi post mortem suam acceptatio fieri possit; quamdiu vivit, voluntatem suam transferens mutare potest.

De revocabilitate translationis dominii acceptatione nonnisi post mortem facienda.

Naturaliter homini competit jus mutandi voluntatem suam, quando mutatio non fit contra jus alterius (§. 377. 378. *part.* 3. *Jur. nat.*), & jure quoque interno licita, si mutata fertur in melius (§. 374. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quando voluntatem nostram declaramus de eo, quod post mor-

tem

BIU Cujas

tem noſtram fieri debet; de eo ſtatuimus pro circumſtantiis præſentibus, quoniam futuras prævidere non poſſumus. Quamobrem cum hæ mutari poſſint, voluntas quoque noſtra non ſine ratione mutatur. Immo contingere quoque poteſt, ut circumſtantias præſentes non ſatis expenderimus, quæ poſthac penitius inſpicere poſſumus, ut denuo adſit ratio ſufficiens ad mutationem. Voluntas igitur hominis recte dicitur ambulatoria uſque ad extremum vitæ halitum, quo velle definimus inter vivos. Non igitur abſurdum eſt, ut, quis ſibi reſervet jus mutandi voluntatem ſuam, quando diſponit de eo, quod demum poſt mortem ſuam fieri vult.

§. 996.

Teſtator quinam ſit & quænam ultima voluntas.

Teſtator dicitur, qui teſtamentum facit. Et *teſtari* idem ſignificat ac teſtamentum facere, ſeu ſuam de translatione dominii rerum poſt mortem relictarum voluntatem declarare. Unde *teſtatus* decedere dicitur, qui teſtamento facto moritur; *inteſtatus* vero, qui nullo teſtamento condito decedit. *Voluntas* vero *ultima* eſt, qua quis ea vult, quæ poſt mortem ſuam fieri debent.

Ultima nimirum, quæ quis velle poteſt, ea ſunt, quæ quis poſt mortem ſuam fieri vult.

§. 997.

De mutatione teſtamenti.

Teſtator teſtamentum mutare poteſt, quamdiu vixerit, immo teſtamento alio non facto inteſtatus decedere. In teſtamento enim de translatione dominii rerum ſuarum ita diſponit teſtator, ut acceptatio demum poſt mortem fieri debeat (§. 994. 996.). Enimvero ſi dominium in alterum transfertur ea lege, ut nonniſi poſt mortem ſuam acceptatio fieri poſſit, quamdiu vivit transferens voluntatem ſuam mutare poteſt (§. 995.). Ergo etiam teſtator teſtamentum mutare poteſt, quamdiu vixerit. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam teſtamentum mutans voluntatem ſuam ultimam mutat (§. 996. 994.). Voluntatis autem ultimæ mutatio permiſſa unicuique, quamdiu vivit, *per demonſtrata;* propterea quod quis teſtamentum fecerat, non aliud facere cogitur. Quamobrem ſi velit, vel etiam ſi contingit ipſum alio teſtamento non facto mori, alio non facto inteſtatus decedere poteſt (§. 996.). *Quod erat alterum.*

Non modo integrum eſt unicuique vi dominii (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), utrum teſtatus, an inteſtatus decedere velit; verum etiam haud raro contingit, ut quis inteſtatus decedat, ſi vel maxime teſtatus decedere maluiſſet, cum mortis horam prævidere minime liceat. Quamobrem cum neceſſe non ſit, ut quis perſiſtat in ea voluntate, quam in teſtamento declaravit; teſtamento, quod quis fecerat, ſublato, res redit in eum ſtatum, in quo fuerat ante conditum teſtamentum.

§. 998.

Quando teſtamentum fiat validum.

Quoniam teſtamentum mutari poteſt, quamdiu teſtator vixerit (§. 997.), conſequenter poſt ejus demum mortem conſtare poteſt, ipſum in ea voluntate, quam facto teſtamento declaravit (§. 994.), perſtitiſſe; *ante mortem teſtatoris teſtamentum validum non eſt, ſed morte demum ejus validum efficitur.*

Nimirum teſtamentum non ante validum, niſi quando voluntas teſtatoris immutabilis efficitur: tunc enim actus translationis dominii rerum a defuncto relictarum perfectus eſt, ut acceptari poſſit.

§. 999.

An teſtamenta ſint juris naturalis.

Naturaliter teſtamentum facere licet. Etenim vi dominii dominus de re quacunque ſua diſponere poteſt pro arbitrio ſuo (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), ita ut eidem etiam permittendus ſit rerum ſuarum abuſus, quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 169. *part.* 2.

BIU Cujas

part. 2. Jur. nat.). Quamobrem cum naturaliter dominium rerum suarum etiam in alterum transferre possit ea lege, ut nonnisi post mortem suam acceptatio fiat (§. 992.), in testamento autem dominium rerum post mortem testatoris relictarum ea lege transferatur (§. 994.); naturaliter testamentum facere licet.

Patet itaque, testamenta esse juris naturalis. Non valere rationem, quæ cum *Puffendorfio* in contrarium affertur, quasi ea lege nihil transferri possit, ut is, in quem transferri debet, demum post mortem transferentis acceptare possit, antea jam refellimus (*not.* §. 992.). Equidem *Feldenus* testamenta juri naturæ repugnare inde infert, quod vero hæredi, hoc est, ei, qui alias ab intestato succederet, auferatur jus suum, quod facere minime licet (§. 64. *p. 1. Jur. nat.*), quæ olim erat opinio Germanorum, hodie adhuc nonnullorum animos occupans, unde enatum est axioma illud: qui morte beata defungi voluerit, bona sua relinquat hæredi vero; patebit tamen ex sequentibus, deficientibus liberis ac parentibus, nemini jus perfectum ad bona defuncti competere, immo non obstante jure liberorum atque parentum (§. 975. 982.), omne testandi jus minime esse ademtum, quin potius legi naturæ convenienter non minus inter liberos atque parentes, quam respectu aliorum extraneorum non uno modo de rebus post mortem relictis disponi posse. Immo ex sequentibus quoque patebit, successionem ab intestato revera non esse nisi testamentum præsumtum, seu eandem niti præsumta defuncti voluntate. Quamvis vero admittendum sit testamentifactionem juri naturæ non repugnare, immo si recte fiat testamentum, eidem convenire; modus tamen testandi naturalis plurimum differt ab eo, quem Jus Romanum præscribit & qui moribus Germanorum parum convenit, ac contra eos introductus fuit, prouti ex sequentibus elucescet.

§. 1000.

De exhæredatione liberorum.

Liberi exhæredari dicuntur, quibus a parentibus expressa voluntate aufertur hæreditas, vel qui ex numero hæredum excluduntur, seu si parentes expresse declarent, quod in bona post mortem suam relicta succedere non debeant (§. 957. 960.). Quoniam liberi abdicantur, si parentes sufficienter declarent, quod eos pro liberis suis agnoscere nolint (§. 987.), consequenter eo ipso simul declarent, quod jus alias liberis competens in bona post mortem suam relicta succedendi (§. 975.) ipsis competere non debeat; *si liberi abdicantur, eo ipso quoque exhæredantur*. Quamobrem cum naturaliter liberos abdicare liceat, si scientes ac volentes ea committunt, quæ e diametro ipsorum erga parentes officio repugnant, vel a vita scelesta revocari sese non patiuntur (§. 988.); *naturaliter* quoque *liberi exhæredari possunt, si scientes ac volentes ea committunt, quæ ipsorum erga parentes officio e diametro repugnant, vel a vita scelesta sese revocari minime patiuntur.*

Abdicationis & exhæredationis liberorum idem effectus est: utraque enim iidem privantur jure liberorum, quod alias natura ipsis tribuit. Exempla igitur justæ abdicationis supra allata (*not.* §. 988.) sunt etiam exempla justæ exhæredationis.

§. 1001.

Quantum officia humanitatis ad liberos restringantur.

Si parentes absque neglectu liberorum officia humanitatis aliis præstare possunt; ad ea præstanda naturaliter obligantur. Etenim quilibet homo obligatur omnem facere facultatum suarum usum, qui ad perficiendum animam, corpus & statum hominum aliorum & ad arcendum omnem imperfectionem ab eorum anima, corpore & statu requiritur, quatenus id absque neglectu officii erga seipsum fieri potest (§. 609. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter quævis præstare officia humanitatis (§. 655. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam hæc obligatio necessaria & immutabilis est (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec ab ea liberantur parentes, quod liberos suos in omnibus officiis, quos aliis debemus, ceteris hominibus præferre debeant (§. 733.), consequenter per hoc officia humanitatis tantummodo ita restringuntur ad liberos, ne cum eorum neglectu præstentur aliis. Quodsi ergo parentes absque neglectu liberorum officia humanitatis præstare aliis possunt; ad ea præstanda naturaliter obligantur.

BIU Cujas

Obligatio specialis non tollit obligationem universalem ad idem, sed tantummodo restringit in casu collisionis, quia illa utpote ex duplici causa provenions fortior est, consequenter hanc vincit.

§. 1002.

Idem expenditur quoad bona fortunæ.

Quoniam parentes, si absque neglectu liberorum officia humanitatis aliis præstare possunt, ad ea præstanda naturaliter obligantur (§. 1001.), ad officia vero hæc pertinet aliorum fortunam, quantum in potestate est, promovere (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), aliis benefacere (§. 23. *part.* 4. *Jur. nat.*), beneficia occasione oblata reddere (§. 41. *p.* 4. *Jur. nat.*), itemque mendicis atque egenis eleemosynam dare (§. 220. 224. *part.* 4. *Jur. nat.*); *si parentes absque neglectu liberorum fortunam aliorum promovere, aliis benefacere & beneficia occasione oblata reddere, itemque mendicis, atque egenis eleemosynam dare possunt, ad hæc singula obligantur*, consequenter *etiam in gratiam extraneorum & mendicorum ac egenorum de bonis post mortem suam relictis disponere possunt.*

Parentes, etsi liberis suis prospicere pro virili debeant, propterea tamen non peccare, si aliis quoque beneficia exhibeant, qui ea merentur, & mendicis atque egenis eleemosynas dent, pro modo facultatum suarum, nemo in dubium vocaverit. Nec facile quis erit, qui affirmaverit, injuriam fieri liberis, si parentes hoc faciant. Cum ergo de bonis suis in eorum gratiam disponere possint, qui beneficia, vel eleemosynam merentur, quamdiu vivunt; nulla sane ratio est, cur jus hoc ipsis denegetur, quando voluntate ultima disponunt de bonis post mortem suam relictis. Si servetur modus, ne in præjudicium liberorum plus detur, quam dari debebat aliis; non habent hi, de quo conquerantur.

§. 1003.

Legatum quid sit.

Legatum dicitur donatio rei cujusdam, vel etiam certæ pecuniæ summæ ultima voluntate facta. Persona vero, cui legatum relinquitur, *Legatarius* vocatur, & qui ultima voluntate quid donat alteri, *legare* dicitur.

Ex. gr. Si ultima voluntate declaro, quod domum meam vel hortum habere debeas; domum, vel hortum tibi lego. Similiter si volo, ut post mortem meam inter pauperes distribuantur centum thaleri; pauperibus centum thaleros lego. Differt adeo legatum ab hæreditate, quia hæc consistit in universitate rerum a defuncto relictarum (§. 960.); legatum vero nonnisi in re quadam particulari, aut in rebus quibusdam particularibus, vel etiam in certa quadam pecuniæ summa.

§. 1004.

Quando juris naturalis.

Quoniam legatum donatio est (§. 1003.): *quando donationes legi naturæ conformes sunt* (§. 112. *& seqq. part.* 4. *Jur. nat.*), *legata quoque eidem conveniunt.*

Quemadmodum temere donandum non est (§. 104. *part.* 4. *Jur. nat.*), ita nec temere legandum. Quemadmodum vero donatio temeraria valet (§. 107. *part.* 4. *Jur. nat.*); ita & legatum temerarium valet. Quodsi tamen manifesta fuerit legantis temeritas, idem omnino est legatarii officium, quod donatarii circa donationes temerarias. Quodsi ea perpendas, quæ de donatione demonstrata sunt (§. 112. *& seqq. part.* 4. *Jur. nat.*); facile erit judicium, quænam legandi debeant esse motiva, ne labe quadam afficiantur legata. Et si porro ad animum revoces ea, quæ de danda eleemosyna demonstrata sunt (§. 235. *p.* 4. *Jur. nat.*); facile quoque judicabis, quandonam mendicis atque egenis legatum aliquod & quantum relinqui possit.

§. 1005.

Quando legata a parentibus relinqui possint.

Si parentes habeant patrimonium amplum, vel liberis jam adsint, quæ vitæ necessitati, commoditati ac jucunditati sufficiunt; legata beneficia merentibus & pauperibus relinquere possunt pro modo facultatum suarum. Parentes pro virili conferre tenentur ea, quæ

BIU Cujas

quæ possunt, ad hoc, ne liberis desint quæ vitæ necessitas exigit, & quæ ad vitam commode ac jucunde transigendam faciunt (§. 736.) & eos in iis ceteris hominibus præferre debent, in casu nimirum collisionis. Quodsi patrimonium amplum habeant, vel liberis jam adsint, quæ vitæ necessitati, commoditati ac jucunditati sufficiunt, huic officio satisfaciunt, etiamsi res quasdam, vel certam pecuniæ summam aliis legent, consequenter absque liberorum neglectu legata relinquunt. Quamobrem cum in gratiam eorum, qui beneficia merentur & mendicorum ac egenorum de bonis post mortem suam disponere possint, si id fiat absque neglectu liberorum (§. 1002.), consequenter legata relinquere (§. 1003.); si patrimonium amplum ipsi habeant, vel liberis jam adsint, quæ vitæ necessitati, commoditati ac jucunditati sufficiunt, legata beneficia merentibus & pauperibus pro modo facultatum suarum relinquere possunt.

Pater legaturus probe perpendere debet, ne leget in præjudicium liberorum. Quamobrem non modo inquirere debet in facultates suas & liberorum; verum etiam nepotum ac neptium rationem habere, quibus aliquando bona sua relinquere debent liberi sui, immo ad animum quoque revocare casus, quibus fortuna hominum obnoxia est, ne ex statu tantummodo præsenti liberorum fiat judicium. Multa igitur circumspectione opus est, ne in legando modum excedas, nec habeant liberi, de quo vel in præsenti, vel futuro tempore jure conquerantur.

§. 1006.

Si liberi absque neglectu parentum officia humanitatis alii præstare possunt; ad ea præstanda obligantur. Quoniam liberi in præstandis officiis humanitatis in casu collisionis parentes aliis præferre debent, conjuge saltem ac liberis propriis, si quos habent, exceptis (§. 754.), quemadmodum parentes liberos suos præferre tenentur in casu collisionis aliis (§. 713.); propositio præsens eodem modo ostenditur, quo supra demonstravimus parentes obligari ad præstanda humanitatis officia aliis, si ea absque liberorum neglectu præstare possunt (§. 1001.).

Quatenus officia humanitatis ad parentes restringuntur.

§. 1007.

Hinc porro eodem, quo supra (§. 1002.), modo ostenditur, *liberos* quoque *obligari fortunam aliorum promovere, aliis benefacere & beneficia occasione oblata reddere & mendicis atque egenis eleemosynam dare*, immo *eos posse in gratiam eorum, qui beneficia merentur, & mendicorum ac egenorum de bonis post mortem suam relictis disponere.*

Idem in specie expenditur quoad bona fortunæ.

Sane si quis nonnisi parentum, liberorum atque conjugis rationem habere deberet, omnis cessaret obligatio humanitatis officia præstandi aliis, quæ tamen naturaliter non restringuntur, nisi quatenus ea in potestate nostra non sunt (§. 611. *part.* 1. *Jur. nat.*). Tum vero demum in potestate nostra non esse intelliguntur, si absque neglectu non modo nostri, verum etiam eorum, qui pars nostra esse censentur, aut quorum pars nos sumus, hoc est, liberorum atque parentum præstari possunt. Quodsi vires humanæ essent inexhaustæ, officia humanitatis promiscue deberentur absque ulla restrictione. Enimvero quoniam admodum limitatæ sunt, natura quosdam arctiori vinculo inter se copulavit, ut ea sibi invicem præstent, non tamen exclusis ceteris, quantum arctius hoc vinculum permittit.

§. 1008.

Si liberi habeant patrimonium amplum, vel parentibus jam adsint, quæ vitæ necessitati, commoditati ac jucunditati inserviunt; pro modo facultatum suarum legata beneficia merentibus & pauperibus relinquere possunt. Idem eodem modo ostenditur vi §. 1007. quomodo id de legatis parentum paulo ante demonstravimus (§. 1005.).

Quando legata a liberis relinqui possint

Eadem hic, mutatis mutandis, tenenda sunt, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 1005.).

BIU Cujas

§. 1009.

Quatenus collateralibus speciali ter obligati sumus ad præstanda officia humanitatis.

Collateralibus qua talibus non aliter speciali quadam ratione obligamur ad præstanda officia humanitatis, quam quatenus in ipsis beneficium redditur parentibus communibus primi, vel ulterioris gradus. Quoniam enim officia humanitatis sunt officia erga alios, quibus eorum perfectio promovetur (§. 655. *part.* 1. *Jur. nat.*), actus vero omnis beneficium est, qua perfectionem alterius ac status ejusdem quomodocunque gratis promovemus, aut imperfectionem præcavemus (§. 22. *part.* 4. *Jur. nat.*); officia humanitatis, quippe quæ gratis præstari constat, beneficiorum loco sunt. Quamobrem cum beneficium reddat, qui beneficium tribuit ei, a quo accepit, propterea quod accepit (§. 32. *part.* 4. *Jur. nat.*); beneficium alteri reddimus præstando officia humanitatis. Quoniam itaque liberi obligantur ad beneficium reddendum parentibus, occasione oblata (§. 741.), & ex demonstratione superiori successionis parentum (§. 982. *n* 2.) patet, idem quoque extendendum esse ad parentes gradus cujuscunque superioris, beneficium vero parentibus reddi potest etiam in liberis eorundem (§. 719. *p.* 6. *Jur. nat.* & §. 712. 976. *h.*); naturaliter ad præstanda officia humanitatis obligamur collateralibus, quia nobiscum communem quendam parentem primi, vel ulterioris gradus habent (§. 590. 575.), consequenter qua talibus. *Quod erat unum.*

Enimvero inter cognatum collateralem & alium quemcunque respectu nostri non alia datur differentia, quam quod cum illo communem quendam parentem, cujus memoriam habemus, veneremur (§. 590. 575. *h.*). Collateralibus itaque qua talibus non aliter speciali quadam ratione obligamur ad præstanda officia humanitatis, quam quatenus in ipsis beneficium redditur parenti communi primi, vel ulterioris gradus. *Quod erat alterum.*

Quoniam collaterales non per nativitatem a se invicem descendunt, sicuti liberi a parentibus; ideo non paria ipsorum jura sunt, quæ parentum & liberorum, nec eadem illos tenet obligatio, quæ his natura inest. Natura tamen eos inter se copulat, quatenus a communi quodam stipite descendunt, qui quo ipsis propior est, eo arctius quoque intelligitur vinculum. Sunt enim membra familiæ stipitis sui, ad quem referuntur (§. 585.), ita ut alii sint in familia patris & matris, veluti fratres atque sorores, alii in familia avi nostri, vel aviæ, alii in familia proavi nostri & proaviæ, ac ita porro (§. 587. *& seqq.*). Quamobrem si beneficia rependuntur parentibus in liberis suis; vel rependuntur patri aut matri in fratribus ac sororibus, vel avo & aviæ; vel proavo, aut proaviæ in iis, qui ab ipsis descendunt, ac ita porro. Natura igitur fratres ac sorores amari non modo jubet qua homines, verum etiam propter patrem nostrum ac matrem, & collateralea ceteros propter avum ac aviam, proavum & proaviam, & ita porro, ac in linea inæquali respective propter parentem ejus gradus, cujus unusquisque agnoscit communem stipitem (§. 598.), veluti ego filium fratris amare debeo propter patrem meum, & is me amare propter avum suum.

§. 1010.

Quid de eo præsumendum.

Quoniam naturaliter id præsumendum, quod fieri ab aliquo debebat, naturaliter autem speciali quadam ratione cognatis collateralibus obligamur ad præstanda officia humanitatis non aliter, quam quatenus in ipsis beneficium redditur communi parenti primi, vel ulterioris gradus (§. 1009.); *naturaliter* quoque *unusquisque præsumitur officium aliquod humanitatis potius cognato collaterali, quam extraneo præstare velle*, consequenter *eum magis amare, quam extraneum* (§. 654. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Magis amare alterum hic idem est, ac eundem in casu collisionis aliis præferre.

§. 1011.

Quale sit collateralium jus.

Similiter quia collateralibus qua talibus non aliter speciali quadam ratione obligamur ad præstanda officia humanitatis, quam quatenus in ipsis beneficium redditur parenti

BIU Cujas

renti communi primi, vel ulterioris gradus (§. 1009.), consequenter non quatenus ipsis per se hoc beneficium debetur, ad beneficium vero beneficiario nonnisi jus imperfectum competit (§. 26. *part.* 4. *Jur. nat.*); *collateralibus* quoque *qua talibus non competit jus perfectum ad officia humanitatis ex speciali obligatione ipsis præstanda.*

Si fratres mutuo amore se invicem complectantur, per se unus alterius beneficium meretur speciali quadam ratione. In hoc autem merito non attenditur fraternitas, ea enim consistit in mutua dependentia quoad ortum suum a communi patre ac matre: quæ etsi arctius eos obliget ad mutuum amorem, qualem natura in omnibus hominibus exigit (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*), non tamen is adeo notionem fraternitatis per modum determinationis essentialis ingreditur. Quamobrem cum amor actualis non operetur jus perfectum ad beneficium (§. 26. *p.* 4. *Jur. nat.*), multo minus fraternitas, quæ fratrem amori isti commendat, jus perfectum producere valet. Ferendum fratri est, etiamsi mereatur beneficium, ut id a fratre ipsi denegetur, nec eundem ad exhibendum cogere jure potest.

§. 1012.

Quia collateralibus qua talibus non competit jus perfectum ad officia humanitatis ex speciali obligatione ipsis præstanda (§. 1011.); *nec ipsis competit jus perfectum ad hoc, ut eos compotes reddamus bonorum fortunæ, quibus eos compotes reddere poteramus* (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter *nec jus perfectum in bona post mortem nostram relicta succedendi* (§. 957.), *ac ideo ea ipsis relinquere non tenemur*, cumque ea de causa a voluntate nostra unice dependeat, utrum eos hæredes instituere velimus, nec ne, *hæredes naturales non sunt cognati collaterales, sed voluntarii* (§. 983.). *De jure hæreditario collateralium.*

Jus hæreditarium cognatorum collateralium minime perfectum est, sicuti ascendentium & descendentium (§. 985.), consequenter perperam veri hæredes dicuntur in oppositione ad eos, quos defunctus sibi hæredes esse voluit (*not.* §. 999.). Immo rationes sufficientes nobis esse possunt, cur bona nostra post mortem nostram extraneis potius, quam cognatis collateralibus relinquere malimus, etiamsi solum jus internum spectemus, quod ex obligatione in conscientia oritur. Obligatio, quæ ex cognatione oritur, præsupponit æquale meritum eorum, quibus beneficium præstatur, & inter eos, quorum æquale meritum est, prælationem tribuit cognato collaterali, non vero simpliciter eundem ceteris præferri vult.

§. 1013.

Parentes exhæredari dicuntur, si ipsis expressa liberorum voluntate auferatur hæreditas. *Quid exhæredatio parentum sit.*

Nimirum quia parentes sunt perinde liberorum suorum hæredes naturales, sicuti liberi parentum suorum (§. 983.); eodem sensu a liberis exhæredari dicuntur, quo sensu liberos exhæredari dicimus a parentibus (§. 1000.).

§. 1014.

Si parentes scientes ac volentes ea faciunt, quæ ipsorum erga liberos officio e diametro repugnant; naturaliter liberi eos exhæredare possunt. Etenim si parentes scientes ac volentes ea faciunt, quæ ipsorum erga liberos officio e diametro repugnant; ipso facto declarant, quod personam parentum tueri nolint. Quoniam igitur eandem sua sponte exuunt, nec ipsis competere potest jus, quod ob eorum in liberos profecta beneficia natura iisdem tribuit. Quamobrem cum jus succedendi in bona liberorum post mortem suam ab iisdem relictorum ob beneficia ista illis tribuatur, prouti ex demonstratione superiori (§. 982.) abunde liquet; si liberi declarent, quod nolint eos in bona post mortem suam relicta succedere debere, consequenter eos exhæredent (§. 1013. 960.), injuriam iisdem minime faciunt (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodsi ergo parentes scientes ac volentes ea faciunt, quæ ipsorum erga liberos officio e diametro repugnant; liberi eos exhæredare possunt. *An naturaliter licita.*

Qui

BIU Cujas

Qui officia parentum erga liberos in superioribus demonstrata perpendit, facile intelliget, quænam sint facta, per quæ illa tolluntur, ita ut quis parentis personam exuisse dicendus sit. Ita si parentes insidias vitæ liberorum struant, si omnem eorum fortunam subvertere, aut famæ ipsorum nocere omnibus viribus conentur, si odio prosequantur, quod ad vitam scelestam sese seducere non patiantur; justa omnino de causa exhæredantur. Idem etiam recte fieri potest, si turpi vitæ dediti opes omnes, si quas habent, profundant, fratres autem vel sorores fuerint filio, quorum egestati subvenitur, bonis suis post mortem suam iis relictis.

§. 1015.

Quando testamentum parentum, & liberorum ex parte invalidum.

Si liberi, vel his deficientibus parentes prætereantur, nec justa de causa exhæredentur; testamentum non valet quoad hæredis institutionem. Etenim jus parentum & liberorum hæreditarium jus perfectum est (§. 985.), quod adeo ipsis citra injuriam (§. 859. *part.* 1. *Jur. nat.*) auferri nequit (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*), nisi justa de causa exhæredentur (§. 1000. 1014.). Quodsi ergo liberi, vel his deficientibus parentes (§. 982.) prætereantur, nec justa de causa exhæredentur, testamentum non valet quoad hæredis institutionem.

Quodsi nimirum liberi prætereantur, hæreditas ipsis adimitur & alii defertur in testamento. Si ergo justa causa non allegetur, ob quam hoc fieri possit; testamentum quatenus contra jus liberorum factum, cum naturaliter unicuique jus suum sit tribuendum (§. 922. *part.* 1. *Jur. nat.*), nec contra jus alterius quicquam faciendum (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), utique subsistere nequit. Et idem eodem modo intelligitur de parentibus præteritis, nec justam ob causam exhæredatis.

§. 1016.

Quinam necessario hæredes instituendi.

Quoniam testamentum non valet, si liberi, vel his deficientibus parentes prætereuntur, nec justa de causa exhæredantur (§. 1015.); *liberi in testamento a parentibus, aut parentes a liberis vel hæredes necessario instituendi, vel justa de causa exhæredandi.*

Æquitatem hanc naturalem sequitur *Justinianus*, prouti in vulgus notum.

§. 1017.

De posthumo.

Posthumus dicitur, qui post mortem demum patris nascitur. Quoniam liberi sunt hæredes sui parentum suorum (§. 979.); *posthumus* quoque *hæres suus patris sui est, immo etiam avi, ac aviæ, aut parentum cujuscunque gradus superioris.*

Nulla sane ratio est, cur posthumus ideo deterioris conditionis esse debeat liberis ceteris, quod a morte demum patris nascitur.

§. 1018.

De causa exhæredationis in testamento alleganda.

Si liberi, vel parentes exhæredantur, in testamento alleganda est exhæredationis causa. Etenim liberi ac parentes in testamento aut sunt hæredes instituendi, aut justam ob causam exhæredandi (§. 1016.), & nisi justam ob causam exhæredentur, testamentum invalidum quoad institutionem hæredis (§. 1015.). An igitur validum sit testamentum constare nequit, nisi cognita causa exhæredationis. Necesse igitur est, ut ea in testamento allegetur.

Causæ exhæredationis factæ sunt (§. 1000. 1014.): hæc igitur commemoranda, nec sufficit de moribus perversis exhæredati verbis generalibus conceptum judicium. Ita non sufficit dixisse, quod exhæredatus summo mœrore affecerit continuo exhæredantem; sed facta recenseri debent, quæ mœrori causam dederunt. Non sufficit dicere, quod filia sit meretrix, si stuprata forsan fuerit.

§. 1019.

BIU Cujas

§. 1019.

De causa exhæredationis probanda.

Si exhæredatus negat causam exhæredationis & immeritum odium obtendat; hæres institutus causam probare debet. Quoniam enim exhæredatio non valet, nisi ob justam causam, quæ scilicet exhæredatum indignum reddit, qui defuncto succedat (§. 1000. 1014.); exhæredatum ea commisisse, quæ ipsi imputantur, certum omnino esse debet. Quodsi ergo exhæredatus neget, se ea commisisse; probandum utique erit, quod commiserit. Quamobrem cum defunctus ipse probare non possit, hæres autem quoad bona a defuncto relicta personam ejus repræsentet (§. 958.), & ipsi ab exhæredato jus, quod ex testamento habere debet, controvertitur, negata causa exhæredationis, quod per se patet; si exhæredatus neget causam exhæredationis, & immeritum odium obtendat, hæres institutus causam probare debet.

Quoniam vel parentes exhæredant liberos (§. 1000.), vel liberi parentes (§. 1014.); non est quod excipias, non præsumendum esse istiusmodi odium, quo vel parentes adducantur ad imputandum liberis facta, quæ non commiserunt, vel etiam liberi impellantur ad ausum istiusmodi adversus parentes. Etenim ob præsumtionem nemini auferri potest jus suum, quod manifestum est. Immo fieri potest, ut sine dolo imputentur exhæredato, quæ minime commisit.

§. 1200.

De exhæredato ad hæreditatem admisso.

Si hæredes instituti exhæredatum ad hæreditatem admittere velint, eum admittere possunt; testamentum tamen quoad cetera manet validum. Etenim cum quilibet jus suum remittere possit, quando nil fit contra jus alterius cujusdam (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); hæredes quoque instituti jus, quod ex testamento habent, vel quantum sibi visum fuerit, de eo remittere possunt, quatenus tertii jus minime violatur. Quamobrem si hæredes instituti exhæredatum ad hæreditatem admittere velint, admittere quidem possunt; quoniam tamen legatariis jus suum auferre nequeunt (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*); testamentum quoad legata validum manet. Immo cum nulla ratio sit, cur exhæredatione sublata non valeant, si qua præterea in testamento voluit defunctus, ab illa minime dependentia; quoad hæc quoque testamentum validum manet.

Hæres voluntatem defuncti immutare nequit: sed cum hæreditatem repudiare possit (§. 973.), immo susceptam abdicare (§. 974.), multo magis de acquisita pro arbitrio suo disponere potest, eam exhæredato vel cedendo, vel certam ejus partem in eum conferendo. Hoc nimirum facit jure suo. Quoad cetera vero in testamento nihil immutare potest, cum ad mutationem ipsi sit jus nullum. Quando itaque hæres institutus exhæredatum in locum sui, vel in partem hæreditatis admittit; stricte loquendo, nihil in testamento immutatur, sed totum illud subsistit, & quoad id, quod ex eodem requisivit hæres ac suum factum est, instar domini saltem disponit.

§. 1021.

Quid sit successio ab intestato.

Ab intestato succedere dicitur, qui in bona defuncti succedit testamento nullo facto, vel a defuncto in testamento non institutus hæres.

Posterius in Jure naturæ addendum, prouti ex iis patet, quæ mox sequentur. In Jure Romano tamen vix locum habet, juxta quod nemo nisi miles pro parte testatus & pro parte intestatus decedere potest.

§. 1022.

De præteritione posthumi.

Si posthumus, vel unus ex liberis ceteris fuerit præteritus; ad hæreditatem una cum ceteris admittendus, & testamentum quoad cetera subsistit, etiam quoad legata, nisi ideo

BIU Cujas

humi vel liberorum aliorum.

ideo relicta intelligantur, quia hæredum numerum minorem putavit defunctus, seu quia posthumus, vel alius quis præteritus. Etenim posthumus non minus est hæres suus, quam ceteri liberi (§. 1017.), consequenter hæres naturalis (*not.* 983.), quem ipsa natura hæredem instituit (§. 983.). Quamobrem etsi in testamento fuerit præteritus, una cum ceteris tamen ad hæreditatem admittendus. *Quod erat primum.*

Quoniam liberi nonnisi justam ob causam exhæredari possunt (§. 1000.), &, si exhæredentur, causa exhæredationis in testamento alleganda (§. 1018.), quando vero saltem prætereuntur, in testamento nulla eorum mentio fit, consequenter ex silentio testatoris colligi nequeat exhæredatio; si prætereuntur, jus suum, quod tanquam hæredes naturales habent (§. 983.), per hoc ipsis non adimitur. Quamobrem una cum ceteris liberis ad hæreditatem admittendi. *Quod erat secundum.*

Enimvero etsi testamentum sit invalidum quoad institutionem hæredum (§. 1015.), quatenus scilicet defuncto non soli succedunt, qui hæredes instituti sunt, consequenter nec in ea parte, in qua instituti, sed præterea admittuntur etiam qui præteriti sunt liberi, *per demonstrata n.* 1. *&* 2. nulla tamen ratio est, cur voluntas testatoris non subsistere debeat quoad ea, quæ in ipsa hæreditate nullam vim habent, qualis v. gr. est tutelæ datio. Quamobrem testamentum quoad hæc subsistere debet in hypothesi propositionis præsentis. *Quod erat tertium.*

Denique cum parentes in testamento etiam legata relinquere possint, modo id non fiat in præjudicium liberorum (§. 1005.); si admisso ad hæreditatem posthumo, vel alio ex liberis præterito legata tamen in præjudicium liberorum facta non dici possint, quin etiam quoad legata testamentum subsistere debeat dubitandum non est. Quodsi ergo satis appareat, testatorem non ideo legata reliquisse, quia posthumo, vel alio ex liberis præterito numerum hæredum, inter quos hæreditas dividenda, minorem putavit; testamentum etiam quoad legata subsistit. *Quod erat quartum.*

Jure naturali valet voluntas ultima defuncti, quantum valere potest. Valere autem potest, quatenus non est contra jus alicujus, veluti contra jus hæredum naturalium. Quamdiu itaque in testamento nihil occurrit, quod juri liberorum hæreditario adversatur; nihil quoque in eodem immutandum, nec a voluntate testatoris recedendum.

§. 1023.

De parentibus & liberis omnibus præteritis.

Si parentes, vel filius, quem quis habet, unicus, aut liberi omnes, quos quis habet, prætereantur, nec justam ob causam exhæredentur, præteriti ad hæreditatem sunt admittendi, & hæres institutus repellendus, quoad cetera vero testamentum subsistit, etiam quoad legata, nisi in præjudicium parentum, vel liberorum præteritorum fuerint relicta. Etenim in hypothesi propositionis præsentis testamentum invalidum est quoad hæredis institutionem (§. 1015.), & præteritos ad hæreditatem esse admittendos patet eodem modo, quo idem ostendimus in propositione præcedente de liberis quibusdam præteritis. *Quod erat primum.*

Enimvero quoniam hæreditas, quæ debetur parentibus (§. 982.) ac liberis (§. 975. 978.), in testamento alii, vel aliis defertur *per hypoth.*; illis admissis, *per demonstrata n.* 1. hi utique repellendi sunt. *Quod erat secundum.*

Quod vero testamentum subsistere debeat quoad cetera, quæ in eodem continentur, etiam quoad legata, nisi in præjudicium parentum, vel liberorum præteritorum fuerint facta; eodem modo patet, quo idem in propositione præcedente demonstravimus.

Cum istiusmodi testamentum invalidum sit quoad hæredis institutionem (§. 1015.); facile patet, ea non subsistere, quæ ad eandem quomodocunque pertinent, nec ad eos, qui præteriti fuerunt, trahenda esse, quæ hæredes institutos attinent. Illi enim quando ad hæreditatem admittuntur, suo jure ab intestato succedunt, non vero in locum hæredis instituti subeunt, ac suo jure eundem repellunt. Nulla igitur ratio est, cur ea, quæ voluit testator quoad hæredes a se institutos, transferantur ad eos, qui ab intestato succedunt.

§. 1024.

BIU Cujas

§. 1024.

Si legata relicta fuerint in præjudicium liberorum vel parentum; naturaliter non valent, nisi quatenus absque eorum præjudicio subsistere possunt. Naturaliter enim parentibus (§. 1005.) ac liberis non competit jus legandi, nisi quatenus legata non relinquuntur in præjudicium liberorum, vel parentum (§. 1008.), hoc est, nisi parentes, vel liberi habeant patrimonium amplum, vel parentibus adsint, quæ vitæ necessitati, commoditati ac jucunditati sufficiunt (§. *cit.*). Quamobrem si bonis a parentibus relictis maxime indigeant liberi, naturaliter legata plura & majora relicta, quam pro modo facultatum defuncti ac liberorum, aut parentum, non valent, nisi quatenus imminuntur. Non itaque valent legata in præjudicium liberorum relicta, nisi quatenus absque eorum præjudicio subsistere possunt. *De legatis in præjudicium liberorum relictis.*

Quando legata relinquantur in præjudicium liberorum, vel parentum, ex demonstratione liquet. Æstimanda nimirum sunt ex relinquentis & hæredum naturalium facultatibus. Vide, quæ supra annotavimus (*not.* §. 1005.). Hinc ortum traxit *Legitima* liberorum atque parentum, quæ est portio hæreditatis liberis ac parentibus lege positiva debita: sit ita quod legitima civilis non semper juri naturali conveniat. Posset quoque in significatu Juri naturæ conveniente dici *Legitima* portio hæreditatis liberis atque parentibus jure naturali debita, cujus quantitas hoc jure non eadem est, seu non eandem ad totam hæreditatem in omni casu rationem habet, utpote ex circumstantiis particularibus determinanda per ea, quæ diximus. Immo subinde naturaliter legitima totam hæreditatem absorbet, vi præsentis.

§. 1025.

Si nulli fuerint ascendentes, vel descendentes in vivis, testator hæredem ex collateralibus instituere potest, quemcunque voluerit, immo etiam præteritis collateralibus omnibus extraneum quemcunque. Quodsi enim desint ascendentes, vel descendentes, hoc est, parentes, vel liberi (§. 574. 575.), cum cognati collaterales non habeant jus perfectum in bona post mortem nostram succedendi (§. 1012.), quale est parentum ac liberorum (§. 985.), nemo est, qui necessario sit instituendus, aut ob justam causam exhæredandus (§. 1016.). Quamobrem cum vi dominii unusquisque de rebus suis disponere possit, quemadmodum voluerit (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*) & dominium earum transferre in eum, quem voluerit (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*), & qua lege visum fuerit (§. 11. *part.* 3 *Jur. nat.*), quamdiu scilicet nil committitur, quod est contra jus alterius cujusdam (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*); si nulli fuerint ascendentes, vel descendentes in vivis, testator hæredem ex collateralibus instituere potest, quemcunque voluerit, immo etiam collateralibus omnibus præteritis extraneum quemcunque. *De libertate testandi si desint cognati in linea recta.*

Libertas nimirum testandi prorsus irrestricta est, si nemo fuerit, cui jus perfectum ad hæreditatem competit. Testamentum equidem iniquum esse potest, quatenus non satis convenit officiis; non tamen propterea injustum est, cum non sit contra jus perfectum ejus, quem officia commendabant (§. 239. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 1026.

Naturaliter testamentum validum est quoad modum testandi, si quocunque modo constet hanc esse voluntatem defuncti. Quoniam enim testamentum non est nisi declaratio expressa voluntatis defuncti de translatione dominii rerum suarum post mortem relictarum ea lege facta, ut nonnisi post mortem suam acceptatio fieri possit, atque de eo, quod præterea post mortem suam fieri vult testator (§. 994.); ut valeat testamentum, alia re non opus est, quam ut constet, hanc re vera esse voluntatem defuncti. Quodsi ergo quocunque modo de eo certi simus, quoad modum testandi naturaliter validum testamentum. *Quænam naturaliter ad modum testandi requirantur.*

BIU Cujas

Naturaliter ad testamentum faciendum non aliud requiritur, quam ut testator voluntatem suam expresse declaret. Quodsi ergo certo constet, testatorem hoc modo declarasse voluntatem suam; in modo testandi nihil desideratur, consequenter quoad eum testamentum habet omnia requisita, quæ naturaliter habere debet. Erit igitur quoad modum testandi validum, hoc est, pro nullo declarari nequit. Non vero hic quæritur de eo, an testamento quædam insint, quæ non valent; sed an pro ultima voluntate defuncti haberi debeat. Solennitates, quas requirit jus Romanum, etsi apud Romanos suas habuerint rationes, nulla tamen ratione naturali nituntur, nec nostro statui conveniunt. Merito igitur abrogandæ essent, cum contra voluntatem defuncti hæreditas deferatur ei, quem in bona sua succedere is noluerat, quando ob defectum solennitatum illarum testamentum pro nullo declaratur.

§. 1027.

Modus testandi naturaliter quotuplex.

Quoniam naturaliter validum testamentum quoad modum testandi est, si quocunque modo constet hanc esse voluntatem defuncti (§. 1026.), de eo vero certo constare nobis nequit, nisi aut voluntatem suam coram testibus declaret testator (§. 1014. *part.* 5. *Jur. nat.*), non vero soli hæredi, cum nemo testis esse possit in propria causa, ex qua nempe commodum quoddam sperat, (§. 1048. *part.* 5. *Jur. nat.*), aut eandem in scripturam redigat, aut ab alio redactam propria manu subscribat, quod per se patet; *naturaliter ad testamenti factionem non requiritur, quam ut testator voluntatem suam declaret vel coram testibus, vel in scripturam redigat, aut ab alio in scripturam redactam subscribat.*

Patet itaque duplicem esse modum testandi naturalem, cum non aliter voluntatem nostram declarare possimus, ut de ea post mortem nostram certo constet, nisi vel per testes, vel per scripturam.

§. 1028.

Testamentum nuncupativum & scriptum quodnam sit.

Testamentum nuncupativum dicitur, quando testator voluntatem suam declarat coram testibus, sive hæres ipse præsens fuerit, sive absens. *Testamentum* vero *scriptum* vocatur, quando testator voluntatem suam in scripturam redactam relinquit.

Si testator velit, ut testamentum scriptum subscribant testes quidam, inter quos etiam esse potest hæres institutus; hoc non novam facit speciem, cum testes non adhibeantur alio fine, quam ut certius constet, scripturam istam non esse supposititiam (§. 1014. *part.* 5. *Jur. nat.*), sicuti ex adverso testamentum nuncupativum tale esse non desinit, si memoriæ causa testes voluntatem testatoris sibi declaratam in scripturam redigant & singuli eandem subscribant. Quod statui civili conveniat, ne dubia maneat voluntas a testatore declarata, ex iis patebit, quæ suo loco demonstraturi sumus.

§. 1029.

An subscribentibus tenor testamenti notus esse debeat.

Si testamentum scriptum a testibus, vel ipso etiam hærede subscribitur; opus non est, ut ejus tenor notus sit subscribentibus. Quoniam enim acceptatio ab hærede post mortem demum testatoris fieri potest (§. 994.), non opus est, ut voluntas testatoris hæredi innotescat ante mortem illius. Et cum testes testamentum non alio fine subscribant, quam ut per eos probari possit, scripturam hanc continere ultimam testatoris voluntatem (§. 1014. *part.* 5. *Jur. nat.*); nulla quoque necessitas exigit, ut qualis ea sit subscribentibus patefiat. Quamobrem si testamentum scriptum a testibus subscribitur, vel ipso etiam hærede, opus non est, ut ejus tenor notus sit subscribentibus.

Testamentum scriptum ideo præfertur nuncupativo, ne de ultima voluntate nostra cuiquam constet ante mortem nostram. Quamobrem ipse etiam hæres subscribit non qua hæres, sed qua testis.

§. 1030.

BIU Cujas

§. 1030.

Quid non præſumendum de eo, qui inteſtatus decedit.

Qui inteſtatus decedit, non præſumitur voluiſſe, ut bona poſt mortem ſuam relicta ſint res nullius. Quoniam enim naturaliter teſtamentum facere licet (§. 999.), conſequenter declarare, in quemnam dominium rerum poſt mortem noſtram relictarum translatum eſſe debeat (§. 994.), non uno autem caſu contingere poſſit, ut quis eandem non declaret, conſequenter inteſtatus decedat (§. 996.); ex eo, quod quis inteſtatus decedit, colligi minime poteſt, quod voluerit, ut bona poſt mortem ſuam relicta fiant res nullius. Quamobrem qui inteſtatus decedit, non præſumitur voluiſſe, ut bona poſt mortem ſuam relicta ſint res nullius (§. 244. *part.* 2. *Jur. nat.*).

Præſumtio hæc naturæ humanæ adeo convenit, ut veritati æquiparari poſſit. Non enim puto facile repertum iri aliquem, cui perinde ſit, quinam poſt mortem ſuam res a ſe relictas habeat, & non velit eas haberi ab eo, quem maxime amat, aut cui non ſint rationes, cur hujus potius eas velit, quam alterius. Quando homo moritur, cum nulla re poſt mortem amplius indigeat; maxime opportuna naſcitur beneficiendi occaſio. Quamobrem cum ad beneficia aliis præſtanda naturaliter obligemur, quantum in poteſtate eſt (§. 23. *part.* 4. *Jur. nat.*); officio quoque noſtro convenit, ut res poſt mortem noſtram relinquendas demus aliis, quos beneficio noſtro dignos exiſtimamus, ut ideo nobis non perinde eſſe debeat, quinam eas acquirat.

§. 1031.

Fundamentum ſucceſſionis ab inteſtato.

Quoniam qui inteſtatus decedit, non præſumitur voluiſſe, ut bona poſt mortem ſuam relicta ſint res nullius (§. 1030.), voluntatem ſuam expreſſe non ſignificavit (§. 996. 994.); *cujuſnam eſſe voluerit bona poſt mortem relicta, præſumendum eſt*, conſequenter cum is nullo teſtamento facto in eadem ſuccedat (§. 996.), *ſucceſſio ab inteſtato nititur præſumta defuncti voluntate*, ſeu *qui ab inteſtato hæres eſt, ex præſumta defuncti voluntate ſuccedit* (§. 1021.), *niſi hæreditas ſit ipſi debita, ſeu is jure ſuo ſuccedat*, quo in caſu non opus eſt præſumtione.

Vidimus in anterioribus, dari hæredes naturales, quos ipſa natura inſtituit (§. 983.), & quibus hæreditas auferri nequit niſi tanquam indignis ob juſtam cauſam (§. 1016.).

§. 1032.

Quid proprie ſit ſucceſſio ab inteſtato.

Succeſſio ab inteſtato eſt ex teſtamento veluti tacito ſucceſſio. Etenim quando ab inteſtato ſucceditur, ex præſumta voluntate defuncti ſucceditur (§. 1031.), conſequenter cum probabiliter ſaltem colligatur, quem in bona ſua ſuccedere voluerit defunctus (§. 245. *part.* 2. *Jur. nat.*), ſucceſſio ab inteſtato eſt quaſi tacita declaratio voluntatis defuncti de translatione dominii rerum poſt mortem ſuam relictarum. Quamobrem cum expreſſa de hac translatione voluntatis declaratio teſtamentum ſit (§. 994.); ſucceſſio ab inteſtato ex teſtamento veluti tacito ſucceſſio eſt.

Hanc propoſitionem ideo addimus, ut tanto manifeſtior ſit differentia ſucceſſionis ab inteſtato a ſucceſſione ex teſtamento. Si enim teſtamenta naturaliter non liceret facere; nec naturaliter ab inteſtato ſuccedere quis poſſet. Hinc *Feldenus* cum negaret teſtamenta eſſe juris naturalis, recte quoque negavit ſucceſſionem ab inteſtato eſſe *hujus* juris. Qui vero negant prius, aſt poſterius concedunt, non ſatis ſibi conſentiunt, cum præſumtæ voluntati plus tribuant, quam expreſſæ. Non eſt quod excipias, ſucceſſionem ab inteſtato omnem æquiparari poſſe ſucceſſioni liberorum atque parentum, ita ut omnes, qui ab inteſtato ſuccedere poſſint, ab ipſa natura inſtituantur hæredes & per conſequens collaterales jure pares ſint liberis atque parentibus: reclamant enim ea, quæ in antecedentibus demonſtrata ſunt. Non ita ſibi invicem obligantur collaterales, quemadmodum parentes & liberi: ex obligatione tamen derivatur jus ſuccedendi, quod ſine juſta cauſa adimi nequit, nec aliunde id naſci poteſt (§. 23. *p.* 1. *Jur. nat.*). Ceterum ſi liberi ab inteſtato ſuccedant, non modo ſuo jure ſuccedunt, verum etiam ex teſta-

BIU Cujas

mento tacito succedere dici possunt, quatenus defunctus, qui legata relinquere poterat (§. 1005.), quando intestatus decedit, voluisse præsumitur, ut sine ullo onere in bona sua succedant. Quidni etiam tacite significasse præsumitur, sibi nullam esse causam, cur quendam ex liberis exhæredare velit, vel etiam uni quiddam prælegare?

§. 1033.

De successione ab intestato in linea recta.

Si quis intestatus decedit, ei succedunt liberi, vel his deficientibus parentes, ita ut in liberis attendatur jus repræsentationis, in parentibus autem proximitas gradus. Etenim si quis intestatus decedit de successione in bona sua nihil expresse disposuit (§. 996.). Quamobrem cum in linea recta natura deferat hæreditatem descendentibus, observato jure repræsentationis, his autem deficientibus parentibus secundum gradus (§. 984.), & jus hæreditarium parentum & liberorum perfectum est (§. 985.), quod ipsis invitis adimi nequit (§. 986.); si quis intestatus decedit, succedunt liberi, observato jure repræsentationis, his autem deficientibus parentes secundum gradus.

Satis manifesta hæc sunt ex antecedentibus, ita ut propositio præsens prorsus omitti potuisset, nisi consultum visum fuisset, ut ordo succedendi ab intestato uni quasi conspectui exhiberetur.

§. 1034.

De successione collateralium ab intestato.

Deficiente hærede in linea recta, ab intestato succedunt qui sunt in familia patris vel matris secundum gradus familiæ, & his deficientibus similiter, qui sunt in familia avi, vel aviæ, ac ita porro, ut non fiat transitus de familia in familiam, nimirum de arctiori in diffusiorem, nisi ubi in illa nulla extet persona, ubivis nulla habita sexus differentia. Etenim si in linea recta deficit hæres, nemo est cui hæreditas sit debita (§. 575. 985.), consequenter qui ab intestato succedunt nonnisi ex præsumta defuncti voluntate succedunt (§. 1031.). Quamobrem cum collateralibus qua talibus non aliter speciali ratione obligemur ad præstanda officia humanitatis, consequenter etiam ad augenda ipsorum bona fortunæ (§. 612. *part.* 1. *Jur. nat.*), quam quatenus in ipsis beneficium redditur parentibus communibus primi, vel ulterioris gradus (§. 1009.), & naturaliter officium aliquod humanitatis potius cognato collaterali, quam extraneo præstare velle præsumamur (§. 1010.); deficientibus hæredibus in linea recta ex præsumta voluntate, adeoque ab intestato (§. 1031.), succedunt collaterales, qui communem quendam parentem habent, seu propiore gradu eundem attingunt. Is igitur omnino observandus ordo est, quem exigit arctius cognationis vinculum, ut scilicet qui sunt in familia parentis defuncti propioris excludant familiam remotioris & in eadem familia, qui parenti huic tanquam stipiti propiores sunt, excludant remotiores. Atque hoc modo patet, ex collateralibus primum admittendos esse eos, qui sunt in familia parentum primi gradus, seu patris, vel matris secundum gradum, quo eidem cognati sunt, deinde similiter illis deficientibus, qui sunt in familia parentum secundi gradus, veluti avi, vel aviæ, ac ita porro secundum distinctionem familiarum & gradus in iisdem. *Quod erat unum.*

Quoniam vero tam mares, quam fœminæ in qualibet familia & quolibet ejus gradu eodem cognationis vinculo nobis junguntur, prouti satis superque apparet ex iis, quæ de cognationibus prolixe demonstrata sunt, consequenter eadem in utroque sexu adest successionis ratio, *per demonstrata*; nulla quoque in successione habenda est sexus ratio (§. 118. *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Nulla in re magis variant leges positivæ, quam in successione ab intestato. Quodsi vero in ea ratio naturalis attendenda, ut præsumatur id, quod officiis maxime congruit; is omnino successionis ordo admittendus, quem in propositione præsente definivimus. Et hoc pacto omnia sunt plana & expedita, juri etiam cognationis apprime consentanea. Et naturalis ille modus computandi gradus consanguinitatis, quem sequitur jus canonicum, & quo nos utimur in matrimonialibus & criminalibus, inservit quoque successioni collateralium determinandæ, modo is rite

BIU Cujas

rite intelligatur, nec absurditates fingantur, ubi nullæ sunt, prouti suo loco jam ostendimus. Quamvis itaque JCti Romani aliam introduxerint graduum computationem pro deferenda hæreditate ab intestato, quam etiam nos sequimur, ex demonstratione tamen propositionis præsentis patet, nos eadem non habere opus: immo si curatius eam expendas, deprehendes ex ea potius difficultates subinde nasci, quas naturalis ille modus gradus consanguinitatis computandi arcet, veluti an patruus, vel avunculus una cum patruelibus succedere debeat, quorum illi sunt in familia avi, vel aviæ, hi in familia patris, vel matris. Naturalis quædam inclinatio seu propensio in eos, qui nobiscum sunt in eadem familia, observatur, modo non ex accidente a causa quadam extrinseca supprimatur, & ea major est, prouti caput familiæ, seu stipes in linea recta minori intervallo a nobis distat. Et huic respondet officium de reddendis beneficiis parentibus in liberis suis. Vi illius voluimus, ut familia, ex qua ortum trahimus, sit quam ornatissima, ac eo nomine homines sibi gratulantur: immo idem in laudem vulgo vertitur, ac inter bona fortunæ connumeratur. Unio illa naturalis, quæ familiam efficit, in causa est, ut, si qua præclare facta sunt ab iis, qui nobiscum in eadem familia sunt, ea etiam ad nos quodammodo pertinere existimemus, & ex adverso nobis quoque ignominiæ ducamus, quæ ipsis ignominiam pariunt. Quodsi homines omnes ratione duce uterentur, ut initinctum naturæ sequerentur, non aliter n bona post mortem suam relicta succedi vellent, quam fert propositio præsens, nisi quatenus pro modo facultatum suarum quædam legarent iis, qui beneficium merentur, nec in testamento præterirent collateralem, vel omnes, nisi quatenus factis suis sese beneficio indignos reddidissent, & vinculum cognationis quasi dissolvissent. Et hæc omnino probe expendenda sunt ei, qui in testamento alium instituere vult hæredem, quam quem successio ab intestato designat, qualem hic demonstramus, ne quid in rectitudine naturali testamenti desideretur.

§. 1035.

Si quis intestatus decedit, nec adsit, qui ab intestato succedere possit, in statu naturali hæreditas fit occupantis. Qui enim intestatus decedit, voluntate expressa dominium rerum post mortem suam relictarum non transfert in alium (§. 994. 996.). Et si nullus adsit, qui ab intestato succedere possit, nec idem in alium transfertur voluntate præsumta defuncti (§. 1031.). Quamobrem cum dominium amittatur, quamprimum quis moritur (§. 700. *part. 6. Jur. nat.*), in hypothesi præsenti statim res relictæ post mortem dominio vacuæ sunt, seu ἀδέσποτα (§. 313. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam itaque harum rerum dominium occupando acquiritur (§. 315. *part. 2. Jur. nat.*); si quis intestatus decedat, nec ipsi sit ab intestato hæres, in statu naturali hæreditas fit occupantis (§. 960.). *Si hæres ab intestato deficiat, cujusnam sit hæreditas.*

Civile est, quod in statu civili fisco adjudicetur hæreditas in hypothesi propositionis præsentis. Ceterum non est, quod excipias, non præsumendum esse, ut, qui intestatus decedit, voluerit, bona post mortem suam relicta fieri res nullius (§. 1030.), consequenter præsumendum esse, quod voluerit, ea esse amici, cujus familiaritate maxime delectatus. Cum enim, ut bene observat *Puffendorfius* de J. N. & G. lib. 4. c. 11. §. 15. amicitia inter extraneos, hoc est, eos, qui in familia non sunt, mutua fere benevolentiæ significatione, consiliorum communicatione & quotidianis vitæ officiis absolvatur, ea ad præsumtionem voluntatis de translatione dominii rerum post mortem suam relictarum minime sufficit. Quamvis præsumta voluntas defuncti sufficiat ad deferendam hæreditatem cognatis collateralibus, quia unusquisque ad conservationem familiæ conferre debet, quantum potest, absque neglectu sui, cum præsumatur id voluisse, quod officio convenit; non tamen peculiare quoddam officium est, ob quod idem præsumi possit in gratiam extranei, quo amico utimur, sicuti ne legata quidem præsumuntur, sed expressam voluntatem requirunt.

§. 1036.

Hæres instituitur potest vel pure, vel sub conditione, vel in diem, vel sub onere quodam. In hæredem enim transfertur dominium rerum a testatore post mortem suam relictarum (§. 958.). Quamobrem cum a domini voluntate unice dependeat, quomodo dominium in alium transferre velit (§. 11. *part. 3. Jur. nat.*); hæredem is quoque vel pure, vel sub conditione, vel in diem, vel sub onere quodam instituere potest. *Quotuplici modo hæres instituipossit.*

Fa-

BIU Cujas

Facile patet, nobis hic inprimis sermonem esse de hæredibus voluntariis, cum in naturalibus non per omnia libera sit testatoris voluntas, prouti ex anterioribus patet. Quoniam vero institutio hæredis voluntarii prorsus arbitraria est, ita ut eum citra injuriam etiam non instituere possit; ideo quoque meri arbitrii est, quomodo eum instituere velit. Convenit hæredis institutio cum promissione liberali, ac ideo quæ de diverso promittendi modo demonstravimus in parte tertia; ad hæredis quoque institutionem facile applicantur.

§. 1037.

De jure institutionis puræ.

Si hæres pure instituitur, acceptatione sua dominium in bonis defuncti statim acquirit. Etenim cum ad translationem dominii requiratur sufficiens declaratio domini & acceptatio ejus, in quem is dominium transferre vult (§. 13. *part.* 3. *Jur. nat.*), testamento autem conditio & morte testatoris confirmato actus transferentis perfectus sit (§. 994. 998.); ut dominii translatio perficiatur, nihil amplius exigitur, quam ut acceptatio hæredis instituti accedat. Quodsi ergo pure institutus fuerit, acceptatione sua dominium in bonis defuncti acquirit.

Nihil nimirum adest, quod facta acceptatione actualem dominii translationem suspendat, vel differat, quemadmodum ea suspenditur per conditionem, aut differtur per diem adjectum, certum scilicet, cum incertus conditionis loco sit. Quodsi enim testator dixerit: Tu mihi hæres esto, quando duodecimum ætatis annum attigeris; perinde est, ac si dixisset; Hæres mihi esto, si duodecimum ætatis annum attigeris. Quodsi ergo ante annum duodecimum moriaris, non eris hæres.

§. 1038.

De institutione conditionata.

Si hæres sub conditione fuerit institutus, naturaliter pendente conditione bonis a defuncto relictis utitur fruitur hæres ab intestato & ea non existente, vel potestativa non adimpleta hæreditatem acquirit. Quodsi enim hæres sub conditione fuerit institutus, nonnisi conditione existente dominium in rebus post mortem a testatore relictis acquirere valet, & ea non existente, hæres non fit, consequenter perinde est, ac si hæres nullus fuisset institutus, immo quamdiu pendet conditio, perinde est ac si toto isto tempore nullus existeret hæres institutus. Quamobrem cum ab intestato succedatur, si nullus sit ex testamento hæres (§. 1021.), nec pendente conditione, sub qua hæredem instituit testator, is voluisse intelligitur, ut interea nemo rebus suis utatur fruatur; ideo conditione non existente, vel potestativa non adimpleta hæreditatem acquirit, qui ab intestato hæres est, ac idem pendente conditione habet usumfructum bonorum a defuncto relictorum.

Qui præterito hærede ab intestato alium instituit sub conditione sive casuali, sive potestativa, nonnisi sub hac conditione hæreditatem adimere voluit ei, qui alias ab intestato succederet. Quare perinde est, ac si dixisset: tu mihi esto hæres, si Titius hæres non fuerit, & tamdiu eris hæres, quamdiu is non extiterit, consequenter tamdiu usumfructum bonorum a se relictorum eidem contulisse intelligitur.

§. 1039.

De hærede in diem certum instituto.

Si hæres institutus in diem certum, seu certo venturum, testator interea, donec dies venerit, ejus, qui ab intestato fuisset hæres, usumfructum rerum suarum post mortem relictarum esse voluit. Etenim si hæres in diem certo venturum institutus, testator omnino voluit, ut is in bona post mortem suam relicta succedat, non alius, noluit tamen, ut, antequam dies iste venerit, iisdem utatur fruatur. Quoniam itaque ratio aliqua adesse debet, cur noluerit (§. 889. *Psych. empir.*); necesse est ut voluerit interea temporis, donec dies veniat, alium illis utifrui. Quia vero neminem expresse nominavit, non alium intellexisse præsumitur, quam qui ex præsumta voluntate in eadem successisset, consequenter hæredem ab intestato (§. 1031.). Quamobrem si hæres-

BIU Cujas

res instituatur in diem certum, seu certo venturum, testator interea, donec dies venerit, ejus, qui ab intestato fuisset hæres, usumfructum rerum suarum esse voluit.

Absurdum omnino foret adjicere diem certum, a quo quis esse debeat hæres, veluti decimum a morte sua annum, & tamen velle eum statim rebus a se relictis uti frui debere tanquam suis, aut usumfructum earum interea temporis esse nullius. Quamobrem cum nemo præsumatur velle absurda, ita omnino interpretatio fieri debet, ut absurditas evitetur. Ut vero clarius appareat, interpretationem ita factam, prouti eam fecimus, non esse absurdam; statim subjungere lubet propositionem sequentem.

§. 1040.

De rebus, quæ legari possunt.

Legari possunt res omnes tam corporales, quam incorporales, etiam ususfructus omnium bonorum post mortem suam relictarum in certum diem, per modum termini ad quem adjectum. Etenim legata donationes sunt (§. 1003.). Quamobrem cum a domini unice voluntate pendeat, utrum alicui quid donare velit, an nolit, & qua lege donare velit (§. 130. *part.* 4. *Jur. nat.*); res omnes, tam corporales, quam incorporales, & ususfructus etiam ita legari possunt, ut per certum temporis intervallum, veluti decem annos, aut per dies vitæ rebus omnibus post mortem relictis utatur fruatur legatarius.

Quod igitur expressa voluntate fieri potest, idem etiam fieri potest tacita, si illa hanc satis perspicue contineat. Unde patet, absurdum non esse, ut ususfructus pendente conditione, si hæres fuerit sub conditione institutus, vel donec dies venerit, si is demum certo temporis spatio elapso res post mortem relictas habere debeat, tacita voluntate intelligatur relictus hæredi ab intestato (§. 1038. 1039.). Consultius tamen videtur, ut testator expresse dicat, quinam interea, donec conditio extiterit, vel dies certo venturus venerit, rebus post mortem suam relictis uti frui debeat.

§. 1041.

De hærede sub conditione negativa instituta.

Si hæres sub conditione negativa instituitur, hæreditatem restituere tenetur hæredi ab intestato, si contra agat, vel si contrarium eveniat. Etenim si sub conditione negativa instituitur hæres, hæreditas ejus esse nequit, quando conditio negativa existit. Quamobrem cum conditio negativa non existat, si hæres institutus contra agat, vel si contrarium eveniat (§. 490. *part.* 3. *Jur. nat.*); si ille contra agat, vel id eveniat, hæreditas ejus esse nequit, consequenter eandem restituere tenetur. Quoniam vero, quando hæres institutus hæres non est, perinde est, ac si testamentum non esset factum (§. 994.), consequenter ab intestato succeditur (§. 1021.); si hæres sub conditione negativa instituitur, hæreditatem tenetur hæredi ab intestato, si contra agat, vel si contratium eveniat.

Ex. gr. Si Titius te hæredem instituit sub conditione, si Medicinæ te non mancipaveris, vel si patruus tuus hæredem te non instituerit, vel si uxorem divitem non duxeris; tu hæreditatem equidem statim adire potes, sub hac scilicet promissione, quod Medicinæ operam navare nolis, vel uxorem divitem non ducere velis, immo cum tibi prospicere voluisse intelligatur testator, quamdiu incertum est, utrum patruus tuus te sit hæredem instituturus, nec ne, & utrum sis supervicturus, nec ne, immo si instituat, num hæreditatem patrui vel adire, vel repudiare libuerit, prouti consultius visum illius, vel hujus esse hæredem, ab hæreditate pendente ista conditione repelli nequis. Quodsi tamen mutata voluntate studium medicum amplexus fueris, vel uxorem divitem duxeris, aut si contingat patruum tuum te hæredem instituere & te hæreditatem adire, hæreditatem restituere debes. Ea nimirum mens testatoris fuit, ut ipsi sis hæres, sed ut hæreditatem restituas, si hoc feceris, vel si patruus tuus te hæredem instituerit. Conditio negativa in tempus futurum collata, qualis hic intelligitur, sive potestativa fuerit, sive casualis statim quasi existit, sed illa existere desinit, seu non existere intelligitur, quando contra agis, hæc vero, quando evenit, quod eventurum non esse supponebatur. Ceterum naturaliter nil obstat, quo minus etiam valeat conditio negativa, si non nupserit, vel si in viduitate permanserit. Testator enim non sine ratione honesta ea adjicere potuit, quoniam prospicere

BIU Cujas

cere voluit perſonæ, quam hæredem ſub iſta conditione inſtituit, ſi non nubat, vel quamdiu in viduitate perſiſtat. Ceterum me vel tacente patet, quæ de hæreditate dicta ſunt, ea etiam intelligenda eſſe de legatis, cum utrobique dominium rerum in alium gratis transferatur, quas transferens poſt mortem ſuam relinquit.

§. 1042.

Quomodo legata acquirantur. *Si legatum pure relinquitur, vel in diem certo adventurum, vel ſub modo, legatarius acceptatione ſua dominium ſtatim acquirit in re legata, niſi tamen modum adimplevit, eam reſtituere tenetur hæredi: quodſi vero ſub conditione relictum fuerit, acceptatione ſua acquirit ſpem dominium acquiſitum iri.* Etenim ad translationem dominii & juris cujuſcunque actualem requiritur declaratio voluntatis transferentis & acceptatio ejus, in quem illud transfertur (§. 13. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quando legatum relinquitur, actus translationis juris in re legata ex parte transferentis perfectus eſt, quamprimum legans moritur (§. 998. 1003.). Quamprimum itaque legatarius legatum acceptat, jus in re legata acquirit, quale in eum transferre voluit legans, ſive teſtator. Quando legatum pure relinquitur, teſtator utique voluit, ut ſtatim a morte ſua dominium in re legata acquirat, quod per ſe patet. Quamobrem legatarius in re pure legata dominium ſtatim acquirit acceptatione ſua. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi legatum relinquatur in diem certo adventurum, veluti ut ei tradatur ab hærede quinque a morte teſtatoris annis elapſis; hic voluiſſe intelligitur, ut præterea hæres re legata utatur fruatur, & per conſequens cum noluerit hunc eſſe dominum, dominium ſtatim tranſire debere in legatarium. Quamobrem legatarius acceptatione ſua ſtatim acquirit dominium in re legata. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam modus promiſſioni adjectus nec promiſſionis adimpletionem differt, nec promiſſi exactionem ex parte promiſſarii (§. 560. *part.* 3. *Jur. nat.*): ſi legatum ſub modo fuerit relictum, legatarius quoque dominium in re legata acceptatione ſua ſtatim acquirit, eamque exigere poteſt. *Quod erat tertium.*

Enimvero ſi legatum ſub modo relinquitur, legatario res legata datur, ut aliquid præſtet (§. 557. *part.* 3. *Jur. nat.*). Enimvero ſi quid tibi datur hoc fine, ut hoc facia., tu vero non feceris, quod datum reſtituere teneris (§. 556. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi legatarius modum non adimpleverit, rem legatam reſtituere tenetur. Patet idem ex eo, quod de donatione ſub modo facta demonſtrata ſunt (§. 71. *p.* 4. *Jur. nat.* & §. 1003. *h.*). *Quod erat quartum.*

Denique ſi legatum ſub conditione relictum fuerit, teſtator voluit, ut res legata non ſit legatarii, niſi conditione exiſtente, conſequenter legatum reſpondet donationi ſub conditione factæ, re non ſtatim tradita (§. 1003. *h.*) conſequenter traditio nonniſi ſub eadem conditione & ea non exiſtente revocabiliter promiſſa intelligitur (§. 69. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quoniam itaque promiſſarius nonniſi ſpem habet debitum iri, antequam certum eſt conditionem extare (§. 471. *p.* 3. *Jur. nat.*); ſi legatum ſub conditione relinquitur, legatarius acceptatione ſua acquirit ſpem dominium acquiſitum iri. *Quod erat quintum.*

Quoniam donatione ſub conditione facta, res ſtatim tradi poteſt, tum vero revocabiliter facta intelligitur (§. 68. *part.* 4. *Jur. nat.*); nec quicquam obſtat naturaliter quo minus teſtator rem ſub conditione legatam ſtatim tradi velit legatario, ſed revocabiliter, ita ut conditione non exiſtente reſtituatur. Quoniam vero ratio aliqua adeſſe debuit, cur voluerit teſtator rem tradi legatario, antequam conſtet, utrum ejus eſſe debeat, nec ne; id voluiſſe intelligitur, ut pendente conditione is re legata utatur fruatur, conſequenter ut legatus ſaltem ſit uſusfructus, donec conditio exiſtat. Facile autem apparet, expreſſam hic requiri voluntatem teſtatoris, ne hæres præter ejus voluntatem gravetur.

§. 1043.

BIU Cujas

§. 1043.

Si hæres, vel legatarius moritur, jus acceptatione sua acquisitum in hæreditate, vel re legata transmittit in hæredem suum, quodsi moriatur ante acceptationem, vel antequam modum, sub quo hæres institutus, aut legatum relictum, adimpleverit, nihil transmittit. Etenim jus, quod acceptatione sua acquirit hæres, vel legatarius, ad bona ipsius pertinet (§. 451. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum hæres tuus succedat in bona post mortem tuam relicta (§. 958.); idem etiam succedit in jus, quod acceptatione tua in hæreditate, vel re legata acquisiviſti. Patet itaque si hæres, vel legatarius moriatur, eundem jus acceptatione sua acquisitum in hæreditate, vel re legata transmittere in hæredem suum. *Quod erat primum.* *Quando jus hæredis, vel legatarii transmittatur in hæredem ipsius.*

Enimvero cum sine acceptatione dominium, vel jus quoddam proprium transferri nequeat (§. 7. *part.* 3. *Jur. nat.*); si hæres, vel legatarius moritur ante acceptationem, cum nihil habeat, quod transferre possit, nullum quoque jus in hæreditate, vel re legata transmittere potest in eum, qui ipsi hæres est. *Quod erat secundum.*

Enimvero si quod tibi sub modo detur, tu vero moriaris, antequam modum adimplere potueris, quod datum restituendum (§. 566. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum etiam hæreditas, vel legatum restitui debeat, si modo nondum adimpleto moriaris, consequenter modo nondum adimpleto jus nullum tibi competat in re hæreditaria, vel legata; nihil quoque in hæredem tuum transmittere potes. *Quod erat tertium.*

Quæ hic demonstrantur satis manifesta sunt. Quod vero non dixerimus hæreditatem, vel legatum transmitti in hæredem tuum, sed jus in rebus hæreditariis, vel legatis acceptatione tua acquisitum; ejus quidem ratio patet ex antecedentibus: neque enim idem est in omni casu, sed variat, prout hæres instituitur, aut legatum relinquitur, vel pure, vel sub conditione, vel in diem, vel sub modo. Quale igitur jus in dato quolibet casu transmittatur, ex antea demonstratis dijudicandum. Hæres non necessario hæres est, etsi fuerit institutus, nec legatarius necessario legatarius est, quamvis legatum ipsi fuerit relictum, seu ipse nominatus legatarius, cum utrique liberum sit, utrum quod offertur acceptare velit, an nolit. Sola voluntate defuncti nemo fieri potest hæres, vel legatarius. Nec dici potest, ad acceptandum sufficere præsumtam hæredis, vel legatarii voluntatem, quæ tamdiu valeat, donec contraria expresse declaretur. Neque enim testatori perinde est, cui benefacere velit, nec ex eo, quod te hæredem instituit, vel tibi legatum reliquerit, præsumi potest, quod, si tu ante conditum testamentum mortuus fuisses, eum, qui tibi hæres existit, sibi hæredem instituturus, vel eidem legatum relicturus fuisset. Naturaliter jus in hæredem transmittere nequis, nisi quod acquisiviſti, ut sit tuum, antequam moriaris.

§. 1044.

Qui per ætatem, aut aliam ob causam acceptare nondum possunt, in iis acceptatio præsumenda. Etenim si quis eum instituit hæredem, vel ei legatum relinquit, qui per ætatem, aut aliam ob causam acceptare nondum potest; testatus omnino voluisse intelligitur, ut valeat acceptatio præsumta, quoniam præsumi nequit nihil agere voluisse. Quamobrem cum a testatoris tanquam jus quoddam in alterum transferentis voluntate unice dependeat, quomodo id transferre velit (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*); quin etiam ea lege transferre possit, ut valeat acceptatio præsumta, dubitandum non est. Quodsi ergo hæres instituatur, vel legatarius nominetur, qui per ætatem, aut aliam ob causam acceptare nondum potest, in iis acceptatio præsumenda. *De acceptatione hæreditatis & legati præsumta.*

Ex. gr. Si infans instituitur hæres, vel ei legatum relinquatur; acceptatio præsumitur, alias enim hæres institui, vel legatum ei relinqui non potuisset. Idem intelligitur de posthumo, qui expectatur, de furioso & amente. Immo nec repugnat, ut etiam præsumatur acceptatio in eo, qui acceptare potest: manet enim eidem adhuc liberum jus acquisitum abdicandi (§. 974.), ut ideo nihil ipsi obtrudatur (§. 199. *part.* 4. *Jur. nat.*). Enimvero tum necesse est, ut testator hoc expresse dicat, quoniam non aliter voluntas ejus sufficienter indicata intelligitur, quam quomodo in hypothesi propositionis præsentis exprimitur.

BIU Cujas

§. 1045.

Ejus effectus. *Qui præſumta acceptatione jus in re hæreditaria, vel legata acquirit; is idem acquirit eo ipſo momento, quo teſtator animam exhalat.* Quoniam enim teſtamentum morte teſtatoris validum efficitur (§. 998.); eo ipſo momento, quo animam exhalat, actus translationis ex parte ipſius perfectus eſt. Et quoniam tantummodo accedere debet ex parte hæredis, vel legatarii acceptatio præſumta, ut translatio perficiatur, *per hypoth.*; eodem momento ea acceſſiſſe intelligitur, cum præſumtioni acceptationis ſtatim locus ſit, quando habere locum poteſt, conſequenter quamprimum voluntas teſtatoris immutabilis facta. Patet igitur eum, qui præſumta acceptatione jus in re hæreditaria, vel legata acquirit, eo ipſo momento, quo teſtator animam exhalat, idem acquirere.

Hinc patet, cur infantes, vel furioſi, aut amentes, immo etiam abſentes, qui moriuntur, antequam voluntatem ſuam expreſſe declarare potuerint, hæreditatem, vel legatum, aut jus in hæreditate, vel re legata acquiſitum tranſmittant naturaliter in eum, qui ſibi hæres eſt, ut ideo non opus ſit hiſce diutius immorari.

§. 1046.

An naturaliter teſtamentum ſine hæredis inſtitutione fieri poſſit. *Naturaliter in teſtamento tantummodo relinqui poſſunt legata, immo etiam tantummodo diſponi poteſt de aliis, quæ poſt mortem ſuam fieri vult teſtator, tumque hæres eſt, qui ab inteſtato ſuccedit.* Quoniam enim in teſtamento non modo declaratur voluntas de translatione dominii rerum poſt mortem ſuam relictarum, ſed & de eo, quod quis præterea poſt mortem ſuam fieri velit (§. 994.), quando autem quis vult, eundem ſibi eſſe hæredem, qui ab inteſtato ſuccedere debet, non demum opus eſt, ut de eo expreſſe voluntatem ſuam declaret (§. 1033. 1034.); naturaliter nihil obſtat, quo minus in teſtamento ſaltem voluntatem ſuam de legatis, vel de eo, quod præterea fieri vult, poſt mortem ſuam declaret, cum hæc abſque inſtitutione hæredis declarari poſſint. Naturaliter itaque in teſtamento tantummodo relinqui poſſunt legata, immo etiam de aliis, quæ poſt mortem ſuam fieri vult teſtator, tantummodo diſponere poteſt. *Quod erat unum.*

Quando vero in teſtamento nulla ſit hæredis mentio, quoad hæredis inſtitutionem perinde eſt, ac ſi teſtamentum nullum conditum fuiſſet (§. 994.). Quamobrem cum ab inteſtato ſuccedatur, ſi nullus inſtitutus fuerit hæres (§. 1021. 1033. 1034.); ſi in teſtamento tantummodo legata fuerint relicta, vel etiam diſpoſitum de aliis, quæ poſt mortem ſuam fieri vult teſtator, hæres ipſi eſt, qui ab inteſtato ſuccedit. *Quod erat alterum.*

Ita in teſtamento naturaliter hæredi ab inteſtato præſcribi poſſunt leges, quas adjicere licet, ſi expreſſe inſtituatur. Dici poteſt, ſub qua conditione ſuccedere debeat, ſi non deſint alii remotioris gradus collaterales. Diſponi tantummodo poteſt de tutela liberorum, vel eorum cura, & quæ ſunt alia iſtiuſmodi, quæ in teſtamento locum habent. Naturaliter enim voluntas defuncti ſufficienter declarata valere debet, quantum valere poteſt citra injuriam tertii cujuſdam.

§. 1047.

De iis, quæ ad teſtamenta poſtea adjiciuntur. *Naturaliter ad teſtamentum adjici poſſunt, tum per quæ nonnulla in eodem immutantur, tum quæ nihil mutationis afferunt.* Teſtator enim teſtamentum mutare poteſt, quamdiu vixerit (§. 997.), nec naturaliter opus eſt, ut ſuam de eo, quod poſt mortem fieri vult, voluntatem ſimul declaret, quod per ſe patet, conſequenter ut actus teſtandi unico contextu fiat. Quamobrem naturaliter ad teſtamentum adjici poſſunt, tum per quæ nonnulla in eodem immutantur, tum quæ nihil mutationis afferunt.

BIU Cujas

Naturaliter nimirum sufficit, ut certo constet, hanc esse ultimam defuncti voluntatem, hoc est, eam, quam morte sua confirmavit, seu immutabilem fecit. Quamobrem nec opus est, ut in Jure naturæ codicilli distinguantur a testamento, quemadmodum in Jure Romano, in qua codicilli dicuntur ultima voluntas quinque testibus adhibitis declarata, qua hæres ex testamento, vel ab intestato rogatur, ut hæreditatem vel ejusdem partem restituat, aut rem particularem præstet, prouti eos describit *Struvius* in Juris Rom. Germ. for. lib. 2. tit. 28. §. 1. & qui eodem Jure fieri possunt vel testamento ante, vel postea facto, immo nullo facto. Rationes equidem fuerunt Romanis, cur codicillos distinguerent a testamentis, sed illæ in Jure naturæ cessant. Et consultum foret, ut omnis testandi modus ad simplicitatem naturalem reduceretur, abrogatis iis, quæ juris mere Romani sunt.

§. 1048.

Si successio quædam ab intestato moribus, vel lege positiva in civitate fuerit introducta; eum hæredem sibi voluisse intelligitur defunctus, quem mores, vel lex designant. Qui enim voluntatem suam expresse non declarat, quinam in bona post mortem suam relicta succedere debeat, cum tamen non præsumatur voluisse, ut ea post mortem suam sint res nullius, (§. 1030.), id omnino voluisse intelligitur, quod moribus, vel legi positivæ in civitate convenit, consequenter ut is sit hæres, quem mores, vel lex designant. *De successione moribus, vel lege positiva introductis.*

Nemo sane novit, quando sit moriturus, & num ipsi tantum superfuturum sit spatium, quando moriendum, ut testamentum facere possit. Quodsi ergo nolit eum sibi esse hæredem, quem mores, vel lex positiva ad hæreditatem vocant, tempestive testamentum condere debet, cum id omni tempore facere, ac factum, quandocunque voluerit, iterum mutare, immo tollere possit (§. 997.). Quamobrem si vel maxime testamentum facere & in eo alium hæredem instituere voluerit; ob ea, quæ diximus, recte tamen voluisse præsumitur, ut si se intestatum decedere contingat, valeant mores, vel lex tanquam voluntas ultima sua.

§. 1049.

Prælegatum dicitur legatum hæredi uni, vel alteri relictum. *Prælegatum quid sit.*

Ita ex. gr. liberi naturaliter æquo jure succedunt: quodsi vero pater, vel mater uni præter hæreditatis partem legatum quoddam relinquit, id prælegatum dicitur. Idem intelligitur de hæredibus voluntariis. Prælegatum vero non est, si saltem alicui res quædam in particulari assignetur, veluti domus, aut hortus: tum enim imputatur in partem hæreditatis debitam.

§. 1050.

Quoniam parentes, etiamsi liberi succedant, vel etiam liberi, si succedant parentes, pro modo facultatum suarum beneficia merentibus & pauperibus legata relinquere possunt (§. 1005. 1008.); *parentes* quoque *uni liberorum & liberi parenti uni prælegatum relinquere possunt* (§. 1049.). *De prælegato liberorum & parentum.*

Motivum prælegati esse potest non modo indigentia ejus, cui id relinquitur, sed etiam beneficii meritum, cujus plures esse possunt causæ. Possunt etiam prælegata relinqui cum onere, vel sine onere.

§. 1051.

Hæredes plures instituipossunt in partibus æqualibus & inæqualibus pro lubitu, alii etiam pure, alii sub conditione, vel in diem certum, aut incertum, vel sub modo, immo alii sine onere, alii cum onere: nec minus pro arbitrio testatoris uni, vel alteri prælegatum relinqui potest, immo etiam singulis relinqui prælegata in æqualibus partibus institutis. Quodsi enim nulli fuerint ascendentes, vel descendentes in vivis, qui- *De institutione hæredum plurium notanda.*

BIU Cujas

bus non ſine juſta eaque gravi cauſa hæreditas auferri nequit (§. 1016. 1000. 1014.), a teſtatoris unice voluntate dependet, quemnam & quomodo hæredem inſtituere velit (§. 994. *h.* & §. 11. 12. *p.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem ſi hæredes plures inſtituit, eos inſtituere poteſt in partibus æqualibus & inæqualibus pro lubitu, alios pure, alios ſub conditione, vel in diem certum, aut incertum, vel ſub modo, alios cum onere, alios ſine onere. *Quod erat unum.*

Et quoniam ſimiliter a voluntate teſtatoris dependet, utrum nonnullis legata relinquere velit, nec ne (§. 1003. *h.* & §. 130. *part.* 4. *Jur. nat.*); nil obſtat, quo minus is hæredibus ſive ſingulis, ſive uni, vel alteri eorum, prælegata relinquat (§. 1049.), ſi vel maxime in partibus inæqualibus fuerint inſtituti. *Quod erat alterum.*

Hæredes omnes ſimul ſunt quædam communitas, quæ jus commune habet in hæreditate indiviſa: aſt legatarii nonniſi jus habent in re quadam particulari, & res legatæ ab hæreditate ſeparandæ tanquam alienæ, nec ad eam pertinent. Hæres itaque & legatarius ſunt diverſæ perſonæ morales. Quamobrem ſi hæredi relinquitur prælegatum, id ipſi non relinquitur qua hæredi, ſed qua legatario: unde qua hæres legatarius non eſt, nec qua legatarius hæres eſt. Repræſentat itaque duas perſonas, quarum unicuique competunt ſua jura a ſe invicem minime dependentia.

§. 1052.

De hæreditate a teſtatore diviſa.

Teſtator hæreditatem inter hæredes dividere poteſt. Oſtenditur eodem modo, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus.

Hæredes omnes ſimul acquirunt dominium univerſale ſeu commune in omnibus rebus a defuncto relictis. Quoniam itaque adita hæreditate res communes inter ipſos pro rata, in qua ſinguli inſtituti, ſunt dividendæ; ſi teſtator præſcribit modum, quo hæreditatem inter ipſos dividi velit, & ideo certæ res ſingulis aſſignentur, propterea portiones hæreditariæ non convertuntur in legata. Sane ſi quod a teſtatore diviſum non eſt, id adhuc erit omnium commune, ab ipſis inter ſe dividendum. Cum hæredes ſuccedant in omnia bona defuncti (§. 958.); ideo jam ſupra (*not.* §. 1049.) monuimus, ſi hæredi uni res quædam particularis aſſignetur, eam ideo non eſſe prælegatum, ſed in portionem hæreditariam imputandam.

§. 1053.

An eam tollere poſſint hæredes.

Si hæreditas a teſtatore inter hæredes fuerit diviſa, hoc non obſtante iidem unanimi conſenſu eandem aliter inter ſe pro lubitu dividere poſſunt. Etenim hæredes omnes ſimul cum ſuccedant in omnia bona defuncti (§. 958.), dominium in iis acquirunt, conſequenter nonniſi eorum intereſt, quomodo hæreditas dividatur. Et quamvis adeundo hæreditatem, cum teſtator hæreditatem inter ipſos dividere potuerit (§. 1052.), acquirant jus ad certas res particulares in illa contentas; quoniam tamen quilibet jus ſuum remittere poteſt (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), diviſio hæreditatis a teſtatore facta minime obſtat, quo minus unanimi conſenſu eandem aliter inter ſe pro lubitu dividant.

Duo actus diverſi ſunt hæredis inſtitutio & hæreditatis diviſio, qui diverſos quoque habere debent juris effectus. Illa acquirunt hæredes omnes ſimul dominium univerſale in bonis defuncti conjunctim; hac vero jus ad res particulares in hæreditate contentas, ut, niſi velint, hæreditas aliter dividi nequeat (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Atque hinc patet, jus legatarii ab hoc jure, quod ex hæreditate a teſtatore diviſa fluit, plurimum differre, cum illud ſit dominium in re particulari ad hæreditatem non referenda.

§. 1054.

De obligatione præſtandi legata.

Hæredes legatariis legata præſtare obligantur, ſeu res legatas tradere. Legatarius enim acceptatione ſua acquirit dominium in re legata, etſi per conditionem adjectam ſuſpendi poſſit (§. 1042.), conſequenter res legata, quamprimum debetur, ſpectatur tan-

BIU Cujas

tanquam res ad hæreditatem non pertinens, cum in ea nullum jus competat hæredi. Quamobrem cum res legatæ ſeſe habeant per modum rerum alienarum in hæreditate inventarum, ab hac auferendæ ſunt (§. 964.), & domino ſuo reſtituendæ (§. 467. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam vero hæres ſuccedit in omnes obligationes defuncti (§. 958.), qui ad rem legatam tradendam, legato perfecto, obligatus intelligitur (§. 54. *part.* 4. *Jur. nat.* & §. 1003. *h.*); hæres legatariis res legatas tradere, ſeu legata præſtare obligatur.

Jus in re legatarius acquirit a defuncto, non ab hærede (§. 1003.). Quoniam vero demum poſt mortem ejus acquiritur; obligatio ad tradendum rem legatam cadit in hæredem, qui perſonam defuncti repræſentat (§. 958.). Quemadmodum itaque rei ſibi donatæ traditionem exigeret legatarius a defuncto, ſi adhuc viveret, eam petendo tamquam rem ſuam (§. 60. *part.* 4. *Jur. nat.*); ita poſt mortem ejus rem ſibi legatam tanquam ſuam petit ab hærede, qui jam loco defuncti eſt, & ejus traditionem urget, non vero hæredem ad donationem adimplendam compellit.

§. 1055.

Si hæres unus hæreditatem repudiet, vel etiam legatarius legatum; portio illius, vel res legata hujus hæreditati accreſcit. Etenim ſi hæres unus hæreditatem repudiet, perinde eſt ac ſi hæres non eſſet inſtitutus, nec ullum jus in hæreditate habet (§. 972.). Quamobrem cum hæredes ſimul inſtituti acquirant dominium univerſale in omnibus rebus a defuncto relictis (§. 960.); iiſdem quoque competit dominium in portione repudiata, conſequenter ſi hæres unus hæreditatem repudiet, portio ejus hæreditati accreſcit. *Quod erat unum.* *Si hæres unus hæreditatem repudiet, vel legatarius legatum.*

Quodſi legatarius legatum repudiet, in re legata dominium non acquirit (§. 7. 111. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter cum nemini in ea re jus competat, ea ad hæreditatem pertinet (§. 960.). Res igitur legata, ſi legatarius legatum repudiet, hæreditati accreſcit. *Quod erat alterum.*

Si donatarius donationem acceptare nolit; res manet utique donantis: id quod nemo in dubium vocaverit. Cum legatum donationis ſpecies ſit (§. 1003.), ſi id repudietur conſequenter non acceptetur (§. 2. 111. *part.* 3. *Jur. nat.*); res legata utique manere debet ejus, qui in locum defuncti tanquam donatoris ſuccedit. Nulla vero ratio eſt, cur res legata accreſcere debeat ceteris legatariis, quippe qui nullum jus commune habent in rebus legatis, ſed unuſquiſque jus ſingulare in re ſibi legata. Ecquis dixerit, ſi quis uno eodemque tempore ſimul donet, unus vero donationem acceptare nolit, quod res huic donata non manere debeat donatoris, ſed donatariis ceteris fieri communis?

§. 1056.

Si hæres inſtitutus hæreditatem adire nolit, vel non poſſit; legata tamen ſubſiſtunt. Etenim ſi hæres inſtitutus adire nolit, vel non poſſit, veluti ſi ante teſtatorem moriatur, aut antequam eam acceptet; perinde eſt ac ſi nullus hæres in teſtamento fuiſſet inſtitutus, ſed in eo tantummodo legata ſint relicta (§. 962.). Quamobrem cum naturaliter in teſtamento tantummodo legata relinqui poſſint (§. 1046.); ſi hæres inſtitutus hæreditatem adire nolit, vel non poſſit, legata tamen ſubſiſtunt. *De jure legatariorum ſi hæreditatem adire nolit, vel non poſſit hæres inſtitutus.*

Jus legatarii minime dependet a jure hæredis inſtituti (*not.* §. 1056.). Quamobrem etſi nullum jus ſit ejus, qui inſtitutus fuerat hæres, ſi hæreditatem adire nolit; non tamen propterea perimitur jus legatarii, utpote quod ſine eo ſubſiſtit.

§. 1057.

Si duo hæredes conjunctim in certa quadam parte inſtituantur, aut res eadem duobus conjunctim legetur, & unus illorum hæreditatem, alter legatum repudiet; hæres illi con- *De hæredibus in eadem parte*

BIU Cujas

conjunctim instituti & eadem re conjunctim duobus legata.

conjunctus portionem hæreditatis integram solus, legatarius vero rem legatam solus accipit. Etenim si duo hæredes conjunctim in certa quadam parte instituantur, hæreditas ita dividenda, ut hi duo simul accipiant partem, in qua conjunctim instituti sunt, consequenter quoad ceteros cohæredes perinde est, ac si una tantummodo persona in illa parte fuisset instituta, nec quicquam refert utrum unus, an duo partem illam accipiant. Quodsi ergo unus eorum hæreditatem repudiet, consequenter declaret, se nihil ex hæreditate capere velle (§. 972. *h.* & §. 2. *part.* 3. *Jur. nat.*); omnino declarare intelligitur, quod nolit partem istam inter se ac hæredem sibi conjunctum dividi. Erit igitur integra ejusdem. Patet itaque, si duo hæredes conjunctim in certa quadam parte instituantur, & unus hæreditatem repudiet, portionem hæreditatis integram solum accipere, qui cum illo conjunctim in ea fuerat institutus. *Quod erat unum.*

Similiter si res eadem duobus legetur, erit ea tanquam communis inter ipsos dividenda. Quodsi ergo eorum unus legatum repudiet, omnino declarare intelligitur, quod eam inter se dividi nolit, nec velit partem ejus habere. Manebit itaque integra legatarii, cui cum ipso conjunctim legatum fuit relictum. *Quod erat alterum.*

Facile patet, idem valere, si alia de causa deficiat hæres eorum unus, qui conjunctim in eadem parte hæreditatis sunt instituti, vel legatariorum unus, quibus conjunctim eadem res legata. Cum vero hærede uno, consequenter etiam duobus conjunctim in eadem parte institutis hæreditatem repudiantibus, vel legatario etiam, consequenter & duobus, quibus eadem res legata legatum repudiantibus, in priori casu portio hæreditatis, in posteriori res legata accrescat hæreditati (§. 1055.): facile patet accrementum hoc participare etiam pro rata sua hæredes conjunctim in eadem parte institutos, quippe qui nonnisi unum hæredem respectu ceterorum repræsentant. Patet etiam per se plures, quam duos in eadem parte conjunctim instituí posse hæredes, & pluribus, quam duobus eandem rem conjunctim legari posse. Opus autem non est, ut plures conjunctionis hæredum modos distinguamus, ut de accremento ex repudiatione unius hæredis emergente judicium fieri possit.

§. 1058.

De substitutione hæredis.

Testator quoque hæredi instituto alium substituere potest, ut illo deficiente quacunque de causa, hic succedat vel in ea parte, in qua ille erat institutus, vel in alia quacunque. Etenim si hæres substituitur, perinde est ac si institueretur sub hac conditione, si alter quacunque de causa deficiat. Quoniam itaque hæres sub quacunque conditione instituí potest (§. 1036.); sub hac quoque conditione instituí potest, si alter quacunque de causa deficiat. Testator itaque hæredi instituto alium substituere potest, ut illo deficiente quacunque de causa succedat. *Quod erat unum.*

Et quoniam si plures hæredes instituit, ipsi integrum est, in quanam parte singulos instituere velit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.* & §. 959. *h.*); eidem quoque liberum est, utrum hæredem in eadem parte substituere velit, in qua alter institutus fuerat, an vero in alia quacunque. *Quod erat alterum.*

Testator minime prævidere potest, utrum ante mortem suam moriturus sit hæres, nec ne, aut num alia forsan de causa deficere possit hæres a se institutus. Datur itaque substitutionis sufficiens ratio (§. 56. *Ontol.*). Possunt vero etiam uni duo, vel plures conjunctim eidem substitui, immo substituto denuo substitui alii, prout testatori commodum visum fuerit.

§. 1059.

De substitutione legatarii.

Testator legatario alium substituere potest, ut, si is quacunque de causa deficiat, hic legatum accipiat. Etenim si legatarius substituitur, legatum ipsi relinquitur sub hac conditione, si alterum deficere contingat. Quamobrem cum legatum sub conditione relinqui possit (§. 1003. *h.* & §. 130. *part.* 4. *Jur. nat.*); legatario quoque substitui potest alius, qui illo quacunque causa deficiente legatum accipiat.

Va-

BIU Cujas

Valent etiam de legatarii ſubſtitutione, quæ modo de ſubſtitutione hæredis annotavimus (*not.* §. 1058.).

§. 1060.

De iis, qui teſtari non poſſunt.

Furioſi, durante furore, amentes & infantes, atque impuberes in ſenſu morali tales teſtamentum facere nequeunt. Etenim homo nil agere debet abſque animo deliberato (§. 390. *part.* 3. *Jur. nat.*), conſequenter nec abſque eo teſtamentum facere. Quoniam itaque teſtaturus probe perpendere debet, utrum hunc potius, an alium hæredem inſtituere debeat, & quomodo inſtituere debeat (§. 387. *part.* 3. *Jur. nat.*), furioſi autem, durante furore, amentes & infantes hoc probe expendere nequeunt, quod per ſe patet, ac idem quoque manifeſtum eſt de iis, qui in ſenſu morali impuberes ſunt (§. 767.); furioſi, durante furore, amentes & infantes, atque impuberes in ſenſu morali tales teſtamentum facere nequeunt.

§. 1061.

De ſubſtitutione a parentibus liberis facta.

Parentes liberis ſuis hæredem ſubſtituere poſſunt ſub hac conditione, ſi infantes vel impuberes moraliter tales, aut amentes, vel furioſi decedant. Etenim quamdiu liberi infantes ſunt, vel impuberes in ſenſu morali, aut amentes, vel furioſi, teſtamentum facere nequeunt (§. 1060.). Quamobrem cum parentibus competat jus determinandi actiones liberorum, quamdiu ipſimet eaſdem juxta naturæ legem determinare nequeunt (§. 660.); hæredem quoque ipſis ſubſtituere poſſunt ſub hac conditione, ſi infantes, vel impuberes, aut amentes, vel furioſi decedant.

Perinde nimirum eſt, ac ſi teſtamentum facerent ipſorum loco, quod ultra illum ſtatum extendi nequit, in quo ipſimet teſtamentum facere nequeunt. Quoniam enim non ſunt hæredes voluntarii, ſed naturales, quos ipſa natura inſtituit (§. 983.); non poteſt ipſis hæreditas relinqui ea lege, ut poſt eorum mortem ſit ejus, quem ipſi voluerint. Quodſi ea ſubſtitutio valeret, deterioris eſſent conditionis, quam liberi apud Romanos, qui ſub patria poteſtate erant, quippe quæ ultra vitam patris non extendebatur.

§. 1062.

De ſubſtitutione vulgari, pupillari & quaſi pupillari.

Subſtitutio vulgaris dici ſolet, qua quis inſtituitur hæres ſub ea conditione, ſi alius inſtitutus deficiat. *Pupillaris ſubſtitutio* vocatur, qua parentes liberis impuberibus ſubſtituunt hæredem ſub ea conditione, ſi impuberes moriantur, ſeu in ſtatu pupillari deceſſerint. Denique *quaſi pupillaris*, vel etiam *exemplaris* appellatur, qua parentes liberis furioſis, vel amentibus ſub ea conditione ſubſtituunt hæredem, ſi in illo ſtatu, quo teſtamentum ipſimet facere nequeunt, deceſſerint. Eſt autem *tam ſubſtitutio vulgaris, quam pupillaris & quaſi pupillaris, vel exemplaris juris naturalis* (§. 1058. 1061.).

Abſit autem, ut propterea juris naturalis eſſe putentur omnia, quæ in Jure civili de ſubſtitutionibus iſtis præcipiuntur.

§. 1063.

Quando ſubſtitutiones expirent.

Si hæres inſtitutus primo gradu hæreditatem adit, ſubſtitutio vulgaris expirat; pupillaris autem, ſi ſtatus pupillaris liberorum finitur, & quaſi pupillaris, ſeu exemplaris, ſi hæres in illo ſtatu non deceſſerit, in quo teſtamentum facere nequit. Etenim ſubſtitutio vulgaris eſt ſubſtitutio facta ſub conditione negativa, ſi alius, ſeu primo gradu inſtitutus deficiat (§. 1062.). Quamobrem cum conditio hæc negativa deficiat, ſeu non exiſtat, ſi hæres primo gradu inſtitutus hæreditatem adeat (§. 490. *p.* 3. *Jur. nat.*);

ſub-

BIU Cujas

substitutio quoque vulgaris tum expirare debet (§. 534. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat primum.*

Similiter cum substitutio pupillaris sub ea conditione fiat, si liberi in statu pupillari decesserint (§. 1062.); conditio non existit, quamprimum status pupillaris finitur. Eo igitur finito substitutio pupillaris expirat (§. 534. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat secundum.*

Denique substitutio quasi pupillaris, seu exemplaris, sub hac conditione fit, si liberi in eo statu decesserint, in quo ipsimet testamentum facere non poterant (§. 1062.). Quamobrem cum conditio ista deficiat, si in eo statu non decesserint; substitutio quoque quasi pupillaris, seu exemplaris tum expirat (§. 534. *part. 3. Jur. nat.*). *Quod erat tertium.*

Substitutionem hæredis æquiparari promissioni & per consequens ad eandem recte applicari, quæ de promissione conditionata demonstrata fuerunt, nemo dubitaverit, qui quid sit promissio (§. 361. *part. 3. Jur. nat.*) & quid sit substitutio probe perpenderit. Ceterum cum furiosus in intervallis lucidis testamentum facere possit, quemadmodum valide promittere potest (§. 449. *p. 3. Jur. nat.*); facile patet, non valere substitutionem, si furiosus in intervallo lucido decedat.

§. 1064.

De legato pœnali. *Legatum pœnæ* dicitur, quod relinquitur sub hac conditione, si hæres hoc fecerit, vel non fecerit. Quamobrem patet, *legatum pœnæ relinqui hæredis coercendi causa, ut quid faciat, vel non faciat.* Quoniam testator sub quacunque conditione legatum relinquere potest (§. 1003. *h.* & §. 130. *part. 4. Jur. nat.*); *legatum pœnæ juri naturæ minime adversatur.*

Pœna nimirum adjicitur legato, quemadmodum promissioni (§. 606. *part. 3. Jur. natur.*). Quamobrem quæ ibidem annotavimus, etiam hic notanda veniunt. Et sicuti demonstravimus, promissionem pœnalem esse conditionatam (§. 607. *part. 3. Jur. nat.*); ita quoque legatum pœnæ inter conditionalia referendum, & per consequens de eodem valent, quæ de legato conditionali demonstravimus. Exemplum legati pœnæ est, quando testator dicit: si hæres Cleliam duxerit, Mævio hortus meus legatus esto. Item si dicat: Sempronio mille aureos lego, si hæres Medicinæ operam navet.

§. 1065.

De re hæredis legata. *Si res hæredis legetur, hæres institutus est cum hoc onere, ut rem certam suam legatario præstet.* Quoniam res aliena donari nequit (§. 97. *part. 4. Jur. nat.*); proprie loquendo nec legari potest (§. 1003.), Cum tamen hæres quis instituí possit cum onere (§. 1036.), consequenter etiam ut rem certam suam alteri præstet (§. 585. *part. 3. Jur. nat.*), tum vero legatarius eandem voluntate testatoris ultima acquirit, si hæreditatem acquirere velit hæres; si res hæredis legetur, institutus is est cum hoc onere, ut rem certam suam legatario præstet.

Ex demonstratione liquet, si res hæredis legetur, hæredis institutionem fieri sub modo, & legatum sub conditione relinqui. Hæres enim institutus intelligitur sub hoc modo, ut præstet rem certam suam legatario, & huic legatum relictum intelligitur sub hac conditione, si hæres hæreditatem adierit. Exemplum esto hoc: Titius mihi hæres esto, ejus autem domum lego Sempronio. Si enim Titius hæreditatem adit, domus est Sempronii, & Sempronio ille eam tradere tenetur, si hæres esse velit.

§. 1066.

De re legatarii legata. *Si res legatarii legetur, legatum ipsi relinquitur cum hoc onere, ut rem certam suam præstet alteri.* Patet eodem modo, quo propositionem præcedentem ostendimus.

Exem-

BIU Cujas

Exemplum esto : lego Titio domum meam, Sempronio autem domum Titii. Facile patet, domum meam majoris pretii esse debere, quam domum Titii: alias enim inutile foret legatum, cum a Titio non acceptaretur, consequenter etiam legatum Sempronio relictum evaneſceret. Ac idem intelligitur in casu quocunque alio.

§. 1067.

Si cui res certa in genere legetur, naturaliter in arbitrio hæredis relictum videtur, quamnam ejus generis e rebus post mortem suam relictis dare velit legatario. Etenim cum testator in testamento disponat de translatione dominii rerum post mortem suam a se relictarum (§. 994.); si rem certam in genere alicui leget, unam istarum, quas in hoc genere relinquit, legatario tradendam esse voluit. Quoniam tamen in specie non nominat eam, quæ tradenda, cum voluntatis suæ de eo nulla indicia prostent, unde ea colligi possint; in arbitrio omnino hæredis reliquisse videtur, quamnam tradere velit. *De legato in genere relicto.*

Ex. gr. Si in hæreditate fuerint tres equi, & testator unum in genere leget Sempronio; hæres ex istis tribus tradere potest Sempronio, quem voluerit. Idem intelligitur, si Cajo tres vaccæ legentur, sint vero in hæreditate triginta. Aliter vero sese res habet, si res legata demonstretur, seu certo modo describatur: tum enim ea tradenda legatario, cui demonstratio convenit. Patet etiam ex demonstratione propositionis, non posse hæredem loco rei in hæreditate contentæ legatario dare aliam ejusdem generis, nisi consentiat legatarius, qui de jure suo remittere potest, quantum ipsi commodum vilum fuerit (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*).

§. 1068.

Si testator ante mortem suam rem legatam alienavit, vel debitum, quod debitori, aut nomen, quod alii legavit, exegit; legatum ademtum intelligitur. Etenim si testator voluisset legatum subsistere debere, rem legatam alienare non poterat, nec debitum debitori, aut nomen alii legatum exigere. Quamobrem si hoc fecerit, voluntatem suam ultimam, seu testamentum quoad legatum hoc mutasse intelligitur. Quamobrem cum testator testamentum mutare possit, quamdiu vixerit (§. 997.); si ante mortem suam rem legatam alienet, vel debitum debitori, aut nomen quoddam alii legatum exigat, legatum utique adimere intelligitur. *De legato iterum ademto.*

Contrariam nimirum voluntatem ipso facto declaravit: perinde vero est, sive quibus verbis, sive facto quodam voluntatem suam declaret, modo eandem hoc sufficienter indicet.

§. 1069.

Naturaliter hæres quoque institui potest ea lege, ut vel hæreditatem integram, vel certam ejus partem, prouti jusserit testator alteri restituat. Et idem intelligitur de legatis. Ostenditur eodem modo, quo supra demonstravimus hæredem institui posse sub conditione, in diem, sub onere quocunque (§. 1036.). *An naturaliter valeant fideicommissa.*

Non desunt rationes honestæ, cur ita disponat testator. Pone Sempronium esse absentem, nonnisi uno, vel altero anno elapso rediturum. Absurdum non est, si is Cajum ea lege instituat hæredem, ut hæreditatem integram restituat Sempronio redeunti. Nec Cajus inutiliter hæres institutus, cum Sempronio non redeunte, quia moritur absens, ipse maneat hæres. Similiter si Sejus instituatur ea lege, ut hæreditatem, vel certam ejus partem restituat Tanaquillæ, quando nupserit; nihil absurditatis ineſt huic institutioni, ac utilis ea est tum respectu Seji, tum Tanaquillæ. Idem liquet, si hæreditas post mortem hæredis alteri cuidam restituenda. Cumque liberrima regnet in hæredis institutione voluntas testatoris, legem restitutioni scribere potest, qualemcunque voluerit. Quod de hæreditate diximus, valet quoque de legatis.

BIU Cujas

§. 1070.

Fideicommissum quid sit & quotuplex. Hæreditatis delatio ea lege facta, ut vel tota, vel certa ejus pars, prouti testator jusserit, restituatur alteri, dicitur *Fideicommissum*. Et hoc nomine etiam venit legatum eadem lege relictum. Vocatur autem *Fideicommissum universale*, si tota hæreditas restituenda; *particulare* autem, si nonnisi res certa restituenda. Unde patet, *si fideicommissum sit in legato, hoc esse particulare.*

Fideicommissa a Romanis primum usurpata, ut res suas vel omnes, vel certas relinquere post mortem suam possent iis, quibus alias hæreditatem, vel legata relinquere non licebat, veluti spuriis ac incestuosis, deportatis, peregrinis. Hinc hæres institutus tantummodo rogabatur, ut hæreditatem, vel ejus partem, aut rem certam alteri, qui hæres, vel legatarius esse non poterat, restitueret, qui cum invitus cogi non posset ad præstandum id, quod rogatus fuerat a defuncto, ideo restitutio fidei saltem ejus committebatur, ac ideo *Hæres fiduciarius* appellabatur, is autem, cui aliquid restituendum, *Fideicommissarius*. Enimvero *Augustus* postea semel atque iterum jussit, ut consules cogerent hæredes fiduciarios ad reddendum fideicommissariis, quæ reddere rogati essent. Et hoc paulatim in assiduam jurisdictionem conversum. Quoniam vero exempla, quæ modo commemoravimus (*not.* §. 1069.), aperte loquuntur, fideicommissa etiam iis relinqui posse, qui hæredes instituí possunt, & quibus legata relinquere licet, naturaliter autem valet voluntas testatoris, nec restitutio ab hæredis, vel legatarii fiduciarii voluntate dependet; ideo in definitione legati non diximus, rogari hæredem, vel legatarium, ut restituat. Atque hinc facile dignoscere poterimus, quænam in Jure Romano de fideicommissis sint mere hujus juris. Quemadmodum vero substitutio hæredum plures admittit gradus, ita ut in continua quadam serie antecedenti semper substituatur sequens, ita similiter fideicommissum gradus istiusmodi recipit. Nec absurdum videri potest, ut quis pluribus per longum tempus benefacere velit.

§. 1071.

De Fideicommisso familiæ. *Fideicommissum familiæ* dicitur, quod familiæ relictum, vel quo testator prohibet, ne res ejus extra familiam alienentur.

Nimirum in casu priori post mortem hæredis instituti res restituuntur cognatis proximioribus & ita porro; in casu autem posteriori, quo testator tantummodo voluit, ne bona sua in extraneum transmittantur, nullo expresso successionis ordine, proximiores ultimi possessoris succedunt. Patet autem, successionis ordinem ac modum a testatore pro lubitu exprimi posse (§. 1069.). Nolumus autem prolixius ea persequi, quæ de fideicommissis demonstrari poterant. Qui enim principiorum juris naturalis, quæ abunde satis in toto opere nostro demonstravimus fuerit gnarus; haud difficulter ex notione fideicommissi ea deducet (§. 1070.).

§. 1072.

De pactis hæreditariis. *Naturaliter valida sunt pacta de hæreditate inita.* Quoniam dominus vi dominii de rebus suis disponere potest, quomodo voluerit (§. 118. *p.* 2. *Jur. nat.*); de successione quoque in bona post mortem suam relinquenda cum alio pacisci potest. Quamobrem cum naturaliter servanda sint pacta, quæ licite ineuntur (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); naturaliter quoque valida sunt pacta de hæreditate inita.

Ita ex. gr. iniri possunt pacta reciproca, ut, qui sine liberis aut parentibus decedit, utpote quibus hæreditas adimi nequit, nisi justam ob causam exhæredentur (§. 1016.), vel istis deficientibus superstes, ei, qui prior moritur, succedat. Et in genere pacto deferri potest hæreditas quacunque lege, aut quomodo inter se convenerint pacisentes, ac quomodo convenerint, id valebit, quamdiu nihil conventum in præjudicium tertii, tum enim non subsistit pactum, nisi quatenus præjudicium istud evitatur (§. 910. *p.* 1. *Jur. nat.*).

§. 1073.

BIU Cujas

§. 1073.

Quoniam naturaliter valida ſunt pacta de hæreditate inita (§. 1072.); *pacta* quoque *conjugum de modo, quo ſibi invicem ſuccedere debent, ſive ante nuptias, ſive durante matrimonio condita valent.* Immo cum pacta mutuo diſſenſu diſſolvantur (§. 840. *part. 3. Jur. nat.*); *pacta ante nuptias inita diſſolvi & alia durante matrimonio quocunque tempore condi poſſunt.* *De pactis ſucceſſoriis conjugum.*

§. 1074.

Si conjux unus moritur, in bona ejus ſuccedunt hæredes ſive in teſtamento inſtituti, ſive qui ab inteſtato exiſtunt. Etenim ſi conjux unus moritur, matrimonium diſſolvitur (§. 510.), conſequenter nec is amplius quid conferre tenetur ad onera matrimonii ferenda (§. 449.), ac ideo conjux ſuperſtes nullum amplius jus ad bona defuncti habet. Quamobrem cum poſt mortem in bona defuncti ſuccedant hæredes (§. 958.), ſive qui in teſtamento inſtituti (§. 999.), ſive qui ab inteſtato exiſtunt (§. 1033. 1034.), ſi conjux unus moritur, in bona ejus ſuccedunt hæredes, ſive in teſtamento inſtituti, ſive qui ab inteſtato exiſtunt. *De hæredibus conjugum.*

Morte rumpitur vinculum conjugum, & extinguitur illa vitæ conſuetudo, ad quam qua conjuges obligabantur (§. 473.). Et quamvis contingat, liberos nondum eſſe educatos, cum hi ſuccedant in bona parenti defuncti (§. 1033.), non tamen ideo onus ſuſtentandi ſumtus educationis in ſuperſtitem conjugem ſolum devolvitur (§. 527.), ut adeo nihil fiat in præjudicium conjugis ſuperſtitis, etiamſi in defuncti bona ſuccedant hæredes, quemadmodum ſuccederent in bona perſonæ non conjugatæ.

§. 1075.

Si conjux ſuperſtes non habeat propria bona, vel ea non ſufficiant ad vitæ neceſſitatem, commoditatem aut jucunditatem; qui moritur poſt mortem ſuam eam pro modo facultatum ſuarum bonorum partem relinquere debet, quæ vel vitæ neceſſitati ſoli, vel etiam commoditati, immo etiam jucunditati ſufficiant, aut ſaltem uſumfructum in iſta parte bonorum, vel bonis etiam omnibus, aut ad dies vitæ, aut donec in ſtatu viduitatis permanſerit conjux ſuperſtes, prouti circumſtantiæ particulares ſuadent, nec quid ſit in præjudicium hæredum naturalium. Conjux neminem magis amare (§. 465.) & diligere debet quam conjugem (§. 462.), & in quibuſvis officiis humanitatis præferre aliis (§. 463.), conſequenter lubenter conferre, quæ non modo ad vitæ neceſſitatem (§. 640. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam ad ejus commoditatem ac jucunditatem conferre poteſt (§. 645. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo conjux ſuperſtes altero mortuo propria non habuerit bona, vel ea non ſufficiant ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem, qui moritur poſt mortem ſuam eam ipſi relinquere debet pro modo facultatum ſuarum bonorum partem, quæ vel vitæ neceſſitati ſoli, vel etiam commoditati, immo jucunditati ſufficit. *Quod erat unum.* *De ſucceſſione naturali conjugum.*

Enimvero cum fieri poſſit, ut conjugi morienti ſint rationes, cur malit bona ſua in familia confervari, nolit autem ea in extraneos tranſmitti; ſufficit omnino, ut in parte bonorum ſufficiente, vel etiam in bonis omnibus, uſumfructum conjugi ſuperſtiti relinquat, vel ad dies vitæ, vel donec in ſtatu viduitatis permanſerit. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam vero liberi, aut his deficientibus parentes ſunt hæredes naturales quos ipſa natura inſtituit (§. 983.), & quibus ſine juſta cauſa hæreditas adimi nequit (§. 1016.); eodem modo patet, nihil in illorum præjudicium fieri debere, quemadmodum idem de legatis oſtendimus (§. 1005. 1008.). *Quod erat tertium.*

Satis patet, jus nullum perfectum conjugi ſuperſtiti competere ad hæreditatem conjugis defun-

functi; sed officii saltem conjugum esse, ut qui moritur, prospiciat superstiti, quantum potest, de iis, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem, immo etiam jucunditatem faciunt. Ducit huc amor, quo conjux conjugem prosequitur; ut moriens velit superstiti etiam post mortem suam bene esse, nolit autem eum esse miserum.

§. 1076.

De conjuge hærede instituto.

Conjux conjugem superstitem deficientibus liberis, aut parentibus hæredem instituere potest. Etenim si nulli fuerint ascendentes, vel descendentes in vivis, testator præteritis omnibus collateralibus extraneum quemcunque instituere potest (§. 1025.). Quodsi ergo deficiant liberi, vel parentes, conjux etiam conjugem superstitem hæredem instituere potest.

Non est quod dicas, æquum esse, ut deficientibus liberis ac parentibus conjux superstes conjugi defuncto etiam ab intestato succedat ex voluntate præsumta (§. 1075.). Etenim possunt esse morienti rationes, cur malit bona sua non transmitti in extraneos, sed manere in familia sua. Expressa igitur voluntate opus est, ut constet, voluisse conjugem defunctum, ut in bona sua succedat superstes.

§. 1077.

De legato conjugi superstiti relinquendo, vel fideicommisso.

Si conjux moriens conjugem superstitem hæredem instituere vel non possit, vel certas ob causas nolit; legato vel fideicommisso prospicere debet eidem, ne desint, quæ ad vitæ necessitatem, immo quantum fieri potest, etiam ad commoditatem ac jucunditatem faciunt: nec in legando intra tam arctos limites continetur arbitrium in casu priori, quam ubi alii legata relinquuntur. Quoniam enim conjux moriens superstiti prospicere debet de iis, quæ post mortem suam ad vitæ necessitatem, immo commoditatem ac jucunditatem requiruntur, quantum fieri potest (§. 1075.), aut hæres institui (§. 958.), aut legatum (§. 1003.), vel fideicommissum eidem relinqui potest (§. 1070.). Quodsi ergo hæredem instituere non possit, vel ob certas causas nolit, veluti ne bona sua in extraneos transmittantur, cum sint cognati collaterales, qui iis maxime indigent, vel ea merentur; legatum, aut fideicommissum relinquere debet, prouti circumstantiæ hoc potius, quam illud suaserint. *Quod erat unum.*

Quoniam vero liberi parentes inopes non modo alere tenentur, nisi eadem inopia laborent, vel liberis suis alendis vix sufficiant (§. 755.), & si iidem equidem habeant, unde vitam tolerare possint, desint tamen, quæ ad vitæ commoditatem & jucunditatem faciunt, pro modo facultatum suarum ea conferre, quæ vitam commodam & jucundam faciunt (§. 756.), & post mortem ipsis bona sua relinquunt parentes (§. 975.); in legando conjugi non adeo facile præjudicium fit liberis, quam si legata relinquantur aliis. Quamobrem cum parentum in legando potestas restringatur, quatenus in præjudicium liberorum legata relinquuntur (§. 1005.), immo idem etiam intelligatur de liberis respectu parentum suorum (§. *cit.*); in hoc casu, quo conjux conjugi legatum relinquit, non intra tam arctos limites potestas legandi continetur, quam ubi alii relinquitur. *Quod erat alterum.*

Ne quid in demonstrando remaneat obscuritatis, probe perpendenda sunt, quæ in anterioribus demonstravimus de modo, quo quis hæres institui, vel etiam alicui legatum relinqui potest: immo ea quoque in memoriam revocanda, quæ de modo promittendi in parte tertia & de modo donandi in parte quarta prolixe satis ostendimus. Atque ex iis etiam intelligitur, quomodo legata sint conjugi superstiti relinquenda, vel etiam qua lege is hæres sit instituendus, ne quicquam committatur, quod vel in præjudicium liberorum, vel familiæ vergat. Quoniam vero naturaliter ab intestato succedunt conjugi defuncto deficientibus liberis & parentibus collaterales (§. 1025.); necesse omnino est, ut per testamentum disponatur de eo, quod conjux superstes habere debeat, ex quo is jus perfectum acquirit in id, quod alias nonnisi imperfecte debetur, & quod ab hærede exigi non potest.

§. 1078.

BIU Cujas

§. 1078.

De indissolubilitate matrimonii.

Jure naturali matrimonium perpetuum esse debet. Etenim conjuges non modo conjunctim liberos suos educare (§. 263.) verum etiam per omnem vitam pro virili ea conferre, quæ possunt, ad hoc, ne desint liberis ea, quæ vitæ necessitas exigit; & quæ ad eam commode ac jucunde transigendam faciunt (§. 736.), bona sua ipsis relinquere debent (§. 975.); verum etiam matrimonium contrahentes saltem tacite sibi invicem promittunt, quod persona una alteram magis amare ac diligere velit, quam alium quemcunque & in præstandis officiis humanitatis ceteris hominibus anteferre, atque ad hoc pars una alteri sese perfecte obligat (§. 468.), immo etiam si conjux unus moriatur, alteri superstiti prospicere debet de iis, quæ post mortem suam eidem ad vitæ necessitatem, commoditatem, immo & jucunditatem faciunt, pro modo facultatum suarum, & quantum per alia fieri potest (§. 1075.). Quoniam itaque nemo non videt officiis hisce parentum erga liberos & conjugis erga conjugem satisfieri non posse, nisi matrimonium perpetuum sit; jure naturali matrimonium utique perpetuum esse debet.

Patet itaque juris naturalis esse, ut matrimonium perpetuam vitæ consuetudinem contineat, nec minus ex demonstratione manifestum est, hic demum loci hoc demonstrari potuisse. Divortia igitur naturaliter respectu conjugum se habent per modum exhæredationis liberorum atque parentum, ita ut, quemadmodum hæc non procedat, nisi ubi sese indignos facto suo reddiderunt liberi jure filiationis, vel parentes jure ipsis competente qua parentibus, ita quoque divortio locus esse nequeat, nisi ubi conjugum pars una sese indignam reddit officiis, quæ pars altera ipsi tanquam conjugi debet, quamvis in statu naturali unicuique permittendum sit, ut pro lubitu matrimonium dissolvat (§. 517.). Toleranda nobis sunt multa in eo, in cujus actiones nobis jus nullum competit, quæ tamen non recte, immo improbe ab eodem fiunt. Absit itaque, ut tibi persuadeas, quæ hic demonstrantur repugnare iis, quæ in superioribus demonstravimus. Relegenda hic sunt, quæ ibidem (*not.* §. *cit.*) annotavimus. Christus itaque quando urget indissolubilitatem vinculi matrimonialis contra divortiorum licentiam, legem naturæ suæ integritati restituit: ut enim matrimonium sit dissolubile, non ex natura matrimonii fluit, sed a facto conjugis venit, quo sese indignum reddit, ut sit conjux.

§. 1079.

De successione liberorum ex illicito concubitu natorum.

Naturaliter liberi ex illicito concubitu nati æquale jus habent ad hæreditatem parentum cum liberis ex justis nuptiis natis. Quoniam enim illicitus parentum concubitus tanquam factum, quod a voluntate liberorum ex eodem natorum minime pendebat, iisdem imputari nequit (§. 650. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ideo naturaliter inter liberos ex illicito concubitu & justis nuptiis natos, utpote qui utrique non sunt liberi nisi quia a parentibus geniti (§. 578.), nulla differentia est. Quamobrem eodem modo patet, quod naturaliter liberi ex illicito concubitu nati æquale jus habeant ad hæreditatem parentum cum liberis ex justis nuptiis natis, quo æquale jus hæreditarium liberorum ejusdem gradus supra demonstravimus (§. 989.).

Naturale igitur non est, quod tantummodo matri succedant. Neque enim est, quod objicias matrem esse certam, sed patrem incertum. Quando enim incertum manet, utrum sis prolis hujus pater, nec ne; ea quoque dici nequit proles tua. Quodsi vero agnoscas eam esse tuam, eadem omnino est ratio, cur tibi succedere debeat, quam quod matri.

BIU Cujas

CAPUT VI.

De Servitute & Societate herili.

§. 1080.

Servitus quid sit. SErvitus est subjectio, qua quis operas perpetuas pro alimentis perpetuis præstare obligatur.

Definimus servitutem, prouti convenit Juri naturæ, prouti ex sequentibus liquet.

§. 1081.

Domini, servi & ancillæ definitio. Qui operas alteri perpetuas pro alimentis perpetuis præstare obligatus est dicitur *Servus*: qui vero alimenta perpetua pro operis perpetuis præstare tenetur & jus hasce exigendi habet, *Dominus* vocatur. Fœmina operas præstans *Ancilla* appellatur. Atque hinc patet, *domino subjectum esse servum atque ancillam* (§. 1989.), consequenter *ei competere potestatem*, seu *jus in servum atque ancillam* (§. 133. 134. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 1082.

Potestas dominica quid sit. Jus domini in servum, vel ancillam dicitur *Potestas dominica*.

Hic itaque nobis demonstrandum est, quale jus domino in servum, vel ancillam competat per legem naturæ. Etsi enim servitus in Jure Romano dicatur Juris Gentium, quatenus apud pleraſque gentes erat usu recepta; non tamen propterea a jure naturæ abhorret, prouti mox ostendetur. Et quamvis in eodem dicatur, eam esse contra naturam; eo ipso tamen non aliud indicatur, nisi quod, cum natura omnes homines sint liberi (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), nemo natura alteri subjiciatur: quo sensu etiam dici poterat, dominia esse contra naturam introducta, cum natura res omnes sint communes (§. 7. *part. 2. Jur. nat.*). Potestas dominica nemini natura competit; jure tamen naturæ non repugnante acquiri potest, prouti ex sequentibus patebit.

§. 1083.

Quænam servitus perfecta & imperfecta. *Servitus perfecta* dicitur, si operæ, quæ perpetuo debentur, determinatæ non sunt, sed eas pro lubitu determinare potest dominus. *Ast imperfecta* est *servitus*, si operæ debentur nonnisi certæ, aut si non debeantur perpetuo, aut non continuo.

Servitutis imperfectæ plurimæ dantur species pro diversitate operarum præstandarum & diverso præstandi modo, nec non pro diversitate modi, quo ad certum tempus restringuntur.

§. 1084.

Diversitas juris domini in servitute perfecta & imperfecta. Unde liquet, *in servitute perfecta dominum a servo exigere posse operas quascunque pro lubitu, in imperfecta* autem *nonnisi certas, aut certo tempore, vel etiam usque ad certum tempus* (§. 1083.).

Plurimum itaque differt potestas dominica in servitute perfecta ab ea, quæ domino competit in imperfecta.

§. 1085.

BIU Cujas

§. 1085.

In communione primæva servituti locus non est. Etenim in primæva communione usus rerum necessarius unicuique patet, prout cuique eodem opus est (§. 27. *part.* 2. *Jur. nat.*), Nemo igitur opus habet, ut operas quasdam pro alimentis hoc est, victu & amictu, præstet, consequenter ob hæc se alteri subjiciat. Quamobrem cum servitus sit subjectio, qua quis ad operas perpetuas pro alimentis perpetuis præstandum obligatur (§. 1080.); in communione primæva servituti locus non est. *An servituti locus sit in communione primæva.*

Absurdum omnino foret præstare alteri operas pro eo, ad quod tibi cum ipso æquale jus competit. Nemo enim alteri præstat operas pro mercede, nisi quia jus ad mercedem operarum præstatione demum acquirit, quod antea nondum habebat, nec sine iis acquirere poterat.

§. 1086.

Introductis dominiis servituti locus est. Introductis enim dominiis jus commune ad res quaslibet, quod cuilibet homini natura competit (§. 7. *part.* 2. *Jur. nat.*), in proprium abiit (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), quo dominus excludit omnes ab usu ejus rei, quæ est in dominio ipsius (§. 120. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quoniam itaque fieri non potest, ut quis habeat per se res omnes, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem requiruntur, ac in multis adhuc indiget aliorum opera (§. 119. *part.* 3. *Jur. nat.*), unicuique competit jus res (§. 126. *part.* 3. *Jur. nat.*) & operas ab alio sibi comparandi (§. 130. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter cum nemo gratis dare vel facere teneatur, si is vicissim dare, vel facere possit (§. 268. *part.* 2. *Jur. nat.*); operas præstare licet, ut alter det. Quamobrem si quis sola operarum præstatione sibi comparare potest ea, quibus ad vitam tolerandam indiget; operas omnino perpetuas pro alimentis perpetuis, hoc est, iis, quibus ad vitæ ac sanitatis conservationem indiget, præstare potest. Subjectio qua quis operas perpetuas pro alimentis perpetuis præstare obligatur, servitus est (§. 1080.). Dominiis itaque introductis servituti locus est. *Quando eidem locus.*

Introductis dominiis operæ quoque hominum juri proprio subjectæ sunt, cum in statu communionis primævæ eædem essent perinde ac res communes, & omnibus laborandum sit communis utilitatis gratia, nemini otiandum (§. 41. *p.* 2. *Jur. natur.*). Equidem in communione primæva locum habet contractus onerosus facio ut facias, & beneficus, in quo unus se alteri obligat ad faciendum (§. 211. *part.* 5. *Jur. nat.*); hoc tamen minime adversatur juri communi ad operas ab altero præstandas. Quemadmodum enim non obstante eo, quod res sint communes, ex apprehensione rei alicujus apprehendenti nascitur jus ad usum hujus rei proprium (§. 35. 36. *part.* 2. *Jur. nat.*); ita ex eo, quod alterum tibi obliges ad quid faciendum, tibi nascitur jus ad hoc factum, seu operam ab altero præstandam proprium, non obstante jure per se communi ad idem factum, seu eandem operam. Et si tu vicissim indiges opera alterius, dum tuam alteri præstas, nil obstat, quod eodem actu alterum tibi quoque obliges ad quid faciendum, quamvis accurate loquendo dici nequeat præstari operas pro operis, tanquam in compensationem operarum sibi præstitarum, quia unusquisque habet natura jus ad operas alterius. Atque hinc facile liquet, dominiis nondum introductis ne concipi quidem posse istiusmodi subjectionem, qua unus uni obligaretur continuas præstare operas gratis.

§. 1087.

Si quis non habeat nisi operas, quarum præstatione sibi comparare valet ea, quæ ad vitæ necessitatem faciunt; jus ipsi est sese alteri, qui hæc dare potest, in servitutem dandi. Quilibet enim homo obligatur ad corpus suum conservandum (§. 349. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum sine victu & amictu, seu alimentis corpus conservari nequeat, introductis autem dominiis res, quibus indigemus, sed quas ipsi non habemus, ab aliis nobis comparare tenemur, nemo tamen gratis dare obligatur, si vicissim quid facere eidem potest alter (§. 268. *part.* 4. *Jur. nat.*); homini omnino jus est sese alteri ea lege subjiciendi, ut operas perpetuas eidem præstare teneatur pro alimentis *An servitus perfecta sit naturaliter licita.*

BIU Cujas

mentis perpetuis (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), consequenter sese, in servitutem dandi (§. 1080.).

Si servitus intra terminos naturales subsistat, quos definitio continet; nihil ea acerbitatis habet. Etsi enim videri possit plus valere operas, quam alimenta, quæ præstantur; quod plus videtur esse in operis abunde compensatur perpetuorum alimentorum certitudine, quam non habent, qui operas diurnas locant. Sane nisi abusus potestatis dominicæ adeo difficulter evitari posset; nil magis iis, qui per operas aliis locandas acquirere debent necessaria vitæ subsidia, commendari poterat, quam servitus.

§. 1088.

De ortu servitutis voluntaria & unde ea vim accipiat.

Si quis se alteri in servitutem sponte dat; ex pacto oritur servitus ac inde vim suam accipit. Etenim si quis sponte sese in servitutem dat, is alteri promittit, quod operas perpetuas præstare velit pro alimentis perpetuis, & alter ipsi vicissim promittit quod alimenta perpetua præstare velit (§. 1080.). Quamobrem cum de eo inter se conveniant (§. 698. *part.* 3. *Jur. nat.*), & conventiones istiusmodi, quæ mutuas præstationes continent, pacta sint (§. 788. *part.* 3. *Jur. nat.*), si quis alteri sese sponte in servitutem dat, ex pacto oritur servitus. *Quod erat unum.*

§. 1089.

Servitus voluntaria & coacta quanam.

Servitus voluntaria dicitur, in quam quis se alteri sponte dat, consequenter quæ ex pacto oritur (§. 1088.). *Servitus* vero *coacta* est, quam quis invitus subire cogitur. Quoniam *quis* se sponte sua in servitutem dare potest, *si non aliter quam operarum præstatione ea acquirere valet, quæ ad vitam conservandam necessaria* (§. 1087.); in eo casu *servitus voluntaria juris naturalis est.*

Non obstat, quod contra naturam servitus esse dicatur introducta, modo recte intelligatur, *quo* sensu contra naturam dicatur (*not.* §. 1082.).

§. 1090.

De jure externo sese in servitutem dandi.

Naturaliter unicuique permittendum, ut se sponte alteri in servitutem det pro lubitu suo. Etenim dominiis introductis operæ, quas præstamus aliis, æquiparantur rebus, quæ sunt in dominio nostro (§. 437. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter de iis non minus pro arbitrio nostro disponere possumus, quam de rebus, quæ in dominio nostro sunt (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Enimvero nemo alteri rationem reddere tenetur actionum suarum (§. 158. *part.* 1. *Jur. nat.*), consequenter nec quomodo de re sua disponat. Quamobrem nec quis rationem cuiquam reddere tenetur, quomodo disponat de operis suis. Quoniam itaque dominium rei suæ pro lubitu in alium transferre potest dominus, quomodo voluerit (§. 11. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*); jus quoque ad operas suas quilibet transferre potest in alium, quomodo voluerit, consequenter etiam sub ea lege, ut perpetua ipsi præstentur alimenta, nec cur hoc faciat cuiquam rationem reddere tenetur, ac ideo ut faciat ipsi permittendum. Enimvero in servitutem se alteri dat, qui jus ad operas suas in perpetuum in eundem transfert ea lege, ut pro iis sibi præstentur alimenta perpetua (§. 1080.). Naturaliter itaque unicuique permittendum est, ut se sponte sua alteri in servitutem det pro lubitu suo.

Quamvis dominus re sua aliter uti non debet, quam ut satisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *p.* 2. *Jur. nat.*); nemini tamen propterea competit jus rerum suarum abusum impediendi; quamdiu nil facit contra jus alterius (§. 169. *p.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem jure externo permittendum quoque est, ut alter abutatur jure, quod habet in operas suas, quamdiu nil committit, quod est contra jus alterius cujusdam. Etsi igitur non recte faciat, si alteri sese in servitutem det, cum alio modo salva libertate sua sibi prospicere possit de iis, quæ ad vitæ

vitæ neceſſitatem requiruntur, ſeu de alimentis; ſi tamen velit in ſervitutem ſe dare, hoc ipſi permittendum eſt, nec cuicquam competit jus hoc impediendi, in ſtatu ſcilicet naturali; de quo hic nobis unice ſermonem eſſe, ex anterioribus abunde liquet.

§. 1091.

Quoniam naturaliter unicuique permittendum, ut ſe ſponte alteri in ſervitutem det pro lubitu ſuo (§. 1090.); *naturaliter* quoque *pro certo pretio ſe alteri in ſervitutem dare*, conſequenter *vendere licet* (§. *part.* 4. *Jur. nat.*), *aut alio quocunque modo alienare* (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*). *An naturaliter liceat ſe vendere, ut alteri ſerviat.*

Mercis loco eſt jus perpetuum in operas pro perpetuis alimentis præſtandas. Quamvis enim alimenta, quæ pro operis præſtantur, ſint loco mercedis, conſequenter ſervitus videatur operarum locatio conductio ad dies vitæ (§. 1208. *p.* 4. *Jur. nat.*); jus tamen, quatenus perpetuum eſſe debet, operas iſtas exigendi certo pretio quo minus comparetur, illud non obſtat, quia a voluntate locatoris operarum pendet, utrum pro certo pretio, an ſine eo perpetuitatem juris exigendi operas in alterum transferre velit, nec ne. Locari igitur poſſunt operæ pro certa mercede, qualis hic ſunt alimenta præſtanda, & vendi poteſt perpetuitas juris operas exigendi, ſeu jus in actiones ſuas liberas, ut fiat emtori proprium. Apud Germanos, *Tacito* autore, erant, qui perditis aleæ luſu bonis, ad poſtremum libertatem ſuam in aleam mittebant, aut res recepturi, aut in ſervitutem ſeſe daturi. Illicitus omnino erat iſtiuſmodi luſus, quatenus tamen jure externo permittendus erat libertatis ſuæ abuſus, jure externo ſervitus quoque ſubſiſtebat, quatenus nimirum ex pacto acquiri poterat ſervitus (§. 1088.). Immo quando quis res omnes perdiderat, in eum ſtatum videbatur redactus, ut nonniſi operarum præſtatione ea, quæ ad vitam neceſſaria, ſibi comparare poſſe videbatur: quo in caſu ipſo jure interno ſeſe in ſervitutem alteri dare licet.

§. 1092.

Si parentes aliter liberis ſuis de iis proſpicere non poſſunt, quæ ad educationem requiruntur; eos in ſervitutem vendere licet. Parentes enim naturaliter obligantur educare liberos ſuos (§. 263.). Quamobrem cum lex naturæ ipſis det jus ad ea, ſine quibus obligationi ſuæ ſatisfacere non poſſunt (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ſi aliter liberis ſuis de iis proſpicere non poſſunt, quæ ad educationem requiruntur, eos in ſervitutem vendere licet. *An parentibus liceat liberos in ſervitutem vendere.*

Non eſt quod excipias, parentibus curæ eſſe debere, ut liberos fortunatos reddant (§. 732.) atque felices (§. 710.): felicitati enim non adverſatur ſervitus, fortunæ autem ipſorum conſulere tenentur parentes, quantum poſſunt (§. 209. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 1093.

Ob æs alienum parentibus liberos in ſervitutem vendere non licet, nec licet marito vendere uxorem. Etenim nec liberi ſolvere tenentur debita parentum, nec uxor debita mariti, cum nemo obligetur ſolvere debita alterius, niſi ad hoc ſe obligaverit, ſeu fidejuſſerit (§. 782. *part.* 4. *Jur. nat.*). Et ex iis, quæ de jure parentum in liberos & jure mariti in uxorem demonſtravimus, facile patet, liberos non eſſe in dominio parentum, nec uxorem in dominio mariti, ut illi de liberis, hic de uxore diſponere poſſint pro lubitu (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem ob æs alienum parentibus liberos in ſervitutem vendere non licet, nec licet marito vendere uxorem. *An ob æs alienum liberos vel uxorem vendere liceat.*

Si quas apud gentes debitores cogantur vendere liberos & uxorem, ubi bona ipſorum ſolutioni minime ſufficiunt; eædem patriam & maritalem poteſtatem dominio perperam æquiparant, quaſi in liberos parentibus, quia dicuntur ſui, & marito in uxorem, quia ſua dicitur, idem jus competat, quod in res ſuas. Dicuntur liberi ſui, dicitur uxor ſua, dicuntur denique res ſuæ, quia parentibus in liberos, marito in uxorem, dominio in res ſuas jus proprium competit

BIU Cujas

petit (§. 131. *part.* 1. *&* §. 2. *p.* 2. *Jur. nat.*) : aſt non omne jus proprium idem eſt, & quamvis dominium ſit jus proprium (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*), non tamen jus proprium omne dominium eſt.

§. 1094.

De ſervitute debitoris,

Creditor debitorem, qui ſolvendo non eſt, in ſervitutem redigere poteſt, donec ſibi operis præſtitis ex aſſe fuerit ſatisfactum. Etenim debitor ſolvere tenetur, quod debet (§. 96. *part.* 3. *&* §. 659. *part.* 5. *Jur. nat.*), nec obligatio debitoris tollitur niſi per ſolutionem, ubi creditor debitum remittere noluerit (§. 660. *part.* 5. *&* 97. *part.* 3. *Jur. nat.*), ad quod is cogi nequit (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quodſi ergo debitor ſolvendo non ſit, ſeu non habeat res, unde ſolvat, ſi tamen adhuc operas præſtare poſſit, quæ plus valent quam alimenta, creditori omnino jus eſt operas haſce exigendi præſtitis alimentis, donec ipſi ex aſſe fuerit ſatisfactum. Quamobrem cum in ſervitutem alterum redigat, qui eum ſibi ita ſubjicit, ut pro alimentis operas præſtare teneatur (§. 1080.); creditor debitorem, qui ſolvendo non eſt, in ſervitutem redigere poteſt, donec ſibi operis præſtitis ex aſſe fuerit ſatisfactum.

Facile patet, pro quantitate debiti debitorem quoque obligari poſſe ad operas perpetuas pro alimentis perpetuis præſtandas, conſequenter redigi in ſervitutem perfectam (§. 1083.). Tanto minus autem acerbum videri poteſt debitorem, qui ſolvendo non eſt, redigi in ſervitutem, quod is in eum ſtatum pervenit, quo ſponte ſua in ſervitutem ſe tradere poteſt (§. 1087.), nec contra charitatem videtur, eum in ſervitutem redigere, ſi præſertim culpa ſua non ſolvendo factus ſit.

§. 1095.

Jus creditoris in debitorem, qui ſolvendo non eſt.

Quoniam creditor debitorem, qui ſolvendo non eſt, in ſervitutem redigere poteſt, donec ſibi operis præſtitis ex aſſe fuerit ſatisfactum (§. 1094.); quilibet vero alteri jus ſuum cedere poteſt (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); *creditor alii ſibi pro debitore ſolvenți eundem in ſervitutem addicere poteſt*, cumque de jure ſuo remittere poſſit, quantum velit (§. *cit.*), aut potius jus debitorem in ſervitutem redigendi, donec ſibi fuerit ſatisfactum, æſtimare poſſit, quantum ipſe voluerit & alius pro eo dare velit, ideo *opus non eſt ut cedenti debitum ex aſſe ſolvat ceſſionarius.*

Nimirum conventio cedentis cum ceſſionario facta non pertinet ad debitorem, qui ceſſionario ad idem obligatur, ad quod obligatus fuerat cedenti (§. 87. *p.* 3. *Jur. nat.*), poterat enim creditor jus ſuum in debitorem gratis cedere, non tamen propterea a debito liberaretur debitor, ut ceſſionario nullas operas præſtare teneretur.

§. 1096.

Quale ſit jus domini in ſervum.

Domino non competit jus niſi in operas a ſervo præſtandas & in actiones ceteras, quatenus reſpectum quendam ad illas habent. Etenim vi ſervitutis ſervus domino non obligatur, niſi ad operas præſtandas (§. 1080.), conſequenter cum ex obligatione ſervi naſcatur jus domini (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*). domino non competit jus niſi in operas a ſervo præſtandas. *Quod erat unum.*

Et quoniam dominus ſervum compellere poteſt ad operas præſtandas, niſi ſponte ſua præſtet, conſequenter etiam permittere non tenetur, ut ſervus faciat, quæ impediunt, quo minus operas debite præſtare poſſit vel quæ proſunt, ut præſtet; domino quoque competit jus in actiones ceteras ſervi, quatenus reſpectum quendam ad illas habent. *Quod erat alterum.*

Quodſi ſervus præſtet operas, quas præſtare debet, dominus ab eo nihil amplius exigere poteſt, conſequenter ſi quid ſervus facit, quod nihil illis detrahit, id dominus ipſi permittere debet.

§. 1097.

BIU Cujas

§. 1097.

Domino competit jus adigendi servum ad operas præstandas. Etenim servus obligatur domino præstare operas (§. 1081.), & jus hoc perfectum est (§. 908. *p.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum jus cogendi contineatur in jure perfecto, nisi alter obligationi suæ satisfacere voluerit (§. 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); domino utique competere debet jus adigendi servum ad operas præstandas. *Jus obligandi servum domino competens.*

§. 1098.

Quoniam *domino* competit jus servum adigendi ad operas debitas præstandum (§. 1097.), si vero is refractarium aut negligentem sese præbuerit, aliter quam minis ac verberibus ad præstandum adigi non possit, quod per se patet; eidem quoque *competit jus servum refractarium aut negligentem ad præstandum operas debitas minis ac verberibus compellendi.* *De coercendo servo refractario & negligente.*

Nullum esset jus domini exigendi a servo operas debitas, si voluntati servorum relictum esse deberet, num & quas præstare velit, ac quomodo. Licita igitur sunt media, sine quibus præstatio operarum etiam ab invito extorqueri non possit. Pertinent ea ad exercitium juris domini, quod sine eo effectu destitueretur. Neque hoc durum videri potest, vel iniquum, cum inobedientiæ, ignaviæ ac negligentiæ dent pœnas, qui obligationi suæ non satisfaciunt, minime autem mala hæc subeant ob servilem conditionem.

§. 1099.

Dominus obligatur servo præstare officia, quæ homo homini naturaliter debet. Etenim per se patet, hominem non desinere esse hominem, quia servilis fit conditionis, seu alteri operas perpetuas pro alimentis perpetuis præstare obligatur (§. 881.). Quamobrem quæ homo homini naturaliter debet, ea quoque, ob immutabilitatem & necessitatem obligationis naturalis (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), dominus servo debet, consequenter eidem officia, quæ homo homini debet, præstare obligatur (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *De officiis humanitatis servo præstandis.*

Dominus servum duplici modo considerare tenetur, tanquam servum, & tanquam æque hominem. Quatenus eum considerat tanquam servum, eidem jus est exigendi operas, ad quas præstandum is ipsi obligatur; quatenus eundem spectat tanquam æque hominem, eidem præstare debet officia, ad quæ homo homini obligatur. Jus illud obligationi huic minime repugnat, sed cum eadem consistere potest: hæc potius exercitium illius dirigit, ne quicquam committatur, quod sit iniquum. Immo si jus domini, seu dominica potestas ab hac obligatione separetur, nec cum ea constanter maneat conjuncta; jus domini in licentiam convertitur, qualis ipsi competere nequit (§. 150. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 1100.

Quoniam *dominus* obligatur servo præstare officia, quæ homo homini naturaliter debet (§. 1099.); ideo *sibi cavere debet, ne in exercendo jure suo quicquam committat, quod officiis istis repugnet, nec servum aliter sibi obligatum existimet, quam officia ista permittunt*, consequenter cum illa eadem sint cum officiis erga seipsum (§. 608. *part.* 1. *Jur. nat.*), *quantum per officia erga seipsum ipsi obligari potuit.* *De potestate dominica rite exercenda.*

Vide, quæ modo annotavimus (*not.* §. 1099.). Hæc si perpenderent domini, ubi servitus in usu est, ea videri minime poterat jugum durum ac intolerabile. Quicquid enim acerbitatis alit servitus, id ex accidente est, quatenus scilicet jus suum in nimium extendit dominus, eoque abutitur; æstimatur autem abusus ex neglectu officiorum illorum, quibus homo homini natura sociatur.

BIU Cujas

§. 1101.

De servo amando & diligendo. Quoniam dominus obligatur servo præstare officia, quæ homo homini naturaliter debet (§. 1099.), homo vero hominem quemcunque amare (§. 619. *part.* 1. *Jur. nat.*) & diligere debet tanquam seipsum (§. 618. *part.* 1. *Jur. nat.*); *dominus* quoque *servum amare ac diligere debet tanquam seipsum.*

Animus itaque domini ita dispositus esse debet, ut voluptatem percipiat ex felicitate servi (§. 633. *Psych. empir*) & constans ac perpetua ipsi esse debet voluntas felicitatem servi promovendi, hoc est, omni studio id agendi, ut etiam servus sit felix, ac cavendi, ne fiat infelix (§. 617. *p.* 1. *Jur. nat.*). Amori huic atque dilectioni minime obstat jus verberibus compellendi servum refractarium ac negligentem ad præstandum operas debitas (§. 1098.). Verbera enim infliguntur ob inobedientiam, ignaviam & negligentiam, quæ inter vitia servi utique referenda. Servum itaque infelicem reddunt propria vitia (§. 406. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), non autem talis efficitur voluntate domini, qui per verbera nil aliud intendit, quam ut servus satisfaciat officio suo, consequenter per ea cavet, ne se reddat miserum ac infelicem, id quod dilectioni convenit, haud quaquam vero eidem repugnat (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*). Nulla in se datur repugnantia inter veritates morales, modo intimius inspiciantur; si qua vero appareat, id inde est, quod, hominibus a veritate recedentibus, omnia confundantur.

§. 1102.

De jure domini in servum quoad actiones liberas promiscue omnes. *Dominus permittere non debet, ut servus sit vitio deditus; sed dare potius operam, ut virtuti studeat.* Etenim vitium hominem reddit infelicem (§. 406. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nec sine virtute is felix esse potest (§. 400. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum dominus servum diligere debeat tanquam seipsum (§. 1101.), consequenter constantem & perpetuam habere voluntatem omni studio id agendi, ut servus sit felix, ac cavendi, ne fiat infelix (§. 617. *part.* 1. *Jur. nat.*); servo quoque permittere non debet, ut sit vitio deditus, sed dare potius operam, ut virtuti studeat.

Quemadmodum itaque servus, qui se in servitutem dat, sive sua sponte (§. 1090.), sive invitus (§. 1092. 1094.), operas suas subjicit voluntati domini (§. 1080.); ita natura eidem subjicit actiones ejus ceteras, quatenus juxta naturæ legem determinandæ.

§. 1103.

Ad quanam dominus servum obligare possit. Quoniam dominus permittere non debet, ut servus sit vitio deditus, consequenter ne faciat, quæ legi naturæ repugnant (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), sed dare potius operam, ut virtuti studeat (§. 1102.), consequenter ut faciat, quæ legi naturæ conveniunt (§. 321. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *domino competit jus præcipiendi servo, quæ legi naturæ conveniunt, & prohibendi, quæ eidem repugnant* (§. 983. *& seqq. p.* 1. *Theol. nat.*), consequenter *jus obligandi servum ut illa faciat, hæc non faciat* (§. 984. 985. *cit.*).

Alio nimirum modo officio suo satisfacere nequit dominus, nisi ad jussum, vel vetationem accedat obligatio, qua servo imponitur necessitas agendi, vel non agendi (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 1104.

Jus puniendi servos & præmio donando. Quoniam domino competit jus obligandi servum, ut faciat, quæ juri naturæ consentanea, & prohibendi, ne faciat, quæ eidem repugnant (§. 1103.), consequenter etiam ut operas debitas præstet (§. 1087. 1090. 1094.), obligatio autem positiva aliter quam sanctione pœnali & præmiorum promissione introduci nequit (§. 301. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *domino* quoque *competit jus puniendi servum ob actus vitiosos & operas*

BIU Cujas

operas neglectas, &, quando e re visum fuerit, præmiis quoque eum invitare potest ad bene & recte faciendum.

Aliud est pœna afficere servum ob operas neglectas, aliud verberibus negligentem stimulare in ipso præstationis actu: nil tamen obstat, quo minus etiam hæc ad pœnam referamus (§. 285. 286. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), cum etiam per hæc verbera non intendatur aliud, quam ut motivum præbeatur negligenti operas præstandi, consequenter ut is ad eas obligetur (§. 118. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quod obligatio naturalis non satis efficax in eodem deprehendatur.

§. 1105.

De officio domini circa alimenta & vestes servorum.

Dominus servo alimenta salubria justa quantitate & vestes aptas ad corpus contra injurias aeris tuendum & ad partes obscœnas velandum dare debet. Etenim servo dominus alimenta dare tenetur pro operis, quas præstat (§. 1081.). Quamobrem cum servus aliter ipsi obligari non potuerit, quam salvis officiis erga seipsum, homo autem uti non debet nisi cibo ac potu salubri (§. 399. *part.* 1. *Jur. nat.*), eoque justa quantitate (§. 402. *& seqq. part.* 1. *Jur. nat.*, utique vestibus ad corpus contra injurias aeris tuendum & partes obscœnas velandum aptis (§. 450. *part.* 1. *Jur. nat.*); dominus servo alimenta salubria justa quantitate & vestes aptas ad corpus contra injurias aeris tuendum & ad partes obscœnas velandum aptas dare debet.

Interest ipsius domini, ut servus sit sanus, siquidem operas ipsi proficuas præstare debeat. Quemadmodum enim jus naturæ utile est (§. 263. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), etsi utilitas non præbeat jus (§. 264. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); ita etiam in servitute ipsa lex naturæ utilitatem domini cum officio erga servum constanter copulat, ut ideo sibimetipsi desit, qui isti satisfacere negligit. Absurdum omnino est eam curam de sanitate servi abjicere, quam in jumentis adhibent omnes, nisi quis insaniat.

§. 1106.

De operas servo exigendis.

Dominus a servo exigere potest operas quascunque, quas præstare valet, nisi aliter conventum fuerit, quantum permittit sanitas corporis. Etenim si de operis præstandis nihil conventum fuerit, servitus perfecta est (§. 1083.), consequenter dominus a servo pro lubitu operas quascunque exigere potest (§. 1084.). Quoniam tamen nemo obligari potest ad id, quod impossibile, seu ultra posse (§. 109. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); dominus quoque a servo operas exigere nequit, quam quas præstare valet. *Quod erat unum.*

Et quoniam servus domino ad præstandas operas obligari nequit, nisi salvis officiis erga seipsum (§. 1100.), servus autem naturaliter in labore assiduus esse non debet, nisi quantum permittit sanitas corporis (§. 537. *part.* 1. *Jur. nat.*); dominus quoque a servo non potest exigere operas, nisi quantum permittit sanitas corporis. *Quod erat alterum.*

Operarum quantitas & qualitas in servitute imperfecta æstimanda est ex pacto, quo servitus contracta; in perfecta vero ex voluntate domini (§. 1083.); non minus tamen pactum, quam voluntatem domini regit lex naturæ, quæ modum in labore servandum determinat (§. 537. *part.* 1. *Jur. nat.*), ita ut promissa non intelligantur, quæ huic repugnant, cum promitti non potuerint (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*), nec libertas domini in imperando tollat obligationem naturalem in se immutabilem (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), qua is servo tenetur (§. 642. 643. *p.* 1. *Jur. nat. &* §. 1100. *h.*). Utrobique igitur habenda est ratio virium ac sanitatis servi, ne operæ exigantur, quæ illas excedunt, hanc destruunt.

BIU Cujas

§. 1107.

Cui servus acquirat. *Quicquid servus per operas suas acquirit, id domini est: si quid vero aliunde acquirit, vel per operas suas horis subsecivis, id naturaliter domini non est.* Etenim dominus servo pro operis præstat alimenta, ut ipsi sint utiles (§. 1080.). Quamobrem si ei mandat operas, per quas aliquid acquiritur; quod per eas acquiritur, domino utique acquiritur. *Quod erat primum.*

Enimvero cum domino non competat jus nisi in operas a servo præstandas, nec in actiones ceteras, nisi quatenus respectum ad eas habent (§. 1096.); ratio naturalis nulla est, cur id domini esse debeat, quod aliunde acquirit. Quamobrem cum ejus esse nequeat (§. 70. *Ontol.*); erit utique servi. *Quod erat secundum.*

Quodsi denique servus horis subsecivis, quibus scilicet voluntate domini a labore vacat, vel quæ penso absoluto supersunt, per operas suas aliquid lucretur; nulla denuo ratio est, cur id domini esse debeat. Quamobrem hoc quoque, quicquid est lucri, manet servi (§. 70. *Ontol.*). *Quod erat tertium.*

Naturale non est, quod servus non sit domini capax, consequenter quicquid eidem quomodocunque obvenit, id domino acquiratur. Nititur hoc falso principio, quasi servi conveniant cum rebus in dominio existentibus & æquiparandi sint jumentis. Quemadmodum nemo humanam naturam exuere potest; ita quoque naturale non est, ut homo accenseatur rebus se moventibus, seu jumentis, & ab his fiat argumentatio ad servum. Repugnat hoc iis, quæ paulo ante demonstravimus (§. 1099.). Improba est opinio eorum, qui existimant servitute hominem detrudi in conditionem jumentorum.

§. 1108.

De peculio servorum. *Peculium servorum* dicuntur res & pecunia, quas servus quomodocunque extra ministerium domini acquirit. Quoniam servi extra ministerium domini sibi acquirere naturaliter possunt (§. 1107.); *servi naturaliter peculium habere possunt*, & quia domino naturaliter nullum jus in ea competit, quæ servus extra ministerium acquirit (§. *cit.*), *peculium ipsorum est pleno jure, seu in rebus peculiaribus aut pecunia peculiari plenum dominium habent* (§. 137. *part.* 2. *Jur. nat.*). Similiter cum ad peculium pertineant, quæ servus quomodocunque extra ministerium domini acquirit; *ad peculium referenda sunt omnia, quæ servo ab aliis donantur, vel legantur, & quæ is jure hæreditario, vel per operas extra ministerium, aut liberalitate domini consequitur.*

Ex his facile judicium fieri potest de iis, quæ circa peculium servorum sint juris naturalis.

§. 1109.

De abusu peculii servo non permittendo. *Dominus permittere non tenetur, ut peculio suo abutatur servus.* Domino enim competit jus prohibendi, ne servus faciat, quæ legi naturæ adversa sunt, eumque obligandi, ne faciat (§. 1103.), immo puniendi, si fecerit (§. 1104.). Quamobrem cum abusus rerum suarum lege naturali prohibitus sit (§. 170. *part.* 2. *Jur. nat.*); dominus quoque permittere non tenetur, ut peculio suo abutatur servus.

Non opus est, ut dicatur, quomodo peculiaribus rebus uti debeat servus. Cum enim sit pleno jure dominus earundem (§. 1108.), iis aliter uti non debet, quam ut satisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *p.* 2. *Jur. nat.*).

§. 1110.

An dominus peculium servi *Dominus peculium servi in rem suam vertere nequit.* Etenim servus in peculio plenum dominium habet (§. 1108.), consequenter dominum omni jure in eodem excludit

BIU Cujas

cludit (§. 120. *part.* 1. *Jur. nat.*). Dominus itaque peculium servi in rem suam vertere nequit. *in rem suam vertere possit.*

Ita ex peculio servi solvere nequit dominus, quæ ipse debet, nec pecuniam peculiarem impendere potest in res sibi comparandas. Quodsi consensu servi hoc fecerit, erit servi debitor, cui idem jus competit, quod ceteris creditoribus. Quamvis hæc paradoxa videantur, si jus Romanum, vel mores gentium spectes, apud quas servitus adhuc in usu est; juri tamen naturæ apprime consentanea sunt, per ea, quæ hactenus demonstravimus.

§. 1111.

Si servus dolo, vel culpa sua, sed sine culpa domini damnum dederit; de peculio, si quod habet, damnum resarciendum; alias nonnisi a domino puniendus. Etenim qui alteri dat damnum dolo, vel culpa sua, id resarcire tenetur (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam servus damnum dolo, vel culpa datum de peculio, si quod habet, resarcire tenetur. *Quod erat primum.* *De damno a servo dato.*

Quoniam tamen factum servi, quo damnum datum sine culpa domini, eidem imputari nequit, cum tum demum imputetur, si quomodocunque a voluntate domini dependeat (§. 650. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); nulla quoque ratio est, cur de damno dolo, vel culpa sua dato, sed sine culpa domini, teneatur ipse dominus. *Quod erat secundum.*

Quodsi servus non habeat peculium, unde damnum resarciri possit, *vi n.* 1. cum dominus de suo idem resarcire non teneatur, *vi n.* 2. nihil supereſt, quam ut servus puniatur (§. 1061. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum domino competat jus puniendi servum ob actus vitiosos (§. 1104.); dominus servum dolo, vel culpa sua alteri damnum dantem punire debet. *Quod erat tertium.*

Quoniam servus domino obligatur ad operas præstandas, interest ejus, ne in puniendo modus excedatur, ne ad illas præstandas vel prorsus inutilis reddatur, vel saltem ad tempus. Quamvis itaque alias in statu naturali cuilibet competat jus puniendi eum, qui ipsum læsit (§. 1061. *part.* 1. *Jur. nat.*). perinde tamen est, sive is puniatur a domino, sive ab eo, qui læsus fuit, nec quicquam committendum contra jus domini (§. 910. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideo qui læsus est, a domino saltem exigere potest, ut ipse puniat. Naturale igitur non est, ut vel ipse damnum resarciat, vel servum noxæ det: immo potius æquitati naturali maxime repugnat, ut dominus ex facto servi, quod nullo modo ipsi imputari potest, damnum aliquod sentiat. Quando autem factum servi domino imputari possit, ut ipse etiam teneatur de damno resarciendo, patet ex iis, quæ alias demonstravimus de imputatione facti alieni (§. 654. *& seqq. part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Ceterum cum diversa sit obligatio damni resarciendi & pœnam patiendi, facile patet, quemadmodum alias, ita hic quoque servum adhuc puniri posse, etiamsi damnum de peculio ejus resarciatur. Pœna enim repetitur ab eo, qui læsit, ut animum lædendi mutet, & ne exemplum ejus sequantur alii (§. 1058. *part.* 1. *Jur. nat.*).

§. 1112.

Dominus servo ægroto non modo alimenta, verum etiam medicamenta & præterea operam dare debet, ut servus sanitati restituatur. Etenim ideo operæ præstantur simpliciter pro alimentis, non facta comparatione utilitatis, quam ex iis percipit dominus, & pretii alimentorum, ut quocunque in casu alimenta certa sint (§. 1080.). Quamobrem etsi servus ægrotus operas præstare non possit, aut saltem non eas, quas præstare poterat sanus; nihilominus tamen dominus adhuc eidem debet alimenta. *Quod erat primum.* *De servo ægroto.*

Quoniam vero servus aliter domino obligari non potuit, nisi salvis officiis erga seipsum & erga alios (§. 1100.), qui vero in morbum incidit, operam dare tenetur, ut sanitati restituatur (§. 413. *part.* 1. *Jur. nat.*), & uti medicamentis, si sine iis sanitas restitui nequeat (§. 415. *part.* 1. *Jur. nat.*), atque prompti conferre debemus ea, quæ ad conservationem sanitatis aliorum, consequenter etiam ad restitutionem amis-

sæ,

BIU Cujas

sæ, conferre valemus (§. 643. *part.* 1. *Jur. nat.*); dominus utique, qui alias operis servi sua culpa careret, operam dare tenetur, ut sanitati idem restituatur, consequenter etiam dare medicamenta, sine quibus eadem restitui nequit. *Quod erat secundum & tertium.*

Quemadmodum interest domini, ut jumentum suum conservetur & ægrotum sanitati restituatur; ita etiam ejus interest, ne servus moriatur, sed sanitati restituatur. Enimvero quod facit dominus, si jumentum ægrotet, utilitate sua motus; id facere debet, servo ægrotante, cum sensu officii sui. Quamobrem hic ostendendum erat, quale sit domini officium, ne existimet liberum ipsi esse, utrum servum perdere ac utilitate quam ex operis ejus sperare potest, carere, an eundem servari malit.

§. 1113.

Quale sit jus domini in actiones servi.

Actiones servi sunt in dominio domini. Etenim dominus non modo servo præcipere potest, ut faciat, quæ legi naturæ consentanea sunt, & prohibere, ne faciat, quæ eidem adversa sunt (§. 1103.), verum etiam operas ab eodem exigere quascunque pro lubitu suo, quas præstare valet, aut saltem eas, de quibus conventum (§. 1106.), & de ceteris ejus actionibus, quæ respectum ad illas habent, prouti sibi commodum visum fuerit disponere (§. 1096.). Quamobrem cum jus disponendi de re pro arbitrio suo sit dominium (§. 118. *part.* 2. *Jur. nat.*); actiones servi sunt in dominio domini.

Vix concipi poterit actio aliqua humana, quæ non certo quodam modo respiciat operas, hoc est, eas, quæ in utilitatem alicujus præstantur. Et quamvis dominus in *determinandis actionibus servi* non recedere debeat a lege naturæ; hoc tamen dominio minime obest, cum nec rebus aliis aliter uti debeat, quam ut satisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *part.* 2. *Jur. nat.*), consequenter rerum quoque suarum usus regulis juris naturæ adstringatur. Sane dum non permittit, ut servus faciat, quæ juri naturæ adversantur; actiones ejusdem contra voluntatem servi sua voluntate determinat, seu ut sibi videtur.

§. 1114.

Quale jus sit potestas dominica.

Potestas dominica imperium est. Etenim domino non competit nisi jus determinandi actiones servorum pro lubitu suo, salva tamen obligatione naturali, ne jure suo abutatur (§. 1096. 1103. 1100.). Quamobrem cum jus determinandi actiones liberas pro lubitu suo dicatur imperium (§. 194.), & jus in servum, vel ancillam potestas dominica (§. 1082.); potestas dominica imperium est.

Consultius fuisset hoc jus appellare *imperium herile*. Quoniam tamen potestatis dominicæ nomen obtinuit, ab hac appellatione recedere noluimus (§. 147. *Disc. prælim.*).

§. 1115.

De subjectione servorum.

Servi subjecti sunt domino. Etenim domino competit imperium in servum (§. 1114.). Quoniam itaque is ei subjectus est, qui imperium in ipsum habet (§. 201.); servi subjecti sunt domino.

Atque hinc patet ratio, cur servitutem definiverimus per subjectionem (§. 1080.). Poterat autem *subjectio servorum* definiri per dependentiam a voluntate domini. Vide, quæ supra annotavimus de subjectione liberorum (*not.* §. 665.).

§. 1116.

BIU Cujas

§. 1116.

Quoniam ſervi domino ſubjecti ſunt (§. 1115.), ſubjectus vero imperanti parere, ſeu obedire obligatur (§. 206.); *ſervi domino obedire debent*, conſequenter cum alteri obediat, qui actiones ſuas ad voluntatem ipſius componit, faciendo ſcilicet, quod fieri vult, & non faciendo, quod fieri non vult (§. 205.); *ſervi actiones ſuas ad voluntatem domini componere debent, facere nimirum, quæ jubet dominus, non facere, quod is prohibet*. Et quoniam ſubjectus inobediens eſſe non debet (§. 208.), *ſervi* quoque *inobedientes eſſe minime debent*, conſequenter cum inobediens ſit, qui actiones ſuas ad voluntatem alterius componere non vult (§. 207.), *non licet ſervo actiones ſuas componere ad ſuam potius, vel tertii cujuſdam, quam ad domini voluntatem, faciendo ſcilicet, non quod dominus vult, ſed vel ipſemet facere mavult, aut ut faciat tertius quidam ipſi ſuadet; vel etiam faciendo, quod dominus non vult, ſeu prohibet, vel quia ipſi lubet, vel quia ſuadent alii.* *De obedientia ſervorum.*

Nihil magis ſervituti contrarium eſt, quam inobedientia, modo domini non præcipiant, quæ legi naturæ manifeſto contrariantur. Tum enim eos obedire non poſſe, & talia a domino nullo jure præcipi, per immutabilitatem obligationis, quæ a lege naturæ venit, abunde manifeſtum eſt (§. 141. 142. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 1117.

Quoniam liber non eſt, cujus actiones dependent a voluntate alterius (§. 152. *part.* 1. *Jur. nat.*), ſervi autem actiones dependent a voluntate domini (§. 1116. *h.* & §. 851 *Ontol.*); *ſervi liberi non ſunt*, conſequenter *quando quis ſervitutem ſubit, libertatem ſuam amittit, & qui ſe in ſervitutem dat, libertatem ſuam in dominum transfert*, conſequenter *eam alienat*. *De libertate per ſervitutem amiſſa.*

Datio itaque ſui in ſervitutem nihil aliud eſt, quam translatio libertatis ſuæ naturalis in alium. Nimirum qui ſe in ſervitutem dat, domini voluntatem loco propriæ ſibi eſſe vult, quaſi propriam nullam haberet. Quemadmodum vero libertas, quæ homini natura competit (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), non tollit obligationem naturalem (§. 159. *part.* 1. *Jur. nat.*), ita quoque in dominium, quando quis ſervitutem ſubit non aliter ea transferri poteſt, niſi ſalva obligatione naturali. Quamobrem nec actiones ſervi in dominio domini eſſe poſſunt, niſi quantum permittit iſta obligatio. Quodſi hæc probe conſideres, protinus evaneſcent nebulæ, quæ offundi poterant circa ea, quæ in anterioribus de jure domini in actiones ſervi demonſtrata ſunt, ac facile præcavetur, ne abuſu idem in licentiam degeneret. Ceterum hinc patet, cur ſtatus ſervitutis opponatur ſtatui libertatis, quem natura habemus.

§. 1118.

Nemini licet alterum invitum ſine juſta cauſa in ſervitutem redigere. Qui alterum in ſervitutem redigit, is libertatem naturalem, conſequenter jus, quod natura habet (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), adeoque connatum (§. 28. *part.* 1. *Jur. nat.*), eidem aufert (§. 1117.). Quamobrem cum jus connatum nemini hominum auferri poſſit (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*), dentur tamen cauſæ juſtæ, ob quas eidem libertatem auferre liceat, dominiis introductis (§. 1092. 1094.), & quoque ſponte quis eandem in alium transferat (§. 1087.); nemini licet alterum invitum ſine juſta cauſa in ſervitutem redigere. *An invitum in ſervitutem redigere liceat.*

Quemadmodum juſtæ dantur cauſæ, ob quas introductis dominiis alterum invitum in ſervitutem redigere liceat; ita adhuc aliæ dantur in ſtatu civili, de quibus hic dicendum non eſt. Quoniam jus omne naſcitur ex obligatione quadam (§. 23. *p.* 1. *Jur. nat.*); juſta cauſa, ob quam quis ſe in ſervitutem dat, aut vel invitus in eam redigitur, conſiſtit in obligatione quadam, cui is, qui ſervitutem ſubit, aliter ſatisfacere nequit (§. 159. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Atque hinc in caſu particulari facile patebit, utrum quis ob juſtam cauſam in ſervitutem redigatur, necne.

BIU Cujas

§. 1119.

De jure alienandi servum.

Dominus servum alienare potest pro lubitu, cui & quomodo voluerit. Etenim dominо competit jus in servum (§. 1081. 1096. *& seqq.*). Quamobrem cum dominus jus suum pro lubitu transferre possit, in quem voluerit (§. 12. *part.* 3. *Jur. nat.*) & quomodo voluerit (§. 11. *part.* 3. *Jur. nat.*); jus quoque in servum pro lubitu transferre potest, in quem & quomodo voluerit. Enimvero jus istud in dominio ipsius est (§. 216. *part.* 2. *Jur. nat.*), & rem alienat, qui dominium, quod in ea habet, in alium transfert (§. 662. *part.* 2. *Jur. nat.*); dominus igitur jus suum in servum, consequenter servum, cui inhæret, & sine quo istud alienari nequit, pro lubitu cui & quomodo voluerit, alienare potest.

Proprie loquendo non tam servi alienantur; quam jus, quod in eos habet dominus. Quoniam tamen jus istud aliter tradi nequit, nisi tradatur servus, in quem idem domino competit; ideo servus ipse alienari dicitur. Probe tamen notandum est, quid proprie alienetur; ne quis putet ipsum servum tanquam rem corporalem alienari, quemadmodum visum est iis, qui potestatem dominicam in nimium extenderunt, quasi de servi quoque substantia domino integrum esset pro lubitu suo disponere, quemadmodum de substantia rei corporalis.

§. 1120.

De jure vendendi donandi legandi & hæredi relinquendi servum.

Quoniam *dominus servum* pro lubitu alienare potest, quomodo voluerit (§. 1119.), eundem quoque *vendere* (§. 937. *part.* 4. *Jur. nat.*), *donare* (§. 48 *part.* 4. *Jur. nat.*), *legare* (§. 1003.) *& hæredi relinquere potest* (§. 964.) *ac ita porro.*

Nimirum quotquot concipi possunt modi alienandi, tot etiam modis servus alienari potest. Et quocunque in casu alienatio licita, vel jure saltem externo valida; in eodem quoque alienatio servi licita, vel jure saltem externo valida. Quamvis enim servi perperam æquiparentur rebus, quæ sunt in dominio; quatenus tamen jus in eos alienari nequit, sine ipsorum traditione, in alienando spectari possunt tanquam res, consequenter quæ de alienatione rerum passim demonstrata sunt, ea ad alienationem *servorum* recte transferuntur.

§. 1121.

Manumissio quid sit & quomodo fiat.

Dominus *servum manumittere* dicitur, si libertatem suam eidem restituit. *Manumissio* itaque est actus, quo dominus libertatem suam servo restituit. Quoniam servus liber est, quamprimum jus domini in eum extinguitur (§. 1080. 1081.), jus autem domini extinguitur, quamprimum id remittit (§. 97. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter quando declarat, se nolle, ut servus sibi præstet operas pro alimentis, seu ad eas præstandas sibi amplius sit obligatus (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat. &* §. 1080. *h.*); *naturaliter servus manumittitur, si dominus declarat, seu sufficienter indicat, se nolle, ut servus sibi amplius obligatus sit ad operas præstandas pro alimentis*, consequenter *etiam si eundem expellit.*

Naturaliter ad manumissionem non requiritur sufficiens voluntatis domini significatio, quocunque modo facta. Quod enim sufficienter indicat, id contra ipsum pro vero habetur (§. 427. *part.* 3. *Jur. nat.*). Mere civilia sunt, quæ de diversis manumittendi modis traduntur in Jure Romano.

§. 1122.

An naturaliter licita.

Manumissio naturaliter licita nisi fiat in præjudicium servi. Servus enim manumittitur, quando dominus declarat, se nolle, ut servus sibi amplius obligatus sit ad operas pro alimentis præstandas (§. 1121.), consequenter si jus suum in eum remittit (§. 95. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quamobrem cum quilibet jus suum remittere possit, quamdiu

BIU Cujas

diu nil fit contra jus tertii (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*), consequenter contra jus servi exigendi a domino alimenta, manumissio naturaliter licita, nisi fiat in præjudicium servi.

Ingens beneficium est, si, qui servire cogitur, manumittatur, ut ideo plerumque manumittantur volentes. Et si quis vel maxime manumittatur, cujus interest, ut habeat certitudinem alimentorum perpetuorum; si operas adhuc præstare possit, ac servire potius, quam libertate frui malit, is se alteri in servitutem dare potest. Erit tamen adhuc beneficii loco, quod, cum dominus eum vendere posset (§. 1120.), gratis eidem libertatem restituerit, ut, si se ipsum vendere velit, pretium lucretur. Quamobrem nec hoc in casu quicquam fit contra jus servi, quod manumissionem illicitam efficeret. Facile autem patet, casum istum referendum esse inter eos, qui, etsi existere possint, raro tamen existunt.

§. 1123.

Quoniam servum manumittere non licet, si id fiat in præjudicium ipsius (§. 1122.), id vero fit, si manumittitur, quando vel morbo impeditus, vel ob defectum virium ætate ingravescente operas præstare amplius nequit (§. 1080. 1112.); *dominus servum manumittere nequit, si vel morbo impeditus, vel ob defectum virium ætate ingravescente operas amplius præstare nequit.* *Quando illicita.*

Tum demum nimia foret servitutis acerbitas, qua alias caret, quamdiu intra terminos libertatis naturalis subsistit (*not.* §. 1087.), si dominus servum ægrotum, vel ob ætatem provectam manumittere posset. Immo manifesta foret injustitia, si servitus a pacto originem trahit.

§. 1124.

Domino in servum jus vitæ ac necis naturaliter non competit. Etenim servus domino aliter obligari nequit, quam salvis officiis erga seipsum & erga alios (§. 1100.). Quamobrem cum nemini seipsum vita privare liceat (§. 353. *part.* 1. *Jur. nat.*), & nemo alterum occidere debeat (§. 743. *part.* 1. *Jur. nat.*), ne quidem volentem (§. 745. *part.* 1. *Jur. nat.*); domino quoque in servum jus vitæ ac necis naturaliter competere nequit. *An domino competat jus vitæ ac necis in servum.*

Quando quis servitutem subit, libertatem suam amittit, & ea in dominum transfertur (§. 1117.). Libertas non tollit obligationem naturalem (§. 159. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem nec in dominum transferri potest, nisi hac salva, & quia homini non competit dominium in vitam suam (§. 351. *p.* 1. *Jur. nat.*); nec dominus, qui acquirit jus in servum, quod is natura in seipsum habet, jus vitæ ac necis in eundem acquirere valet. Et quamvis ipsi competat jus puniendi servum refractarium & negligentem (§. 1104.), ne scilicet in posterum se amplius refractarium & negligentem præbeat (§. 287. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), cum tamen emendari nescium expellere possit, & raro admodum eo usque procedendum sit, ex jure puniendi jus vitæ ac necis derivare non licet. Sane qui servum occidit; jure suo exigendi operas sibi utiles perinde excidit, ac si eundem expellit; nec expulsum facile in servitutem recipiet alius, etiamsi sese alteri in eandem dare velit, quia non habet, unde sibi de alimentis prospicere possit.

§. 1125.

Dominus *in servum sævire* dicitur, si dura verbera jugiter ferat in servum in præstandis operis licet assiduum & ob non præstitas operas nimias, aut solo odio sine ulla ejus culpa, vel alio quodam modo nimis duriter tractet. *Quid sit sævitia domini.*

§. 1126.

Servo ob nimiam domini sævitiam aufugere licet, vel etiam si alimenta sufficientia dare detrectet: alias aufugere non licet. Etenim si dominus sævit in servum, dura *Quando servo aufugere liceat.*

BIU Cujas

verba jugiter in eum fert, quamvis sit in operis præstandis assiduus, easque operas præstet, quas præstare valet, quod vero nimias præstare nequeat, vel etiam solo odio sine ulla ipsius culpa verberibus afficit, aut alio modo nimis duriter tractat (§. 1125.). Quamobrem cum servus domino non obligetur nisi quantum per officia erga seipsum eidem obligari potuit (§. 1100.), laborem autem nimium nimisque gravem vitare debeat (§. 519. *part.* 1. *Jur. nat.*); domino quoque jus nullum est eundem verberandi, vel alio modo duriter tractandi, propterea quod operas non præstiterit, quas præstare non potest: multo minus vero hoc facere potest, si in labore se assiduum præstet, aut solo odio. Quoniam itaque nulla ratio est, cur servus hoc pati teneatur, non vero aliter sibi consulere potest, quam si aufugiat; ob nimiam utique sævitiam domini aufugere licet. *Quod erat primum.*

Quoniam servus operas domino præstare obligatur pro alimentis, consequenter sub hac conditione, ut alimenta præstentur (§. 1080.), nec aliter ipsi obligari potuit, quam officia erga seipsum permittunt (§. 1100.), consequenter ut ea ipsi detur alimentorum quantitas, quæ corpori conservando sufficit (§. 403. *part.* 1. *Jur. nat.*); si dominus servo operas suas debite præstanti non det alimenta sufficientia, nec ad eas præstandas eidem obligatur. Quamobrem cum aliter nisi fuga sibi consulere queat; fugere licet. *Quod erat secundum.*

Enimvero si servus sine justa causa aufugeret, domino auferret pro mero lubitu suo jus, quod in ipsum habet, & se liberare vellet ab obligatione, qua ipsi tenetur (§. 1081.). Quoniam itaque nemo alteri invito jus suum auferre potest (§. 336. *part.* 2. *Jur. nat.*), nec seipsum liberare ab obligatione sua (§. 674. *part.* 3. *Jur. nat.*); servus quoque pro lubitu suo aufugere nequit. *Quod erat tertium.*

Hæc probe notanda sunt, ut pateat, quid jure positivo statuendum sit, ne quicquam committatur vel a domino, vel a servo, quod injustum est, vel iniquum.

§. 1127.

De manumissione liberorum a parentibus venditorum.

Si liberi ob inopiam a parentibus in servitutem venditi, dominus eos manumittere tenetur, ubi sumtus educationis ei restituerint una cum pretio emtionis. Etenim parentibus non licet liberos in servitutem redigere, nisi eos vendant inopia sumtuum in educationem faciendorum (§. 1092.), consequenter eos vendere non potuerunt nisi sub tacita hac conditione, si sumtus educationis & pretium, quo emti sunt, restituere nequeant. Quamobrem si domino restituantur sumtus, quos in educationem fecit, & pretium, quod dedit, cum emeret; iis libertatem suam restituere, consequenter eosdem manumittere tenetur (§. 1121.).

Manumissio hæc necessaria est, cum non pendeat a voluntate domini. Æquitati autem naturali maxime convenit. Nulla culpa sua, nec voluntate sua in servitutem redacti sunt. Nulla igitur ratio est, cur privari debeant libertate, natura ipsis competente (§. 146. *p.* 1. *Jur. nat.*). Neque tamen etiam dominus sentire debet damnum, qui pretium parentibus non solvit, nec sumtus in educationem fecit, nisi spe operarum sibi utilium præstandarum, nec emit, nisi quod licite emere poterat (§. 1092.). Quamobrem ipsi refundendi sunt sumtus in educationem facti & pretium, quo emit, restituendum. Hoc pacto nihil committitur, quod sit vel contra jus liberorum in servitutem redactorum, vel contra jus domini, ne damnum ipsi detur (§. 495. *part.* 2. *Jur. nat.*); sed utrique tribuitur, quod suum esse debet.

§. 1128.

De servitute eorum, qui in conditione servili nascuntur.

Ex ancilla natus naturaliter servilis conditionis est, donec sumtus educationis & si quid præterea interest, restituantur, nisi pater, vel alius suo sumtu liberum educare velit. Etenim ancilla non habet, unde sumtus in educationem partus sui facere possit, cum per operas suas domino saltem acquirat (§. 1107.). Quoniam itaque dominus eos facere tenetur, ac præterea carere operis, quas mater præstare propter hunc partum

tum ſuum impedita fuit; perinde omnino eſt, ac ſi mater eum domino in ſervitutem venderet ob inopiam. Quamobrem cum hoc facere liceat (§. 1092.); ex ancilla natus naturaliter ſervilis conditionis eſt. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi quis ob inopiam a parentibus in ſervitutem fuerit venditus, dominus eum manumittere tenetur, conſequenter ei libertatem reſtituere (§. 1121.), ſi ſumtus educationis una cum pretio emtionis reſtituantur (§. 1127.). Quamobrem etiam ex ancilla natus non tenetur eſſe ſervilis conditionis, niſi donec ſumtus educationis & ſi quid præterea intereſt domino reſtituantur. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi pater, vel alius infantem natum velit educare liberum; ceſſat ratio, cur is in ſervitutem tradi poſſit (§. 1092.). Quamobrem cum libertas, jus quod natura habet (§. 146. *part.* 1. *Jur. nat.*), præter voluntatem ſuam eidem auferri non poſſit (§. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*); ſi quis partum ex ancilla natum ſuo ſumtu liberum educare velit, is conditionis ſervilis naturaliter eſſe non debet. *Quod erat tertium.*

Quicunque alteri ſervit, vel voluntate ſua ſervit, vel quia ſervire velle debet, veluti quando a parentibus ob inopiam venditus factum parentum approbare tenetur, aut quatenus ob æs alienum, quod ſolvere debebat, ſed non poterat, in ſervitutem redactus operas domino præſtare velle debet, quia velle debet ſolvere. Libertas itaque proprie loquendo non adimitur ſervo, ſed is vi libertatis ſuæ eandem exercet per alium, nempe dominum. Liberum vero eſt unicuique jus ſuum exercere vel per ſe, vel per alium, prout ipſi viſum fuerit. Atque ita patet, quod obiter alias indicavimus (*not.* §. 64. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quæ hic opponi poterant de ſervis pœnæ, vel captivis in ſervitutem redactis, de iis diſpiciendum erit ſuo loco.

§. 1129.

De conjugio ſervorum.

Si ſervus cum ancilla paciſcatur, quod liberos procreare velint; pactum hoc naturaliter juſtum matrimonium eſt. Etenim pactum maris cum fœmina de prole procreanda & educanda matrimonium eſt (§. 270.). Quamvis itaque ipſimet ſumtus in educationem liberorum facere nequeant, cum tamen liceat liberos natos domino in ſervitutem tradere, ut eos educet ſuo ſumtu (§. 1092.); hoc minime obſtat, quo minus etiam educationis cauſa pactum fuerit initum, parentibus educationi proſpicientibus, quantum datur. Naturaliter itaque pactum ſervi cum ancilla de liberis procreandis initum juſtum matrimonium eſt.

Quod igitur Romani *contubernium ſervile* a juſtis nuptiis diſtinxerint, mere civile eſt. In Jure autem naturæ ratio nulla eſt, ut conjugium hominum liberorum a conjugio ſervorum diſtinguatur. Cumque ſervitus nihil acerbitatis habeat, ſi intra terminos æquitatis naturalis ſubſiſtatur (*not.* §. 1087.), nec propterea illicita pronunciari poteſt, aut iniqua, quod liberi ſervilis eſſe debeant conditionis, niſi ſumtus educationis & quod præterea intereſt reſtituere poſſint (§. 1087.).

§. 1130.

De domino, qui inteſtatus decedit, vel hæredem inſtituit ſervum.

Si dominus inteſtatus decedit, nec ipſi extiterit hæres ab inteſtato, ſervus fit liber. Erit idem etiam liber, ſi dominus ipſum hæredem in teſtamento inſtituerit. Quodſi enim dominus inteſtatus decedat, nec ipſi hæres ab inteſtato extiterit, bona ejus fiunt res nullius (§. 700. *part.* 6. & §. 313. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem etiam jus, quod in ſervum habebat (§. 1081.) & in bonis ejus continebatur (§. 451. *part.* 2. *Jur. nat.*), nullius fit. Quamprimum itaque nemo exiſtit, cui illud competere poſſit; ſui juris fit ſervus, & per conſequens liber fit (§. 135. *part.* 1. *Jur. nat.*). *Quod erat unum.*

Quodſi ponamus ſervum in teſtamento hæredem inſtitui; is in omne domini jus ſuccedit (§. 958.), conſequenter etiam in jus, quod in ſe habuerat dominus (§. 1081.). Fit igitur denuo ſui juris, conſequenter liber (§. 135. *part.* 1. *Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Alia in caſu poſteriori ratio redditur & reddenda erat in jure Romano, quia iſto jure hæres

BIU Cujas

nes instituì non poterat servus, ut hæreditatem sibi acquireret, nisi esset liber. Voluntas igitur manumittendi in testatore præsumebatur. Ast in nostro jure præsumtione ista opus non est, prouti ex demonstratione liquet.

§. 1131.

Herus & hera, famulus & famula.

Qui alicui certas operas ad certum tempus pro alimentis & certa mercede locat, *Famulus* dicitur, & earum conductor *Herus*. Similiter fœmina locans pari modo operas, vocatur *Famula*; fœmina autem, quæ famulum, vel famulam conducit *Hera*.

Ubi servitus in usu non est, vel abrogata, quemadmodum apud nos; famulis utimur & ad alias operas diurnas operariis.

§. 1132.

Unde æstimari debeat jus & obligatio illarum personarum.

Quoniam famuli & famulæ operas suas pro alimentis & certa mercede locant heroatque heræ (§. 1131.); *omne jus heri & heræ, famulorum & famularum, omnes quoque earundem personarum obligationes, quibus sibi invicem tenentur, ex contractu locationis conductionis æstimari debent.*

Alia igitur longe ratio est famulorum & servorum, alia quoque dominorum & herorum. Neque adeo ad heros transferenda sunt omnia, quæ de dominis fuerunt demonstrata; nec ad famulos, quæ demonstrata sunt de servis.

§. 1133.

An societas inter ipsas contrahatur.

Pactum, quod inter herum vel heram & famulos atque famulas initur, societas est. Etenim hoc pacto herus, vel hera se obligat famulis ad certam mercedem & alimenta præstandum, famuli autem & famulæ vicissim sese obligant ad certas operas præstandas ad certum tempus (§. 1131.), consequenter conjunctis viribus utilitati communi convento modo prospicere volunt. Quamobrem cum pactum de fine quodam conjunctis viribus consequendo societas sit (§. 1.); pactum, quod inter herum, vel heram & famulos atque famulas initur, societas est, aut, si mavis, dum herus, vel hera, famulos atque famulas conducunt, & famuli ac famulæ hero, vel heræ operas locant, societas inter has personas contrahitur.

Omnis societas pro fine habet utilitatem quandam nonnisi unitis viribus obtinendam, qualem etiam in hac societate adesse nemo non per se videt. Non obstat, quod famuli & famulæ operas suas locent hero, vel heræ, & herus, vel hera eas conducat: locatio enim conductio tantummodo respicit modum, quo societas ista contrahitur. Quando enim futuri socii paciscuntur, inter se conveniunt de operarum locatione ac conductione, seu de modo, quo sibi invicem obligati esse debent, nimirum quod obligati esse velint per modum locatoris ac conductoris operarum, ut adeo contractus locationis conductionis sit norma juris atque obligationis in hac societate (§. 1132.).

§. 1134.

Societas herilis quænam sit.

Societas herilis dicitur, quæ inter herum, vel heram & famulos atque famulas intercedit.

Nomen hoc in philosophia dudum receptum retinere debuimus, nec sine ratione ad societatis notionem reduximus locationem conductionem operarum famulorum & famularum; cum ea, quæ de societate in genere demonstrata fuerunt, ad herum quoque & heram, famulos & famulas applicanda sint: id quod in locatione conductione operarum, vel ad certum quoddam opus restrictarum non obtinet.

§. 1135.

BIU Cujas

§. 1135.

Societas herilis naturaliter licita, seu juris naturalis est. Etenim introductis dominiis homines sibi invicem obligantur ad dominia transferenda & ad operas communicandas (§. 123. *part.* 3. *Jur. nat.*), & unicuique competit jus res, consequenter & operas (§. 437. *part.* 2. *Jur. nat.*), ab alio sibi comparandi (§. 126. *part.* 3. *Jur. nat.*), nemo autem alteri gratis dare, vel facere tenetur, si is vicissim dare, vel facere possit (§. 268. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem cum in societate herili famuli & famulæ hero atque heræ præstent operas certas ad certum tempus, modo convento, & herus atque hera ipsis vicissim præstent alimenta & certam mercedem (§. 1131. 1134.); illi sibi comparant ea, quæ ad conservationem sui necessaria sunt, hi vero operas, quibus vel ad vitæ necessitatem, commoditatem aut jucunditatem indigent, consequenter societas herilis naturaliter licita est (§. 170. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). *An sit juris naturalis.*

§. 1136.

Famuli & famulæ imperfectam servitutem subeunt. Etenim hero sese obligant ad operas certas ad certum tempus præstandas pro alimentis & certa mercede (§. 1131.). Quamobrem cum servitutem imperfectam subeant, qui sese alteri ad certas operas ad certum tempus præstandum obligant (§. 1083.); famuli & famulæ imperfectam servitutem subeunt. *Quales sit servitus famulorum & famularum.*

Si servitus intra terminos æquitatis naturalis subsistat, nec jus domini in licentiosum dominium convertatur, famulorum & famularum conditio a servili non differt, nisi in eo, quod ipsorum operæ magis sint restrictæ, nec perpetuo præstandæ, quemadmodum in servitute perfecta (§. 1083.). Immo etiam ea, quæ pro operis famulis præstantur ab hero, vel hera, magis determinata sunt, nec in iis tam liberum est heri, vel heræ arbitrium, quemadmodum in servitute perfecta. Unde facile patet, multo meliorem esse famulorum & famularum conditionem, quam servorum & ancillarum. Patet autem porro, quatenus ea, quæ de servis & dominis in anterioribus demonstrata fuerunt, etiam ad famulos & heras applicari possint.

§. 1137.

Famulus promte ac diligenter facere debet, quæ ab hero pacto convenienter imperantur, aut quæ certo tempore facienda esse per se novit. Etenim famulus obligatur hero ex pacto (§. 1132.). Quamobrem cum pacta sint servanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*); si qua pacto convenienter imperet herus, ea facere tenetur. *Quod erat primum.* *Officium famuli.*

Et quoniam non a voluntate famuli pendet, utrum facere velit, nec ne (§. 118. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); prompte facere debet, quæ herus imperat. *Quod erat secundum.*

Quia vero negligentia culpa est (§. 758. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*), culpa autem omnis vitanda (§. 299. *part.* 1. *Jur. nat.*), & qui negligens esse non vult, diligens sit necesse est (§. 757. *p.* 1. *Phil. pract. univ.*); famulus diligenter facere debet, quæ ab hero imperantur. *Quod erat tertium.*

Enimvero cum ex pacto constet, quænam operæ a famulo sint præstandæ, si quæ certo tempore facienda sunt, ea per se novit famulus, consequenter non opus est, ut demum imperentur. Quamobrem cum famulus ea præstare debeat, quæ ex pacto debet; si quæ certo tempore facienda esse per se novit famulus, ea præcise injussus facere debet. *Quod erat quartum.*

Pacto inesse intelliguntur, quæ moribus consentanea sunt; ideo enim de iis diserte non convenitur, quia per se nota supponuntur. Absit itaque, ut tibi persuadeas, jus heri nimium restringi, quo famulum non ultra id sibi obligare potuit, quam ipse eidem obligari voluit.

§. 1138.

BIU Cujas

§. 1138.

De negotiis famuli propriis.

Famulus tempore, quo heri negotia obeunda sunt, sua curare nequit, nisi domino consentiente; ab iis autem liber propria curare potest. Etenim famulus operas suas locavit hero, ut iisdem utatur in commodum suum (§. 1131.), & eas diligenter exequi debet, ad quæ ex pacto tenetur (§. 1137.). Quamobrem cum negotia domini negligantur, si famulus sua curare velit, quando illa obeunda sunt, nec is præstet, quæ debet, si hoc faciat; famulus eo tempore, quo heri negotia obeunda sunt, sua curare nequit *Quod erat primum.*

Quoniam tamen quilibet jus suum remittere potest (§. 117. *part.* 3. *Jur. nat.*); herus quoque permittere potest famulo, ut eo tempore, quo negotia sua obire debebat, negotium quoddam suum curet. Quamobrem si herus consentiat, ut faciat hoc famulus, facere potest. *Quod erat secundum.*

Denique si quo tempore nullas operas hero præstare tenetur, cum heri non intersit, quid eo tempore faciat famulus, quid facere velit libertati ipsius relictum est, consequenter propria negotia curare potest. *Quod erat tertium.*

Nullum damnum sentit herus, si famulus tempus in utilitatem suam collocet, quo a negotiis heri liber est. Et præstat tempus utiliter collocari, quam otiari.

§. 1139.

De damno a famulo dato.

Si famulus negligentia, vel malitia damnum dederit; id hero resarcire tenetur. Quilibet enim resarcire tenetur alteri damnum, quod culpa, vel dolo dedit (§. 580. *part.* 2. *Jur. nat.*). Quamobrem cum negligentia culpa sit (§. 758. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), & malitia ad dolum referatur (§. 705. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); famulus quoque negligentia, vel malitia datum hero damnum resarcire tenetur.

Suadent tamen rationes particulares, ne culpa quævis famulis imputetur, consequenter ne herus nimium rigidus sit in reparatione damni exigenda. Rationes autem istæ suasoriæ ad prudentiam pertinent (§. 257. *part.* 1. *Jur. natur.*), ad quam cum naturaliter obligemur (§. 258. *part.* 1. *Jur. nat.*), illæ ab hero utique attendendæ sunt. Jus externum moderatur prudentia, ne ab interno recedat, & ne conscientiæ vim inferamus illius rigore.

§. 1140.

De jure obligandi famulum.

Hero competit jus famulum obligandi ad faciendum, quod intra conventum modum imperare potest. Quoniam enim famulus hero obligatur ex pacto ad certas operas præstandum (§. 1131.), jus ipsius, quod huic obligationi respondet, perfectum est (§. 908. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum jus perfectum conjunctum sit cum jure cogendi alterum, si obligationi suæ satisfacere noluerit (§. 235. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); si famulus præstare nolit, ad quæ præstanda ex pacto obligatur, vel in iis negligentem sese præbeat, hero competit jus pœnis obligandi eundem ad ea præstanda (§. 301. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam tamen herus famulo imperare nequit nisi intra conventum modum (§. 1132.); illi quoque tantummodo competit jus hunc obligandi ad faciendum, quod intra conventum modum imperare potest.

Jus hoc in famulis non adeo late patet, quemadmodum in servis, cum pactum possit dissolvi, si famulus idem servare nolit, prouti mox ostendetur.

§. 1141.

BIU Cujas

§. 1141.

Famulus heri commoda, & herus vicissim famuli salutem data occasione promovere debet. Quamvis enim in societate quadam in specie fuerit conventum, quid a quolibet sociorum fieri debeat; hoc tamen non obstante si data occasione aliud præterea facere quis possit, quo commune bonum promovetur, is ad hoc faciendum obligatur (§. 14.). Quodsi ergo occasio sese offerat, quo famulus heri commoda, vel vicissim herus famuli salutem promovere possit; ad hoc faciendum uterque obligatur. *De mutuis commodis promovendis.*

Officia, quæ homo homini debet naturaliter, famulus quoque hero & herus famulo debet. Quamvis itaque obligationes heri atque famuli æstimari debeant ex contractu (§. 1132.); non tamen per hoc tolluntur obligationes naturales. Virtutis utique heri est præstare ea, quæ ex pacto non debentur, sicuti justitiæ, quæ ex eodem debentur; non tamen ideo ea negligenda, quæ hero famulum & herum famulo commendant, præsertim cum stimulus sint faciendi ea, quæ exigi possunt, lubentius ac diligentius, nisi degeneres fuerint cujusdam mores. Amor ille universalis, qui animos hominum unit, ut ad promovendam communem felicitatem sint proni, heri quoque & famulorum animos jungit, ut in mutua commoda ferantur. Is vero ubi abfuerit, societas quoque herilis non attinget eam perfectionem, quam habere debebat.

§. 1142.

Si famulus non præstet, quæ præstare debet; herus eum ante diem dimittere potest: alias non licet. Eidem ante diem discedere licet famulo, nisi herus a pacto recedat. Etenim cum pacta sint servanda (§. 789. *part.* 3. *Jur. nat.*), famulus autem locaverit operas ad certum tempus (§. 1131.); nec ante diem conventum herus famulum dimittere, nec famulus hero invito discedere potest. *Quod erat unum.* *An ante diem famulus dimitti, vel discedere possit.*

Enimvero si pacta mutuas præstationes continent, & unus pactiscentium præstare nolit, quod debet, alter a pacto recedere potest (§. 827. *part.* 3. *Jur. nat.*). Quodsi ergo famulus non præstet, quæ præstare debet, herus eum dimittere, & si herus quocunque modo a pacto recedit, famulus quoque discedere potest. *Quod erat alterum.*

Utriusque jus, tam heri, quam famuli, nascitur ex pacto (§. 1131.), ex eo æstimandum (§. 1132.). Quamobrem non magis licet hero dimittere famulum, quam famulo discedere. Nulla ea in re inæqualitas est, licet societas herilis alias sit societas inæqualis.

§. 1143.

Finito tempore, ad quod societas herilis contracta, societas quoque herilis finitur. Famuli enim non minus, quam heri jus omne ac obligatio omnis æstimatur ex pacto (§. 1132.). Quamobrem cum societas herilis ad certum tempus contrahatur (§. 1131.), ultra istud tempus nec famulus hero, nec herus famulo amplius obligatur, consequenter & jus utriusque extinguitur. Societas itaque herilis finitur. *Quando societas herilis finitur.*

Quoniam pacta renovari possunt, vel expresse, vel tacite; societas quoque herilis ultra tempus conventum mutuo heri ac famuli consensu prorogari potest: quod absque ulteriori demonstratione facile patet.

§. 1144.

Quoniam finito tempore, ad quod societas herilis contracta, eadem finitur (§. 1143.); *finito tempore contractus nec herus famulum invitum retinere, nec famulus hero sese diutius obtrudere potest*, consequenter *herus famulum volentem dimittere, famulus jussus discedere tenetur.* *Effectus finitæ societatis.*

BIU Cujas

Facile patet, societatem herilem inter hunc herum & hunc servum finiri, licet ea quoad herum subsistat, quatenus alium famulum in eam recipit, priori dimisso.

§. 1145.

De hero vel famulo non obtrudendo intra tempus contractus.

Intra tempus contractus nec herus famulo herum, nec famulus hero famulum alium loco sui obtrudere potest. Etenim famulus se obligavit ad servitia præstanda huic hero, nec ipsi perinde est, cui hero eadem præstet, ac similiter herus sibi obligavit hunc famulum ad præstanda servitia, non vero ipsi perinde est, num ab alio præstentur (§. 1131.), famulo nimirum in contrahendo qualitatum heri, & hero qualitatum servi, quæ utrobique personales sunt, rationem habente. Quamobrem arbitrio heri relictum non est, ut intra tempus contractus famulo herum obtrudat, nec simile quid arbitrio famuli relictum (§. 199. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum omne jus tam heri, quam famuli metiendum sit ex contractu (§. 1132.); nec herus famulo herum, nec famulus hero famulum alium loco sui intra tempus contractus obtrudere potest.

Magis tamen personales sunt operæ, quas hero debet famulus, quam alimentorum & mercedis præstatio, quæ hero incumbit. Quamobrem difficilius hero famulus, quam famulo herus obtruditur.

§. 1146.

De famulo commodando,

Herus famulum ad aliquot dies alteri commodare potest. Etenim si herus carere velit operis, vel servitiis famuli in gratiam alterius per aliquot dies, famulo autem perinde sit, sive ea, quæ hero præstare tenebatur, alii præstet, sive hero suo per istos dies; nihil omnino obstat, quo minus herus usum juris sui gratis concedat alteri per aliquot dies. Quamobrem cum herus famulum suum alteri commodet ad aliquot dies, si hoc faciat (§. 418. *part.* 4. *Jur. nat.*); eum alteri ad aliquot dies commodare licet.

Quale tum sit jus commodatarii, ne famulus habeat, de quo conqueratur, ex iis facile intelligitur, quæ de commodato demonstravimus suo loco.

CAPUT VII.

De Domo.

§. 1147.

Domus quid sit.

Domus dicitur societas composita ex conjugali, paterna & herili, vel saltem ex binis. Illa *perfecta* est; hæc vero *imperfecta*. Unde patet, *imperfectum componi vel ex conjugali & paterna, vel ex conjugali & herili, vel ex paterna & herili.*

Non una est ratio, cur domus saltem ex duabus subinde societatibus componatur: sed in rationes istas inquirere non est hujus loci.

§. 1148.

Paterfamilias & Materfamilias quinam dicatur.

Eadem persona, quæ in societate conjugali maritus, in paterna pater, in herili herus appellatur, in domo dicitur *Paterfamilias*. Et quæ in societate conjugali uxor, in paterna mater, in herili hera vocatur, *Materfamilias* audit.

In domo imperfecta, quæ ex societate paterna & herili componitur, deest vel paterfamilias & materfamilias; quod levi attentione patet.

§. 1149.

BIU Cujas

§. 1149.

Domesticos communi nomine appellare lubet liberos & famulos atque famulas simul sumtos, quatenus sunt membra minus digna domus. Sit ita, quod subinde nomen hoc tantummodo ad famulos atque famulas restringatur, subinde vero etiam ad omnes extendatur, qui nobiscum in eadem domo habitant. *Domestici quinam dicantur.*

Quemadmodum nimirum vocabulum domus hic tanquam terminus technicus in peculiari quodam significatu sumitur (§. 1147.); ita eidem convenienter quoque accipienda est vox domesticorum, quæ inde derivatur.

§. 1150.

In domo non omnia membra eadem habent jura & iisdem tenentur obligationibus; sed singulorum obligationes & jura metienda ex fine societatis simplicis, cujus sunt membra. Etenim domus componitur ex pluribus societatibus simplicibus (§. 1147.) & quæ in eadem domo sunt personæ manent earundem membra. Quamobrem cum tot dentur fines diversi, quot dantur societates simplices (§. 3.), & in singulis societatibus sociorum obligationes & jura metienda sint ex fine societatis (§. 10.); personarum omnium, quæ in eadem domo sunt, non eadem sunt jura, nec eædem obligationes; sed singulorum jura & obligationes metienda sunt ex fine societatis simplicis, cujus sunt membra. *De jure & obligatione singulorum in domo.*

Nullus finis societatis simplicis per hoc mutatur, quod plures in unam compositam coalescant. Singula igitur membra societatis compositæ manent adhuc membra societatum simplicium & eorum jura ac obligationes subsistunt, quæ ex finibus simplicium derivantur. Quatenus tamen unam compositam constituunt, necesse est, ut hinc quoque nascantur quædam jura & obligationes, quæ prioribus accedunt & de quibus hic potissimum agendum.

§. 1151.

Quoniam *in domo* non omnium membrorum eædem sunt obligationes, sed uniuscujusque obligatio metienda est ex fine societatis simplicis, cujus est membrum (§. 1150.); *unusquisque agere debet, quod suum est, sibique cavere, ne alteri quomodocunque impedimento sit, quo minus aliqua ex parte officio suo satisfaciat.* *Officium eorum, qui sunt in una domo.*

Ideo, quia membra diversarum societatum simplicium sunt in eadem domo, actiones illorum fiunt a se invicem dependentes, & frequens emergit occasio, qua unus ad alterius actiones concurrere potest. Hinc facile contingit, ut salus unius societatis simplicis periclitetur, non quod membra alterius non faciant, quod suum est, sed quod vel dolo, vel culpa sua a recto tramite membra alterius avocent: id quod non minus facto quodam negativo, quam positivo contingere potest. Ita consortium cum famulis corrumpit mores liberorum & connivencia heri eos reddit inobedientes patri & eorum ab hoc animos alienat.

§. 1152.

Finis domus & societatis compositæ cujuscunque est, ut conjunctis viribus eorum, qui sunt membra societatum simplicium, salus societatum simplicium rectius promoveatur. Quoniam enim omnis societas finis cujusdam causa contrahitur, quatenus conjunctis viribus obtinendus (§. 1.); societas quoque composita finem quendam sibi propositum debet. Enimvero composita coalescit ex pluribus simplicibus (§. 5.), quarum unaquæque suum habet finem sibi propositum (§. 1.), & plures hi diversi fines in composita conjunctim intenduntur (§. 6.). Quamobrem in societate composita, consequenter etiam in domo (§. 1147.), alius finis intendi nequit, quam ut fines societatum simplicium, *De fine domus & societatis compositæ in genere.*

BIU Cujas

plicium, consequenter earundem salus (§. 11.) conjunctis viribus rectius promoveatur.

Non est, quod objicias, necessitatem parere compositionem, quia paterfamilias est membrum omnium societatum simplicium, per quem adeo societates diversæ uniuntur. Hoc enim minime obstat, ut unio fiat cum ratione sufficiente. Et quemadmodum jus naturæ regit omnes actus humanos; ita etiam regere debet unionem societatum simplicium ad constituendam unam compositam: neque enim unio ita fieri debet, ut societates simplices aliquod patiantur detrimentum, quin potius ita eam fieri convenit, ut in singulas aliquid commodi inde redundet.

§. 1153.

Quomodo societas composita contrahatur.

In societate composita, consequenter & in domo, societates singulæ simplices, ex quibus ea coalescit, spectantur tanquam personæ singulares societatem contrahentes eo fine, ut conjunctis viribus finis singularum rectius promoveatur. Etenim societatis compositæ, consequenter etiam domus (§. 1147.), membra sunt societates simplices, ex quibus ea coalescit (§. 5.), & salus omnium societatum simplicium, quatenus conjunctis viribus rectius obtineri potest, est finis illius (§. 1152.). Quamobrem cum quælibet societas simplex, dum in unam compositam plures coalescunt, suum retineat finem, cujus causa ipsa inita (§. 6.), & ex quo uniuscujusque peculiaria nascuntur jura & obligationes peculiares (§. 10.), persona autem moralis per jura & obligationes, quæ eidem conveniunt, concipiatur (§. 70. *part.* 1. *Jur. nat.*); in societate composita, consequenter & in domo, societates singulæ simplices, ex quibus ea coalescit, spectantur tanquam personæ singulares societatem eo fine contrahentes, ut conjunctis viribus salus singularum rectius promoveatur.

Patet hinc per hoc, quod ex societatibus simplicibus componatur aliqua societas, actiones membrorum societatis simplicis unius referri ad finem societatis simplicis alterius, quatenus non impeditus progressus ad eum consequendum, hoc est, salus ejusdem (§. 11.), ab illis sive positiva, sive negativa quadam ratione dependet.

§. 1154.

De tacita obligatione eorum, qui in societatem simplicem, quæ composita membrum est, recipiuntur, & eorum jure.

Quoniam in societate composita, & per consequens in domo, societates simplices, ex quibus ea coalescit, spectantur tanquam personæ singulares societatem eo fine contrahentes, ut conjunctis viribus salus singularum rectius promoveatur (§. 1193.); *quando quis fit membrum societatis simplicis, quæ compositæ cujusdam & per consequens domus membrum est, eo ipso tacite quoque se obligat, quod salutem singularum simplicium, quantum datur, promovere velit,* cumque ex obligatione passiva oriantur jura (§. 23. *part.* 1. *Jur. nat.*), *tacite etiam consequitur jura obligationi isti respondentia.*

Atque hinc patet fons jurium & obligationum in societate composita, quæ, dum simplex expresso pacto initur, tacite contrahitur.

§. 1155.

De imperio in domo.

Naturaliter patrifamilias & matrifamilias conjunctim competit imperium in domo: possunt tamen inter se ita convenire, ut patrifamilias soli competat partim per se, partim per matremfamilias exercendum, & ut ita conveniatur, consultum est. Etenim domus componitur ex societatibus conjugali, paterna atque herili, aut saltem ex duabus (§. 1147.). Enimvero naturaliter in societate conjugali mutuum est conjugum imperium (§. 488.), in paterna imperium competit matri & patri conjunctim (§. 661. 662.) & in herili hero ac heræ (§. 1131. 1140.). Quamobrem cum in domo paterfamilias sit, qui maritus in conjugali, pater in paterna, herus in herili, materfamilias autem, quæ uxor in illa, mater in ista, hera in hac (§. 1148.), liberi vero & famu-

BIU Cujas

& famuli ac famulæ ſint illæ perſonæ, quibus imperatur; naturaliter imperium in domo conjunctim competit patrifamilias & matrifamilias. *Quod erat primum.*

Enimvero non modo uxor imperium conjugale omne in maritum transferre poteſt, immo etiam in ceteras actiones quaſcunque (§. 489. , &, ubi moribus id introductum, in hoc conſenſiſſe intelligitur uxor, dum matrimonium contraxit (§. 493.), & quando tunc parentum imperia inter ſe contendunt, patris imperium præferendum (§. 680.), id quod etiam alias conveniri poteſt (§. 682.), ac eundem in modum idem intelligitur de imperio in famulos & famulas; ita omnino paterfamilias & materfamilias inter ſe convenire poſſunt, ut illi ſoli imperium competat, cum tamen ſolus commode non exercere id poſſit, partim per ſe, partim per matremfamilias exercendum. *Quod erat ſecundum.*

Denique quod conſultum ſit, ut ita conveniatur, exinde facile colligitur, quod alias, ſi vota patrisfamilias & matrisfamilias inter ſe contendant, jure nihil agatur, & nonniſi contentionibus materia ſuppeditetur, ut diſcordia illorum ſalus domus periclitetur, immo liberi plerumque magis vereantur patrem, quam matrem, & famuli ac famulæ magis patremfamilias, quam matremfamilias, ut alia taceamus. Quamobrem cum lege perfectiva obligemur ad id, quod melius eſt, præferendum (§. 192. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); eidem omnino convenit, ut patrifamilias ſoli competat imperium partim per ſe, partim per matremfamilias exercendum. *Quod erat tertium.*

Qui contendunt patrifamilias naturaliter competere imperium in domo, nullam ſententiæ ſuæ rationem ſufficientem afferre poſſunt; ſed quod moribus convenit pro jure naturæ venditant. Sed hæc abunde patent per ea, quæ in ſuperioribus de ſocietate conjugali, paterna atque herili demonſtravimus.

§. 1156.

Paterfamilias & materfamilias de adminiſtratione imperii inter ſe convenire poſſunt. Naturaliter enim ipſis conjunctim competit imperium in domo & inter ſe convenire poſſunt, ut patrifamilias ſoli competat partim per ſe, partim per matremfamilias exercendum (§. 1155.). Quamobrem cum conſtare debeat, quid per ſe facere velit paterfamilias, & quænam eſſe debeant partes matrisfamilias; de adminiſtratione inter ſe convenire poſſunt. *De adminiſtratione imperii domeſtici.*

Ubi moribus definitum, quænam ſint patrisfamilias, quænam vero matrisfamilias partes, in id conſenſiſſe videntur, niſi expreſſe aliter convenerint. Sunt ſane alia, quæ rectius per virum, alia vero, quæ rectius per mulierem expediuntur. Quamobrem facile patet, quænam matrifamilias ſint demandanda, quænam vero patrifamilias reſervanda. Et ſi fuerint concordes, quemadmodum eſſe debent conjuges (§. 496.); nihil in diviſione imperii difficultatis occurret (§. 132.).

§. 1157.

Domus ſuas habere debet leges mutuo patrisfamilias & matrisfamilias conſenſu determinandas, niſi quatenus de imperio & adminiſtratione ejus ſpecialiter quid fuerit conventum. Domus enim ſocietas eſt (§. 1133.). Quamobrem cum quælibet ſocietas ſuas habere debeat leges (§. 46.); domus quoque leges ſuas habere debet. *Quod erat primum.* *De legibus domeſticis.*

Enimvero leges regulæ ſunt, juxta quas actiones liberæ determinantur (§. 131. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque jus determinandi actiones liberas alterius pro lubitu ſuo imperium eſt (§. 194.) & naturaliter imperium in domo patrifamilias & matrifamilias conjunctim competit (§. 1155.); leges in domo determinandæ ſunt utriuſque conſenſu. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi tamen de imperio ipſo vel ejus adminiſtratione ſpecialiter quid fuerit conventum,

BIU Cujas

ventum, cum pacta sint servanda (§. 789. *part. 3. Jur. nat.*), in ferendis quoque legibus eadem sunt observanda. *Quod erat tertium.*

Quoniam tamen socius unus pati non tenetur, ut socius alter faciat, quæ saluti societatis repugnant (§. 25.), leges vero præscribunt media, quibus finis societatis obtinetur (§. 49.) & sine quarum custodia salus societatis subsistere nequit (§. 50.); potestas legislatoria patrisfamilias & matrisfamilias per se communis non ita uni relinqui potest, ut a voluntate alterius sit prorsus independens.

§. 1158.

Vigilantia quid sit. *Vigilans* dicitur, qui ad omnia, quæ fiunt, diligenter attendit, ne scilicet quid facile notitiæ ipsius subtrahatur. Hinc *Vigilantia* est diligentia animum attendendi ad omnia, quæ fiunt, & quæ nosse interest.

Vigilantia quando ad animum refertur, ea potissimum respicit, quæ ab aliis fiunt, quæ nosse interest, ut officio nostro satisfaciamus, nec quid fiat, quod a nobis permittendum non est, ne fine intento excidamus.

§. 1159.

De vigilantia patrisfamilias & matrisfamilias. *Paterfamilias & materfamilias in domo vigilantes esse debent.* Etenim in domo unusquisque agere debet, quod suum est, sibique cavere, ne alterum quomodocunque impediat, quo minus aliqua ex parte officio suo satisfacere possit (§. 1151.). Cumque sine legum domesticarum custodia salus domus obtineri nequeat (§. 1157.); non permittendum, ut qui in domo est faciat, quæ legibus istis adversantur. Quoniam itaque paterfamilias & materfamilias imperium in domo habent, aut saltem conjunctim exercent (§. 1155.); eorum quoque est ad omnia, quæ fiunt in domo, diligenter attendere, ut constet, num singuli agant, quod suum est, nec quicquam committant, quod ullo modo impediat, quo minus alius officio suo rite defungatur, & num leges domesticas sancte custodiant. Quamobrem cum vigilantes sint, ubi hoc fecerint (§. 1158.); paterfamilias & materfamilias in domo vigilantes esse debent.

Vigilantia virtus est patrisfamilias & matrisfamilias in domo propria & sine qua salus domus vix ac ne vix quidem consistere potest, quacunque tandem cura eidem prospiciant. Sed quæ ad praxin spectant, ea non sunt hujus loci.

§. 1160.

De conservanda autoritate patrisfamilias & matrisfamilias. *Patrisfamilias curæ esse debet, ut in matrefamilias hæreat autoritas. Et eadem cura esse debet matrisfamilias respectu patrisfamilias. Utrique autem curæ esse debet, ne propriam autoritatem imminuant.* Etenim paterfamilias & materfamilias imperium in domo conjunctim habent, aut saltem exercent (§. 1155.). Quamobrem cum obvia experientia constet in administratione imperii domestici plus valere autoritatem, quam rationem; necesse omnino est, ut tam matrisfamilias, quam patrisfamilias autoritas plurimum valeat. Quamobrem utrique curæ esse debet, ne non modo propriam autoritatem imminuant, verum etiam ut hæreat autoritas in altero.

Non opus est, ut a priori prolixius demonstretur, quantum interfit ut plurimum valeat in domo tam patrisfamilias, quam matrisfamilias autoritas, cum ubivis prostent exempla, quæ manifesto loquuntur, quomodo salus domus periclietur, immo subvertatur, si illa contemnatur, & quomodo saluti domus consulatur, si illa tanta fuerit in domo, quanta esse debet. Ut hoc obtineatur, multa profecto prudentia opus est, quam circumspecta experientia plurimum juvat.

§. 1161.

BIU Cujas

§. 1161.

Quoniam *materfamilias* patrisfamilias auctoritatem conservare debet (§. 1160.); *domesticis, hoc est, liberis ac famulis præsentibus* (§. 1149.), *patrisfamilias non contradicere, multo minus loqui, vel facere debet, quæ contemtum eidem afferunt, nec adversus eum partes liberorum aut famulorum, vel famularum agere, sed privatim monere, si qua cum ratione monenda habeat. Ac idem* ex eadem ratione *observandum est a patrefamilias* (§. 1160.). *Quid eo sit. ne tenendum.*

Omittimus alia brevitatis causa ob eam, quam modo diximus (*not.* §. 1160.), rationem.

§. 1162.

Patrisfamilias ac matrisfamilias provide prospiciendum, ne liberorum mores per famulos & famulas, nec vicissim famuli ac famulæ per illos corrumpantur. Etenim in domo unusquisque sibi cavere debet, ne alterum quomodocunque impediat, quo minus aliqua ex parte officio suo sati faciat (§. 1151.), cumque paterfamilias ac materfamilias vigilantes esse debeant (§. 1159.), ipsorum quoque est diligenter attendere, ne vel ab iis, qui in societate herili sunt, societati paternæ, vel ab iis qui in paterna sunt, societati herili impedimentum istiusmodi afferatur. Provide igitur prospicere debent, ne liberorum mores per famulos & famulas, nec vicissim famuli atque famulæ per liberos corrumpantur. *De cura in domo, ne liberi per famulos & hi per illos corrumpantur.*

In domo societas conjugalis, paterna & herilis coalescunt in unam (§. 1147.), quæ eo fine contracta intelligitur, ut societatum istarum simplicium salus conjunctis viribus rectius promoveatur (§. 1153.). Quamobrem si ea, quæ ad singulas istas societates pertinent, separaveris ab iis, quæ domo propria sunt, præcipua cura domestica huc redit, ne qui sunt in societate una impedimentum quoddam adferant, quo minus finis alterius obtineatur, sed ut contrarium potius eveniat.

§. 1163.

Quoniam *paterfamilias & materfamilias* provide prospicere debent, ne liberi per famulos & famulas, nec famuli ac famulæ per liberos corrumpantur (§. 1162.); *ideo permittere minime debent, ut liberi implicentur familiaritatibus famulorum & famularum, nec ut liberi in famulos & famulas, vel hi vicissim in illos jus quoddam sibi arrogent.* *Quæ ideo præcavenda.*

Quanta inde emergant damna, quanta nascantur tædia, si contrarium fiat, adeo obvium est, ut de iis disertius dici non sit opus. Paucis autem multa diximus: quænam vero sub iis comprehendantur, experientia magistra facile addiscuntur.

§. 1164.

Qui in eadem domo sunt, quævis officia humanitatis data quacunque occasione sibi invicem præstare debent. Naturaliter enim officia quævis humanitatis homo homini præstare obligatur, quantum datur (§. 609. 655. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque qui in eadem domo sunt tanquam socii (§. 1147.) sibi invicem magis commendantur (§. 1157.), quatenus conjunctis viribus ad communem integræ domus salutem promovendam obligantur; quævis etiam officia humanitatis data quacunque occasione sibi invicem præstare debent. *Quomodo qui in eadem domo sunt ergæ invicem se gerere debeant.*

Vide, quæ supra (*not.* §. 1141.) annotavimus. Ceterum arctior illa unio, quæ eorum est, qui in eadem domo sunt, facit, ut in casu collisionis præferendi sint extraneo, nisi singularis quædam ratio fortior contrarium urgeat. Sane ipsa etiam salus domus exigit, ne officia humanitatis sibi invicem denegent, quæ unus alteri præstare potest. Ita enim magis uniuntur animi, ex quorum unione plurimum commodi in ipsam domum resultat.

Finis Partis VII. Juris Naturæ.

CON-

BIU Cujas

CONSPECTUS
PARTIS SEPTIMÆ
JURIS NATURÆ

CAPUT PRIMUM.

DE Imperio ac Societate in genere. pag. 1

CAPUT II.

De Societate conjugali, seu Matrimonio. 80

CAPUT III.

De Cognationibus & affinitatibus. 184

CAPUT IV.

De Societate paterna. 211

CAPUT V.

De Testamentis & successione ab intestato, seu jure hæreditario. 330

CAPUT VI.

De Servitute & Societate herili. 374

CAPUT VII.

De Domo. 394

FINIS CONSPECTUS.

INDEX

BIU Cujas

INDEX
VERBORUM, ET RERUM PRÆCIPUARUM,
In quo Numeri Paragraphos denotant.

A

Abavia. 576
Abavus. *ibid.*
Abdicatio liberorum. Definitio. 987. an naturaliter licita. 988
Abnepos. 578
Abneptis. *ibid.*
Acceptatio num post mortem transferentis fieri possit. 991
Acquisita a conjugibus cujusnam sint. 426
Actiones legi naturæ adversæ, si a parentibus fuerint præceptæ, quando liberis imputari nequeant. 674
Actiones liberorum quamdiu a parentibus regendæ. 659. quando sint in dominio parentum. 676
Actiones servi num sint in dominio domini. 1113
Actiones sociorum certo modo determinandæ. 45
Adjutorium. Definitio. 140
Adjutorium mutuum. Definitio. *ibid.* quinam sibi invicem præstent. 141
Adnepos. 578
Adneptis. *ibid.*
Adolescentia. Definitio. 644
Adoptati educatio num patri naturali adhuc curæ esse debeat. 806
Adoptio. Definitio. 783. effectus. 784. qua lege fieri debeat. 786. 787. quid naturaliter proprie sit. 808. num fiat per educationem. 784. num requirat parentum consensum. 801. num pacta eidem adjici possint. 802. num perimat jura naturalia filii. 798. quinam finis per eam intendatur. 792
Adoptionis species singulas. 790
Adoptio privigni num licita. 788. quemnam habeat effectum. 789
Adulterium. Definitio. 318. quando committi nequeat. 327. quando non committatur cum uxore aliena. 326. num committi possit cum propria uxore. 325. quomodo matrimonio ad erstetur. 320. num dissolvat matrimonium. 511. & seqq.
Adulterium committens num injuriam faciat conjugi alteri. 322. 323
Adulterium duplicatum. Definitio. 318. quomodo matrimonio adversetur. 321
Adulterium simplex. Definitio. 318
Ætates liberorum diversæ. 644
Ætas nimis provecta num causa inhabilitatis tutoris. 861
Ætas virilis. 644
Affinium nomina. 610
Affinitas. Definitio. 607. quomodo contrahatur. 607. an detur inter cognatos utriusque conjugis. 609. num per sponsalia contrahatur. 627. num per adulterium. 628. 629
Affinitatis gradus. 609
Agnati in linea recta. Definitio. 563. quomodo ad se invicem referantur. 564
Agnatio. Definitio. 562
Agnitio Dei liberis mature insinuanda. 700
Agnitio partus. Definitio. 540. quando pater teneatur partum agnoscere. 540
Agnitio partus ex stupro. 542
Alimenta num liberis debeantur a parentibus. 640. quando parentibus a liberis. 755. quod debeantur servo. 1105
Alienatio rerum mobilium pupilli tutori injuncta. 871
Actus venerei. Definitio. 248. num illiciti. 246
Amita. 601
Amita magna. *ibid.*
Amita major. *ibid.*
Amita maxima. *ibid.*
Amitinæ. 596
Amitini. *ibid.*
Amor conjugum mutuus præceptus. 465. quem producat effectum. 466
Amor liberorum præceptus. 715
Amor naturalis fœtus sui. 257. quamdiu duret. 258
Amor parentum præceptus. 739
Amoris cum dilectione necessarius nexus. 464.
Ancillæ partus num sit servilis conditionis. 1128

BIU Cujas

Androgyni. Definitio. 279
Appetitus sensitivus parentum qualis esse debeat respectu liberorum. 711
Aptitudo naturalis ad procreandam sobolem. 236
Arctitudo cognationis fratrum atque sororum. 595
Arctitudo nimia mulieris num impediat matrimonium. 276
Arrogatio. Definitio. 783. quid naturaliter, proprie sit. 808. num fieri possit absque parentum consensu. 803
Arrogatio imperii in invitum num sit licita. 195
Arrhæ sponsalitiæ. Definitio. 393. quemnam habeant usum. 396. num ad sponsalia contrahenda requirantur. 394. quomodo dentur. 397. quomodo datæ intelligantur, si nihil expresse de iis conventum. 398. quando in iis dominium non transferatur. 399. quando consummato matrimonio restituendæ. 400. quando in pœnam imputentur. 405. quando simul sint munus sponsalitium. 401
Arrhæ sponsalitiæ nomine quænam res dari possint. 402
Atavia. 576
Atavus. *ibid.*
Avia. *ibid.*
Avunculus. 601
Avunculus magnus. *ibid.*
major. *ibid.*
maximus. *ibid.*
Avus. 576

B

Beneficia parentibus in liberis præstanda. 834. reddenda. 835
Bigamia universalis num sit possibilis. 301
Bona num filiæ nubenti restituenda. 922
Bona quando liberis a parentibus restituenda. 765
Bona fortunæ ut liberi consequantur, num parentes studere debeant. 729. quænam hic illicita sint. 730. quænam circa ea parentum cura. 731
Bona liberorum quatenus subsint juri parentum. 757. num alienare liceat. 758
Bona mariti quando pro bonis uxoris obligata sint. 945. num ab uxore administrari possint. 441
Bona pupilli & curandi quando restituenda. 912
Bona receptitia. Definitio. 532. an fructus eorum in onera matrimonii impendendi. 533. an juri naturæ conveniant. 534
Bona uxoris num a marito administranda. 441. num naturaliter detur inter ea differentia quædam. 927
Boni scientia quamprimum liberis instillanda. 689
Bonorum administratio cuinam in matrimonio competat. 441
Bonorum verorum & apparentium discrimen quando liberis insinuandum. 689

C

Cælebs num adoptare possit. 795
Calculus Minervæ. Definitio. 84. quando ei sit locus. 85
Castitas. Definitio. 251
Castitas conjugum præcepta. 311
Castus a quibusnam abstineat. 252. quod quilibet homo esse debeat. 253
Conjuratus. Definitio. 275. num matrimonium contrahere possit. *ibid.* num adoptare possit. 796
Ceremoniæ nuptiales. Definitio. 501. quemnam habeant finem. *ibid.*
Certitudo prolis. 539
Cognati ab utroque latere. Definitio. 562
Cognati in linea recta. Definitio. 563. quomodo ad se invicem referantur. 564
Cognati ordinis inferioris. Definitio. 574. quinam sint in linea recta. 578. eorum numerus in quovis gradu indeterminatus. 579
Cognati ordinis superioris. Definitio. 574. quinam sint. 576. numerus eorum in linea recta. 577
Cognati propiores. Definitio. 569
Cognati remotiores. Definitio. *ibid.*
Cognatorum conjugis unius ad alterum conjugem relatio. 606
Cognatorum obligatio ad mutua beneficia. 836
Cognatorum collateralium nomina, qui a patruo, avunculo, amita & matertera descendunt. 603
Cognatus proximus. Definitio. 569
Cognatio. Definitio. 562. unde ejus diversitas oriatur. 567. an oriatur ex concubitu illicito. 605. ejus species in linea de-

BIU Cujas

descendente. 580. in linea obliqua inæquali diversitas. 598. & gradus. 599. ejus vinculum diversum inter eos, qui descendentibus meis collaterales sunt. 602
Cognatio collateralis, sive *a latere*. Definitio. 590. qualis sit in gradu æquali. 592. qualis in inæquali. 599
Cognatio directa. Definitio. 572
Cognitio rerum, ad quam liberi perducendi. 648
Cohabitatio conjugum num sit juris naturæ. 423
Collaterales. Definitio. 590. quomodo in familia eadem constituantur. 591. quatenus sibi invicem specialiter obligentur ad officia humanitatis. 1009. quid de hisce officiis præsumendum. 1010
Collateralium ordo in diversarum familiarum gradibus. 604
Commodatio uxorum num sit illicita. 291. an adulterium. 319
Communi bono adversa num in societate permittenda. 21
Communio bonorum an in matrimonio sit juris naturalis. 439
Communicatio uxorum. Definitio. 298. an juri naturæ repugnet. 290. an sit adulterium. 319
Communio uxorum. Definitio. 285. an naturaliter licita. 286. an polyandriæ species. 287. an sit jus. 288. quod excludat adulterium. 327
Comprivigni & comprivignæ num sint inter se affines. 624
Concluſum. Definitio. 74. num & quando mutari possit. 113. quando unius dissensu irritum effici possit. 126. quando dissensu plurium. 127
Concluſum justum, vel *legitimum*. Definitio. 128
Concluſum per majora, vel *plurima vota* num imputari possit dissentientibus. 119. quibusnam imputetur. 229. an ceterorum quis se eidem opponere possit. 124. 125. quando ei præferri possit, quod placuit minoribus. 14
Concordia. Definitio. 132
Concordia conjugum. 496. omnium hominum. 146. sociorum præcepta. 136
Concubitus quatenus appetendus 139. quinam illicitus. 240. quando adversus stupratorem probandus. 543. quomodo probetur. 544
Concubitus cum fœmina mortua an sit illicitus. 314
Concubitus cum pellice an sit adulterium. 333
Concubitus promiscuus. Definitio. 267. an sit licitus. 268
Conjuges. Definitio. 304. quibusnam acquirant. 426. unius factum num imputari possit alteri. 548. quinam plus acquirere debeat. 425. unus num puniri possit propter factum alterius. 549. num debitum alterius solvere teneatur. 551. num rem suam alienare possit in præjudicium alterius. 455. quamnam curam alterius gerere debeat. 460. num alterum in officiis humanitatis præstandis præferre debeat aliis. 463. 613. an alterum hæredem instituere possit. 1076. num ad concubitum sibi invicem obligentur. 398
Conjugum amor mutuus præceptus. 465. ejus effectus. 466
Conjugum cohabitatio an legi naturæ conveniat. 423
Conjugum dilectio mutua præcepta cum qua prærogativa. 462. 463
Conjugum jus in deliberando. 481
Conjugum œconomia communis in quo consistat. 424. num sit juris naturæ. 423
Conjugum promiſſio mutua in quo consistat. 305
Conjugum unio qualis sit. 469. ejus effectus. 470
Connubii adjutores num uxor permittente marito habere possit. 292
Consensus liberorum uniendorum num ad unionem prolium requiratur. 820
Consensus parentum num ad contractum & donationem liberorum minorennium requiratur. 770. 771. num ad eorum adoptionem. 801. arrogationem. 803. sponsalia. 954. nuptias. 953. an a liberis ad nuptias impetrandus. 955. quando in hoc casu recte denegetur. 956
Consensus patris adoptivi num in educatione adoptati a patre naturali requirendus. 807
Consensus tutoris honorarii ad alienationem prædii pupilli num requirendus. 881
Consilium patris adoptivi num in educatione filii adoptivi a patre naturali requirendum. 807
Consobrinæ. Definitio. 596
Consobrini. Definitio. *ibid.*

BIU Cujas

Consoceri. Definitio. 610. num sint inter se affines. 611
Consociatio. Definitio. 610. num sint inter se affines. 611
Consuetudo vitæ. Definitio. 471. an communionem bonorum requirat. 472. num conjuges ad eam obligentur. 473
Consuetudo cum improbis non permittenda liberis. 697
Consultatio quando repetenda. 97
Contractus pupillorum & curandorum quando invalidi. 897
Contristatio parentum prohibita. 748
Copula carnalis. Definitio. 309. quem pariat effectum juris. 630. si accedat ad sponsalia pura. 377. si ad conditionata. 415. si ad posteriora. 379
Creditor num debitorem in servitutem redigere possit. 1094
Crimen onaniticum quodnam dicatur. 248
Culpa societatis in expediendo negotio commissa. 235
Cura, Curatio, Curatela. Definitio. 842. quando ea non sit opus. 843. quando finiatur. 905. 906. 908
Curæ administratio quænam requirat. 898. quando finiatur. 907
Cura conjugis unius ab altero gerenda. 460
Cura in domo, ne liberi per famulos & famuli per liberos corrumpantur. 1162. 1163
Cura salutis societatis. 16. quando eidem satisfiat. 17
Curandus num sine curatoris consensu se obligare possit. 895. an in commodum suum sibi obligare alterum. 896. num bona curatoris pro ipso oppignorata liberare teneatur. 920. num curatorem indemnem præstare. 919
Curator. Definitio. 842. quinam eo habeat opus. *ib.* num honorarium ei debeatur. 909. an salarium constitui possit. 910. & a quo. 911. num virgini nubenti bona restituere debeat. 923. num finita cura rationem administrationis reddere. 912. an sit indemnis præstandus. 919
Curator honorarius. Definitio. 899. quodnam sit ejus officium. *ib.* in quantum teneatur curando. 917
Curator suspectus quinam sit. 892
Custodiæ legum necessitas ad salutem societatis. 50

D

Damnum quando in societate detur. 177. quod a socio dari non debeat. 178 quando datum resarciendum. 179. quando a tutore & curatore resarciendum. 913. quomodo si administratio inter plures fuerit divisa. 915. si conjunctim facta. 916. si divisa inter tutores, vel curatores conjunctim constitutos. 918
Damnum culpa conjugis datum num sit resarciendum. 459
Damnum in rebus conjugis unius contingens cujusnam sit. 458
Damnum a famulo datum quando resarciendum. 1139
Damnum a servo datum num ex peculio ejus resarciendum. 1111
Debitum conjugale. Definitio. 309. num conjuges ad id præstandum sibi invicem obligentur. 310. an ejus denegatio dissolvat matrimonium. 515
Debitum conjugis unius num sit solvendum ab altero. 551. 552
Dei notitia liberis mature instillanda. 700
Deus obligat parentes ad sobolem suam educandum. 266
Desponsatio impuberum quomodo contrahi possit & contracta intelligatur. 392
Dilectio liberorum præcepta. 702. cum qua prærogativa. 713
Dilectio parentum præcepta. 743
Dilectio sociorum præcepta. 20
Dimissio uxoris num sit arbitrii mariti. 508
Discordia. Definitio. 133. quod sit vitanda. *ibid.*
Discordia conjugum prohibita. 496
Dissensus conjugum in rebus ad societatem conjugalem spectantibus quomodo dirimendus. 482. 483
Dissolutio matrimonii necessaria. 510
Divortium. Definitio. 509. ejus causæ. 511. 514. & seqq.
Divortii voluntarii tolerantia in statu naturali. 517
Domestici. Definitio. 1149
Dominatus socii num tolerandus. 193
Dominium an transferri possit ea lege, ut nonnisi post mortem suam acceptari possit. 992. quando tunc voluntas transferentis innotescere debeat. 993. an tum trans-

translatio revocari possit. 995
Dominium universale. Definitio. 960. quomodo acquiratur. 962
Dominium uxoris in bonis suis, duranre matrimonio. 435
Domus. Definitio. 1147. quinam sit ejus finis. 1152
Donatio facta conjugi sub hac conditione, ne ad secunda vota transeat. 554. 555
Donationes inter virum & uxorem num sint licitæ. 553
Donatio propter coitum an probet, fœminam esse meretricem. 338
Donatio propter nuptias. Definitio. 946. an minor esse possit dote. *ibid.* an sit juris naturalis. *ibid.*
Dos. Definitio. 924. quale jus marito in ea competat. 925. 926. quænam in eam dari possint. 939. 940. 943. quid de ea conveniri possit. 928. quomodo naturaliter constituatur a fœmina, vel ejus tutore, aut curatore. 937
Dotata per se quando sit fœmina. 936
Dotatio fœminæ ob causam turpem num sit invalida. 935
Ducere uxorem quid significet. 281

E

E*Ducatio prolis*. Definitio. 255. num primis naturæ conveniat. 261. num voluntati divinæ. 265. num legi naturæ. 263. quod natura eam cum generatione copulaverit. 262. cuinam competat, conjuge uno mortuo. 528. cujusnam sit, quando conjux superstes ad secunda vota transit. 530. 531. quando pertineat ad cognatos. 838. ad quos pertineat, cognatis deficientibus. *ibid.*
Educatio liberorum alienorum quale sit beneficium. 837
Educatio liberorum inferioris gradus cuinam competat. 831. 832
Educatio liberorum unitorum cujus sumtu fieri debeat. 816.
Educationis filii adoptati cura num penes patrem naturalem maneat. 806
Emancipatio. Definitio. 776. quomodo naturaliter fiat. *ibid.* quem habeat effectum proprium. 778. quænam sint causæ ejus naturales. 779. num filiæ per nuptias emancipentur. 780
Emancipatio filii adoptivi num licita. 809
Emancipatis liberis num bona sint restituenda. 777
Exempla a parentibus præbenda & non prodenda liberis. 690
Exempla mala parentum an sint ad injustitiam referenda. 692
Exemplum malum pueris & adolescentibus non prodendum. 693. num prodens iis faciat injuriam. 695
Exhæredatio liberorum. Definitio. 1000. an sit licita. *ibid.* num in testamento causa alleganda. 1018. quando ab hærede probanda. 1019
Exhæredatio parentum num licita. 1014
Extraneus. Definitio. 23. an patiendum, ut saluti societatis officiat. 24

F

F*Acta libidinosa* num naturaliter illicita. 250
Factum conjugis unius num imputari possit. 548
Factum unius socii num societati imputari possit. 228
Facultatis locomotivæ liberorum usus quod parentibus curæ esse debeat. 647
Falsiloquia pueris atque adolescentibus non permittenda. 701
Familia. Definitio. 585. diversitas. *ibid.* quousque extendatur. 588. gradus unde oriantur. 586. earum numerus. 487
Familiam conservandi medium. 793
Familiæ majores continent minores. 589
Familiæ propagatio & conservatio per filium adoptivum. 792
Famula. Definitio. 1131
Famulus. Definitio. *ibid.* unde ejus jus æstimandum. 1132. officium. 1137. an ante diem dimitti possit. 1142. an discedere. *ibid.* an intra tempus contractus hero alium loco sui obtrudere possit. 1145. num eidem ab hero suo alius obtrudi possit. *ibid.* num ab hero alteri commodari possit. 1146. quando propriis negotiis vacare possit. 1138. quod heri commoda promovere teneatur. 1141. quando damnum resarcire debeat. 1139
Felicitas liberorum felicitati aliorum præferenda. 714. omni modo promovenda. 710
Fideicommissum. Definitio. 1070. an natu-

BIU Cujas

turaliter valeat, 1069. quotuplex sit. 1070. num conjugi relinqui possit. 1077
Fideicommissum familiæ. Definitio. 1071
Fideicommissum particulare. Definitio. 1070
Fideicommissum universale. Definitio. *ib.*
Fides conjugalis. Definitio. 315. quando violetur. 316
Filia. Definitio. 578. num sit a parentibus dotanda. 931
Filia aliena num dotari possit. 933. 934
Filiæ amitæ & patrui uxoris meæ quo in gradu mihi affinis. 625
Filius. Definitio. 578. num uxorem ducenti parentes quid dare debeant ad onera matrimonii ferenda. 952
Filius adoptivus num sit pars familiæ patris adoptivi. 791. num invitus emancipari possit. 809. an jure filiationis privari. *ibid.*
Filius patrui & amitæ meæ quo in gradu uxori meæ affinis. 625
Filius & filia privigni mei, vel privignæ num sit mihi affinis. 620
Filius privigni & privignæ uxoris meæ num sit mihi affinis. *ibid.*
Fœminæ steriles. Definitio. 278
Fœmina stuprata quando concubitum probare teneatur. 543. quomodo probet. 544.
Fœmina una num pluribus simul nubere possit. 283
Fornicatio. Definitio. 241. an naturaliter licita. 241
Fornicatio mariti num sit adulterium. 324
Fornicator num prolem educare teneatur. 343.
Frater. Definitio. 595
Frater uxoris meæ quo gradu sit mihi affinis. 621
Fratres consanguinei. Definitio. 595
germani. Definitio. *ibid.*
uterini. Definitio. *ibid.*
Frigidus quinam dicatur. 277. an matrimonium contrahere possit. *ibid.*
Fugæ quorumnam liberi mature adsuefaciendi. 707. 708

G

Gener. Definitio 610. qualis ejus affinitas. 614
Genus humanum quomodo propagetur. 556. & seqq. quomodo propagari debeat. 269
Gestio pro hærede. Definitio. 961
Gradus cognationis in linea recta. Definitio. 568. quomodo computetur. 568
Gradus cognationis in linea obliqua æquali. 594
Gradus cognationis in linea inæquali. 599. illorum differentia. 600
Gradus familiæ unde oriantur. 586. quot sint. 587. quousque extendantur. 588
Gradus inferioris ordinis. Definitio. 574
Gradus superioris ordinis. Definitio. *ibid.*
Gratus animus liberorum erga parentes præceptus. 741

H

Hæres. Definitio. 958. in quid succedat. *ibid.* quatenus personam defuncti repræsentet. *ibid.* quotuplici modo institui possit. 1036. quando necessario instituendus. 1016. quando in vires hæreditatis inquirere teneatur. 969. si cum alio in eadem parte conjunctim instituatur. 1057. quando jus ejus transmittatur in hæredes ipsius. 1043
Hærede hæreditatem non adeunte num legata subsistant. 1055
Hærede uno hæreditatem repudiante cuinam ejus portio accrescat. *ibid.*
Hæredes conjugum quinam sint. 1074
Hæredes naturales. Definitio. 983. quinam sint. *ibid.*
Hæredes voluntarii. Definitio. *ibid.*
Hæredis in diem instituti jus. 1039
Hæredis pure instituti jus. 1027
Hæredis sub conditione instituti jus. 1038
Hæredis sub conditione negativa instituti jus. 1041
Hæredis substitutio num licita. 1058
Hæres suus. Definitio. 979. quinam sit. *ibid.*
Hæreditas. Definitio. 990. quomodo deferatur in linea recta. 984. quomodo acquiratur. 963. quænam ad eam referenda. 964. quænam non. 965. num suscepta abdicari possit. 974. quando cedat occupanti. 1035
Hæreditatis acceptatio quando præsumatur. 1044. quinam sit præsumtæ effectus. 1045.
Hæreditatis aditio. Definitio. 961
Hæreditatis divisio inter liberos. 990. inter parentes. 991. num a testatore fa-

BIU Cujas

cta consensu hæredum tolli possit. 1053.

Hæreditatis onus. Definitio. 967. num id in se suscipiat hæres. *ibid.* quatenus id ferre teneatur. 968

Hæreditatis repudiatio. Definitio. 972. an sit licita. 973

Hæreditatis susceptio. Definitio. 969

Hera. Definitio. 1131

Hermaphroditus. Definitio. 279. quatenus matrimonium contrahere possit. *ibid.*

Herus. Definitio. 1131. num famulo alium herum tempore contractus obtrudere possit. 1145. num eundem alteri commodare. 1146. quod famuli salutem promovere debeat. 1141

Homines quænam ab aliis fieri pati non teneantur. 149

Hominum omnium voluntas in quibusnam eadem esse debeat. 148

Honor parentibus debitus. 752. 706. officium eorum circa eundem. 753

Honorarium num debeatur tutori & curatori. 909

Hypotheca tacita pupilli in rebus præsertim immobilibus tutoris. 889

I

Ignorantia administrationis num sit causa inhabilitatis tutoris. 860

Imaginatio liberorum a parentibus perficienda. 643

Imbecillitas judicii num obstet acquisitioni dominii. 763

Imitationi quorumnam liberi mature assuefaciendi. 707. 708

Immobilia pupilli num alienari possint a tutore. 877. quando possint. 878. 879

Impensæ. Definitio. 442. an sint species sumtuum. 443

Imperari liberis quænam non possint. 672

Imperfectum judicium num in causa sit, ut quis dominii capax non sit. 762

Imperium. Definitio. 194. an cuidam naturaliter competat. 195. an quis sibi arrogare possit. 195. quodnam jus involvat. 197. 198. quale sit jus. 199. 200. quomodo in alium acquiratur. 196. unde nascatur. 213. quinam sint ejus limites. 214. unde statuendum de ejus exercitio. 215. quomodo de eo disponi possit in societate. 216. an possit transferri in societate in extraneum. 217. quot modis transferri possit. 221. qua lege sit transferendum. 220

Imperium conjugale. Definitio. 490. an sit mutuum. 488

Imperium domesticum cui competat. 1155. quinam id administrare debeat. 1156

Imperium in matrimonio quinam habere debeat. 488. num uxor omne, etiam in se, marito conferre possit. 489. num maritus in uxorem invitam id sibi arrogare possit. 497

Imperium maritale. Definitio. 490. quomodo acquiratur. *ibid.* quousque pateat. *ibid.* num moribus definiatur. 493.

Imperium parentum in liberos. 664. quando in casu collisionis imperium patris præferendum. 680. quid naturaliter hic valeat. 681. quomodo prævalentia a patre, vel matre acquiratur. 682

Improles. Definitio. 278. an matrimonium contrahere queat. *ibid.*

Improborum consortium num liberis permittendum. 697

Impuberes. Definitio. 274. num matrimonium contrahere possint. *ibid.*

Impuberum desponsatio quomodo contrahi possit & contracta intelligatur. 392

Impubertatis physicæ & moralis differentia. 767

Impudicitia. Definitio. 345. quod sit vitanda. 349

Infantes quod indigeant educatione. 256. num a mare lactandi. 480. num sint dominii capaces. 762. num id acquirere valeant. 763. eorum indigentia naturalis. 254

Infantia. Definitio. 644

Infirmitas corporis num sit causa inhabilitatis tutoris. 861

Ingenium liberorum a parentibus perficiendum. 654

Ingratitudo liberorum erga parentes prohibita. 742

Inhabiles ad tutelam quinam sint. 858. & seqq.

Inimicitia irreconciliabilis num dissolvat matrimonium. 516

Injuria conjugi a conjuge facta, concessione corporis sui usus. 307

Inobedientia. Definitio. 208

Inobedientia liberorum prohibita. 667

Instinctus naturalis hominum & animalium

BIU Cujas

lium ad procreandam ſobolem. 237
Integritas membrorum corporis liberorum num parentibus curæ eſſe debeat. 639
Inteſtatus decedere quinam dicatur. 906
Inteſtatus decedens quid voluiſſe præſumatur. 1030
Inventarium. Definitio. 864. an a tutoribus & curatoribus conficiendum. 865. an ad id tutoris honorarii præſentia requiratur. 866. quando & quomodo conficiendum ab hærede. 970
Invitus num quis in ſervitutem redigi poſſit. 1118
Juri naturæ quænam conveniant. 143. quænam diſconveniant. *ibid.*
Juris naturæ principium quoad ſocietatem. 163.
Jus adoptandi num patri & matri competat. 784
Jus alienandi ſervum domino competens. 1119.
Jus ceremoniarum nuptialium quale ſit in ſtatu naturali. 502. 503
Jus coercendi ſervum domino competens. 1098.
Jus collateralium ad officia humanitatis ex ſpeciali obligatione ſibi invicem debita. 1011.
Jus conjugum in deliberando. 481. quoad obſervantiam legum ſocietatis conjugalis. 487. in bonis ſibi invicem conſtituendum. 436. quando hoc moribus deficiendum. 437
Jus creditoris in debitorem, qui ſolvendo non eſt. 1095
Jus deducendi impenſas tutori & curatori competens. 921
Jus domini in ſervum quale ſit. 1096. quodnam ipſi competat in actiones ſervi. 1113. 1102. quænam ſit diverſitas in ſervitute perfecta & imperfecta. 1084
Jus ferendi leges ſocietati competens. 46
Jus hæreditarium. Definitio. 959. quomodo acquiratur. 962
Jus hæreditarium collateralium quale ſit. 1012.
Jus hæreditarium parentum & liberorum quale ſit. 975. 985. 886. quantum ſit. 989.
Jus infantes enecandi, aut exponendi num parentibus competat. 638
Jus in liberos quale naturaliter parentibus competat. 663. 664
Jus liberorum in exempla parentum. 691
Jus liberorum illegitimorum quale naturaliter ſit. 546
Jus mariti in dote. 925. 926. ſi res æſtimato in dotem dentur. 942
Jus obligandi alterum in imperio contentum. 197
Jus obligandi famulum hero competens. 1140.
Jus obligandi liberos parentibus competens. 669
Jus obligandi ſervum domino competens. 1097.
Jus deducendi impenſas & alia tutori & curatori competens. 921
Jus determinandi facienda in ſocietate cuinam competat. 44
Jus non patiendi, ut a conjuge uno fiant, quæ ſaluti ſocietatis adverſa. 486
Jus non patiendi, ut a parente uno liberis præcipiantur legi naturæ adverſa. 683
Jus in paritate votorum cur in ſocietate uni concedendum. 87
Jus parentum in liberos quatenus aſſimiletur dominio. 675
Jus parentum liberos in adoptionem dandi. 800. in liberos ab aliis adoptatos. 795. in bona. 757. actiones 757. contractus. 771. donationem. 772. operas obſequiales. 723. miniſteriales. 725. artificiales ſimplices liberorum. 728. quoad diviſionem tutelæ. 854
Jus perſonale num pertineat ad hæredem. 965.
Jus pœnarum in ſocietate. 52
Jus præmiandi liberos. 670. ſervos. 1104. ſocios. 52. uxorem. 494
Jus proponendi, vota colligendi & concludendi cur in unum conferendum. 129. quid ei convenienter fieri debeat ab eo, quicquid ad deliberandum proponi vult. 130. 131.
Jus ſingulorum in domo. 1150
Jus ſociorum ſingulorum in ſingulos. 25. univerſorum in ſingulos in ſocietate æquali. 31. in conſultando. 61. in extraneum. 24. quando æquale. 26. quando diverſum. 27
Jus ſocietatis ſe defendendi. 165
Jus a ſocietate extraneo conceſſum num ſocio uni turbare liceat. 233
Jus puerorum & adoleſcentium in exempla mala aliorum. 694
Jus puniendi & præmiandi in imperio contentum. 198

BIU Cujas

Jus puniendi adulterum. 364. consocium. 57. liberos. 684. 670. servos. 1104. stupratorem violentum. 359. uxorem. 494. 495.
Jus repræsentationis. Definitio. 981. an sit juris naturalis. *ibid.*
Jus retentionis tutori & curatori competens. 921
Jus tutoris obligandi pupillum ad obedientiam. 901. puniendi inobedientiam. 902
Jus tutorum quoad divisionem tutelæ. 854
Jus vendendi, donandi, legandi servum domino competens. 120
Jus vitæ ac necis an domino in servum competat. 1124
Jus universis in singulos competens in societate quale sit. 212
Juventus. Definitio. 644

L

Labori liberi assuefaciendi. 716. qua cautione hic sit opus. 717. 718
Legatarius. Definitio. 1003. num ei alius substitui possit. 1059. si ei cum alio eadem res conjunctim legetur. 1057. quando jus suum transmittat in hæredem. 1043. si legatum repudiet, cuinam id accrescat. 1055
Legatum. Definitio. 1003. quando legi naturæ conveniat. 1004. ab hæredibus legatario præstandum. 1054. quomodo acquiratur. 1042. quando iterum adimatur. 1068. num conjugi relinqui possit. 1077. num subsistat, hærede hæreditatem non adeunte. 1056. in genere relictum quomodo tradendum. 1067. quando relinqui possit a parentibus. 1005. quando a liberis. 1008. num in præjudicium liberorum vel parentum relictum sit validum. 1024. quando ejus acceptatio præsumatur. 1044. & quo effectu. 1045
Legatum pœnæ. Definitio. 1064. an juri naturæ conveniat. *ibid.*
Leges de exercitio imperii. 223
Leges domesticæ a quibus ferendæ. 1157
Leges fundamentales societatis. Definitio. 224.
Leges maternæ. Definitio. 678
Leges mutandi jus in societate. 48
Leges naturæ quænam ad societatem applicandæ. 162. num iis adversa parentes liberis imperare valeant. 672
Leges particulares unioni prolium adjiciendæ. 819
Leges paternæ. Definitio. 678. num matris consensu ferendæ. 679
Leges societatis quid proprie sint. 49
Legum necessitas in societate. 46
Legum societatis conjugalis materia. 485
Legum naturalium scientia quando liberis instillanda. 639
Legum trangressio in societate non ferenda. 51
Leno. Definitio. 365
Lenocinium. Definitio. 365. an naturaliter illicitum. 366
Liberi. Definitio. 575. quibusnam officiis mature adsuefaciendi. 705. quod officiis erga parentes a prima ætate adsuefieri debeant. 709. num sint parentibus subjecti. 665. quando parentibus obedire non debeant. 673. quænam officia parentibus debeant per omnem vitam. 804. 805. ad iram non provocandi. 749. num puniri possint propter factum parentum. 550. ut fiant fortunati a parentibus opera danda. 732. sunt hæredes parentum. 975. unde eorum obligatio oriatur. 636. qua prærogativa gaudeant quoad officia humanitatis a parentibus aliis præstanda. 733. quoad ea, quæ ad vitæ necessitatem, commoditatem ac jucunditatem faciunt. 737. num quibusdam præteritis rumpatur testamentum. 1022
Liberorum fratris & sororis nomina. 596
Liberorum studium placendi parentibus in omnibus actionibus suis. 745
Liberorum successio in bona parentum superiorum. 978
Liberorum uniendorum consensus num requiratur ad unionem. 820
Liberi adulterini. Definitio. 537
Liberi illegitimi. Definitio. 537. num macula quadam laborent. 547. num nativitas illegitima ipsis imputari possit. 545. eorum jus. 546
Liberi justi, vel *legitimi*. Definitio. 342. 836. quinam habendi. 541
Liberi spurii. Definitio. 342
Liberi supposititii. Definitio. 538
Liberi vulgo quæsiti. Definitio. 342
Libertas num per servitutem amittatur. 1117.
Libertas naturalis societatis cujuslibet. 166.

BIU Cujas

quid inde sequatur. 167
Libertas societatum simplicium in composita quomodo restringatur. 170
Libertas sociorum quomodo in societate restringatur. 169
Libertas votandi in societate. 115. num ejus violatio sit injuria. 116
Libido. Definitio. 248. an sit licita. 249
Linea cognationis. Definitio. 563
Linea ascendens. Definitio. 565
Linea descendens. Definitio. *ibid.* in qua persona terminetur. 571
Linea obliqua. Definitio. 584
Linea obliqua æqualis. Definitio. 593
Linea obliqua inæqualis. Definitio. *ibid.* unde oriatur. 597
Linea recta. Definitio. 563. ejus terminus. 570. quomodo in ascendentem & descendentem dividatur. 573
Lineæ rectæ plures communem stipitem habentes. 582. quod earum sint species. 583
Locus cognatorum quomodo in linea recta determinetur. 566
Lucrum. Definitio. 431
Luctus conjugum num licitus. 522
Lupanarium. Definitio. 242. an exercere licitum. 243

M

Majora vota quando concludant. 118
Majorennitas. Definitio. 768
Majores. Definitio. 576
Mala imprecari num liberis liceat. 750
Mali scientia quando liberis instillanda. 689.
Malitiosa desertio num dissolvat matrimonium. 514
Malorum verorum & apparentium discrimen quando liberis insinuandum. 689
Manumissio. Definitio. 1121. quomodo fiat. 1122. an naturaliter licita. *ibid.* quando illicita. 1123. si liberi a parentibus in servitutem venditi. 1127
Maritus. Definitio. 282. quodnam habeat jus in corpus uxoris. 306. quando habeat usum fructum in bonis uxoris. 438. quomodo jus in bonis suis uxori constituere possit. 434. num fiat particeps lucri ex operis artificialibus simplicibus uxoris quæsiti. 434. an in uxorem invitam imperium sibi arrogare possit. 497. an eam pro lubitu dimittere. 598. an ob æs alienum inservitutem vendere. 1093. quando debitum ab uxore contractum solvere teneatur. 552
Mariti fornicatio num sit adulterium. 324
Mariti jus defendendi jus suum in uxorem adversus adulterum. 362
Mastupratio. Definitio. 247. an naturaliter illicita. *ibid.*
Mater. Definitio. 576. an teneatur lactare infantem. 480
Materfamilias. Definitio. 1148. quod ejus autoritas conservanda. 1160. & quomodo. 1161
Matertera. 601
Matertera magna. *ibid.*
Matertera major. *ibid.*
Matertera maxima. *ibid.*
Matrimonium. Definitio. 270. a quibusnam contrahi possit. 271. & seqq. num a servis. 1130. an sit naturaliter indissolubile. 1078. quinam contrahere obligentur. 524. 525. num ad tempus contrahi possit. 478. inter quot personas contrahendum. 303. quomodo perficiatur. 367. quomodo consummetur. 367. quando consummandum. 368. quando necessario dissolvatur. 510. quando dissolvi nequeat. 506. an mutuo dissensu dissolvi possit. 507. num inter parentes & liberos. 826. ascendentes & descendentes quoscunque in linea recta. 828. fratrem & sororem. 829. inter collaterales gradus remotioris & affines sit licitum. 830
Matrimonii non contrahendi causæ physicæ. 273
Matrimonio dissoluto, quinam sumtus in educationem liberorum facere debeat. 535. quid tenendum de bonis conjugum. *ibid.* num matrimonium novum contrahi possit. 518
Matrimonium contrahentes ad quænam sese sibi invicem obligent. 468
Matrimonium personæ desponsatæ cum alia initum. 378
Matrimonium ad beneplacitum. Definitio. 479. num sit juris naturæ. *ibid.*
Matrimonium ad thalac. Definitio. *ibid.* num sit juris naturæ. *ibid.*
Matrimonium temporarium. Definitio. *ibid.* num sit juris naturæ. *ibid.*
Matrimonii imperfecti quædam species. 477.

BIU Cujas

Media quando ſocietatem in ſe licitam efficiant illicitam. 155
Mediis illicitis num uti liceat ad finem licitum conſequendum. 154
Memoria liberorum a parentibus perficienda. 643
Meretrix. Definitio. 241. quando fœmina præſumitur. 338
Meritum pœnæ in ſocietate. 56
Meritum præmii in ſocietate. *ib.*
Minor natu num natu majorem adoptare poſſit. 797
Minorennitas. Definitio. 768. num ſit cauſa inhabilitatis ad tutelam. 862
Minores num valide contrahere & donare poſſint. 769. 770
Molles quinam dicantur. 247. an ſint ſodomiæ rei. 447
Monogamia. Definitio. 280. num primis naturæ conveniat. 297. an juri naturæ. 298. an polygyniæ præferenda. 299. an per ſe repugnet. 100
Monogynia an propagando generi humano ſufficiat. 293
Morgengaba. Definitio. 947. an jure naturali debeatur. 948. 949. quale jus uxori in ea competat. 950. an in uſufructu conſiſtere poſſit. 951
Munera ſponſalitia. Definitio. 393. ſubqua conditione dentur. 403. num ſint licita. 395
Mulier nimis arcta. Definitio. 276. an matrimonium contrahere poſſit. *ibid.*
Multitudo negotiorum propriorum num excuſet a tutela. 861
Mutuum adjutorium in qualibet ſocietate præſtandum. 145
Mutuum adjutorium conjugum quale ſit. 474. quomodo præſtetur. 475. an ejus cauſa matrimonium contrahi poſſit. 476

N

Nativitas illegitima an proli imputari poſſit. 545
Negligentia ſociorum prohibita. 19
Negligentia in adminiſtrandis bonis num ſit cauſa inhabilitatis ad tutelam. 860
Negotium. Definitio. 68. in quo conſiſtat. *ib.*
Negotium exitum habere quando dicatur. 69. quod habere debeat. 70. quando habere poſſit ſtante paritate votorum. 86. quando non. *ibid.*
Nepos. 578
Neptis. *ibid.*
Notiones rerum quænam liberis a prima ætate inſinuandæ. 649. quænam hic vitanda. 650
Noverca. Definitio. 610. qualis ejus ſit affinitas. 612
Noverca avi & aviæ quo in gradu mihi ſit affinis. 619
Novercæ avus & avia num ſint affines privignis. 618
Novercæ parentes num ſint affines privignis. 615
Noverca uxoris meæ quomodo mihi affinis. 615
Nubere quid ſignificet. 281
Nummos in futuros uſus ſervandi ſtudium liberis mature conciliandum. 704
Numerus certus præſentium ſi ad concludendum requiratur. 109. 110
Numerus perſonarum ad ſocietatem requiſitarum. 174
Nuptiæ. Definitio. 498. quomodo a ſponſalibus differant. 499
Nurus. Definitio. 610. qualis ſit ejus affinitas. 614

O

Obedientia. Definitio. 205
Obedientia liberorum præcepta. 666. quod a parentibus promovenda. 668. quando iiſdem non debeatur. 673
Obedientia pupillorum debita tutoribus. 900
Obedientia Rectori ſocietatis debita. 225. quando recte detrectetur. 226
Obedientia ſervorum domino debita. 1116
Obedientia uxoris marito debita. 492
Obligandi liberos modus quinam optimus. 698.
Obligatio communis ſociorum. Definitio. 13. an per propriam penitus auferatur. 15
Obligatio conjugum ad concubitum. 308
Obligatio liberorum unde oriatur. 636
Obligatio parentum unde oriatur. *ibid.* ad promovendum bonum liberorum quo uſque extendatur. 735
Obligationes perſonales num tranſeant in hæredem. 966
Obligatio propria ſocii. Definitio. 13. an tollat communem. 15
Obligatio ſingulorum in domo quænam ſit. 1150.

BIU Cujas

Obligatio socii dum in societatem recipitur. 60
Obligatio sociorum erga se invicem in societate æquali. 31. quoad vota. 96. quoad pœnam subeundam. 55
Obligationes sociorum quando æquales. 26. quando diversæ. 27
Obligatio tacita eorum, qui in societatem simplicem, quæ compositæ membrum est, recipiuntur. 1154
Odium conjugum naturaliter prohibitum. 467.
Odium parentum prohibitum liberis. 740
Oeconomia. Definitio. 422
Oeconomia communis conjugum num sit juris naturæ. 423. in quo consistat. 424
Officia quænam sint, quibus liberi mature adsuefieri debent. 705
Officia eorum, qui sunt in domo. 1151
Officia erga parentes liberis a prima ætate inculcanda. 709
Officia liberorum per omnem vitam parentibus debita. 804. 805
Officia humanitatis quatenus ad liberos restringantur. 1001. 1002. quatenus ad parentes. 1006. 1007. debita a liberis parentibus. 744 a domino servis. 1099
Officia pupillorum erga tutores. 904
Onera matrimonii. Definitio. 448. num sumtus & impensæ in educationem ad ea pertineant. 448. quinam ea ferre debeat. 449. quomodo pro modo facultatum inter conjuges distribuenda. 450. quid circa ea maxime conveniat juri naturæ. 451. si conjuges tantundem acquirere nequeant, quantum ad ea sufficit. 452
Operæ quænam a servo exigi possint. 1106
Operarum uxoris divisio. 427
Operæ artificiales uxoris. Definitio. *ibid.*
Operæ artificiales ministeriales uxoris. Definitio. 429. quando ab uxore debeantur. *ibid.* quomodo inter conjuges de iis conveniri possit. 440
Operæ artificiales simplices liberorum. Definitio. 721. num ad eas liberi obligentur. 727
Operæ artificiales simplices uxoris. Definitio. 427. quando ab uxore debeantur. 430. quomodo de iis inter conjuges conveniri possit. 440
Operæ ministeriales liberorum. Definitio. 721. quando debeantur. 724. jus parentum in eas. 725
Operæ obsequiales liberorum. Definitio. 721. num ad eas liberi obligentur. 722. jus parentum in eas. 723
Operæ obsequiales, seu *officiales uxoris*. Definitio. 427. an debitæ. 428
Ordo in votando observandus. 117
Otium liberis non permittendum. 716

P

Pacta a Societate servanda. 232
Pacta dotalia. Definitio. 929. de quibusnam in iis conveniendum. 930
Pacta dotalia fœminæ locupletis. 938
Pacta hæreditaria num naturaliter valida. 1072.
Pacta successoria conjugum quando condi possint. 1073. an sint mutabilia. 1074
Pactum inter herum & famulos num sit societas. 1133
Pæderastia. Definitio. 245. an naturaliter illicita. *ibid.* an sit sodomiæ species. 447
Parentes. Definitio. 575. ad quænam obligentur liberis. 637. sobolem suam educare tenentur. 262. quod sint maximi benefactores liberorum. 738. a liberis magnificiendi. 757. num filiam dotare teneantur. 931. an ad dotandum cogi possint. 932. num teneantur rationem administrationis reddere liberis. 766. num liberos in adoptionem dare possint. 80. num iisdem hæredem substituere. 1061. num inservitutem vendere. 1092. 1093
Parentum cura circa liberos in genere. 641. circa vitam & conservationem liberorum. 639. 640. 641. quoad necessitatem, commoditatem ac jucunditatem vitæ eorundem. 736. in corpore, anima & statu liberorum perficiendo. 642. circa usum facultatum animæ a liberis acquirendum. 645. 646. circa bona fortunæ. 731. 732.
Parentum exhæredatio Definitio. 1013. quando licita. 1014
Parentum jus in actiones liberorum. 660
Parentum morientium providentia quoad educationem liberorum. 833
Parentum obligatio unde oriatur. 636. quænam sit ad reddendum liberos obedientes. 668. ad promovendum bonum liberorum. 735. ad depellendum omne periculum a liberis. 640

BIU Cujas

Parentum officium circa bona filiæ nubentis. 922
Parentum ſucceſſio in bona liberorum. 982
Parentum ſuperioris gradus officia erga liberos. 976. in ſpecie in promovenda felicitate ac fortuna eorum. 977
Partus ex ſtupro quando a ſtupratore agnoſcendus. 542
Pater. Definitio. 576. num eo mortuo liberi maneant in poteſtate matris. 781 an emancipentur. 782
Paterfamilias. Definitio. 1148. quod ejus autoritas conſervanda. 1160. quomodo conſervanda. 1161
Patrimonium liberorum quomodo a parentibus augendum. 761
Patris adoptivi conſilium & conſenſus num a patre naturali ad educationem filii adoptati requiri debeat. 807
Patrueles. Definitio. 596
Patruus. 601
Patruus magnus. *ibid.*
major. *ibid.*
maximus. *ibid.*
Peculium. Definitio. 764
Peculium ſervi. Definitio. 1108. an juri naturæ conveniat. *ibid.* quale in eo jus ſervus habeat. *ibid.* quænam ad id referenda. *ibid.* an id dominus in rem ſuam vertere poſſit. 1110
Pecuniæ rectus uſus liberis mature inculcandus. 703
Pecunia in dotem data quale jus conſequatur maritus. 944
Pecunia pupilli in lucrum collocanda a tutore. 872. ſi in rem ſuam a tutore verſa. 875
Pellicatus. Definitio. 331. an ſit licitus. 332
Pellex. Definitio. 331
Perfectio ſocietatis in quo conſiſtat. 171. unde æſtimanda. 172, quomodo promovenda. 173
Perſona conjugata. Definitio. 317
Perſonæ deſponſatæ matrimonium cum alia initum. 378
Perſona ſoluta. Definitio. 317
Perſonarum ad ſocietatem requiſitarum numerus & qualitas. 174
Pietas matura liberis inſinuanda. 699
Pluralitatis votorum effectus. 79
Pœna quando a parentibus remittenda. 687. quando mitiganda. 688
Pœnæ in ſocietate a quonam determinandæ. 53. eorum qualitas & quantitas. 54. jus. 52
Pœnæ meritum in quo conſiſtat. 56
Pœnarum metus effectus in liberis. 671
Pœnæ capitales. Definitio. 685. an parentibus permiſſæ. 686
Pœnæ crudeles. Definitio. 685. an parentibus permiſſæ. 686
Polyandria. Definitio. 280. num licita. 283. 284.
Polygamia. Definitio. 280. an licita. 300. 302
Polygamia ſucceſſiva. Definitio. 519. num licita. 520
Polygynia. Definitio. 280. an ſit juris naturæ. 303. an generis humani propagandi cauſa permiſſa. 294. 295. quando naturaliter prohibita. 296
Poſteriores. Definitio. 578
pro *Poſſeſſore* quando pronunciandum. 83
Poſthumus. Definitio. 1017. an ſit hæres patris. *ibid.* an præteritus teſtamentum rumpat. 1022
Potentia generandi deſtitutus num matrimonium contrahere poſſit. 272
Poteſtas dominica. Definitio. 1081. quomodo exercenda. 1100. quale ſit jus. 1114
Poteſtas legislatoria parentum. 677
Poteſtas patria. Definitio. 661. an etiam matri competat. *ib.* quale ſit jus. 662. quando finiatur. 775
Præcedentia num locum habeat in ſocietate æquali. 33. num in inæquali. 36. cur in æquali introducenda. 38. cui naturaliter in inæquali competat. 40. quomodo de ea conveniri poſſit. 41. quænam hic non attendenda. 42. quando ſucceſſori competat. 43
Præcedentia extraordinaria in ſocietate inæquali. 39
Prædium pupilli abſque neceſſitate alienatum num in ætate adulta vindicari poſſit. 884. an pretium emtori ſit reſtituendum. 885
Præjudicium autoritatis in liberis præcavendum. 653
Prælegatum. Definitio. 1049. an liberis & parentibus relinqui poſſit. 1050. an hæredibus inſtitutis. 1051
Præmia in ſocietate a quonam determinanda. 53. eorum qualitas & quantitas. 54
Præmiandi jus in ſocietate. 52

BIU Cujas

Præmii meritum in quo consistat. 56
Præmiorum spes quid valeat in liberis. 671
Prærogativa quando socio nulli competat. 30. num locum habeat in societate inæquali. 35
Prærogativa liberorum quoad officia humanitatis parentum an per adoptionem tollatur. 799
Principium juris naturæ quoad societatem. 163
Principium rationis sufficientis liberis tempestive inculcandum. 652
Privigna. Definitio. 610. qualis sit ejus affinitas. 612
Privignus. Definitio. 610. qualis sit ejus affinitas. 612. num adoptari possit. 788
Proavia. 576
Proavus. *ibid.*
Pronurus. Definitio. 610. qualis sit ejus affinitas. 617
Prodigalitas num faciat tutorem inhabilem. 859
Progener. Definitio. 610. qualis sit ejus affinitas. 617
Proles adulterina num a marito educanda, si uxorem adulteram non repudiat. 529
Prolis certitudo undenam sit. 539
Pronepos. 578
Proneptis. *ibid.*
Propagatio generis humani voluntati divinæ convenit. 264
Promissio ejus, qui in societatem recipitur. 58. qui ex quasi pacto recipitur. 59
Promissio mutua conjugum quænam sit. 305
Promissio viduitatis perpetuæ num sit valida. 526
Providentia parentum circa educationem liberorum in casum mortis immaturæ. 734
Puberes. Definitio. 274
Pubertatis moralis & physicæ differentia. 767
Pudicitia. Definitio. 345. quid eidem adversetur. 344. quomodo violetur. *ibid.* quando violetur. 350. eam conservandi obligatio. 348
Pudicitiæ defendendæ jus. 354. quantum sit. 355. an æquiparetur juri defendendi vitam. 356
Pudicitiam alienam defendendi jus & obligatio. 357
Pudicitiam uxoris, filiæ, sororis defendendi jus. 358
Pudicitiæ uxoris alienæ violatio. 353
Pudicus. Definitio. 344
Puellæ num matrimonium contrahere possint. 273
Puerinum matrimonium contrahere possint. *ibid.*
Pueritia. Definitio. 644
Pupillus. Definitio. 840. num sine tutoris consensu se alteri obligare possit. 895. num alterum sibi in commodum suum obligare possit. 896. an bona tutoris pro se oppignorata liberare teneatur. 920. num obedire tutoribus. 900. num ab iis obligari possit ad obedientiam. 901. num puniri. 902
Pupillorum obligatio. 851. officia erga tutores. 904

Q

Qualitas personarum ad societatem requisitarum. 174
Quasi affinitas unde oriatur. 631. 632

R

Rationis usus quod liberis tempestive conciliandus. 651
Ratio voti num sit reddenda. 112
Rector Societatis. Definitio. 218. unde ejus jus metiendum. 222. quod sit ei parendum. 225. quando ei non parendum. 226. quando obedire liceat sociis, etiamsi non teneamur. 227
Regimen. Definitio. 218
Regimen parentum. Definitio. 661
Repudium. Definitio. 509
Reverentia parentibus superioris gradus debita. 827
Ritus nuptiales. Definitio. 504. quales esse debeant. 505
Res quænam in dotem dari possint, 939 num æstimato in dotem dari. 941. quale sit in iis jus mariti. 94. quænam legari possint. 1040
Res consumtibiles num in dotem dari possint. 943
Res conjugum quomodo alienari possint, si sit bonorum communio. 454. num iis servitus imponi possit. 456
Res domesticæ. Definitio. 422. cujus sumtu in matrimonio comparandæ. 447
Res hæredis num legari possit. 1065

BIU Cujas

Res immobiles pecunia a conjugibus acquisita comparatæ cujusnam sint. 457
Res legatarii num legari possit. 1066
Res liberorum num a parentibus oppignorari possint. 759. num iis servitus imponi possit. 760. num eæ quas utendas accipiunt a parentibus, sint ipsorum propriæ. 773. ut ab iis alienari possint. 774
Res mariti num uxor alienare & oppignorare possit. 453
Res mobiles pupilli num a tutore alienari possint. 871
Res pupillares quomodo distrahendæ. *ibid.*
Res sua num a conjuge alienari possit in præjudicium alterius. 455
Res uxoris num maritus alienare & oppignorare possit. 453

S

Sævitia in servum. Definitio. 1125. quale jus det servo. 1126
Salarium num tutori & curatori constitui possit. 910. a quonam possit. 911
Salus societatis. Definitio. 11. unde æstimanda. *ibid.* a sociis promovenda. 16. eidem adversa non facienda. 22
Sanitas liberorum parentibus curæ esse debet. 639
Satisdatione tutoris quando non sit opus. 890. quando sit opus. *ibid.*
Scortatio. Definitio. 241. an naturaliter licita. *ibid.*
Secundæ nuptiæ. Definitio. 519. an sint licitæ. 520. quando celebrari possint. 523
Seductio liberorum a parentibus præcavenda. 696
Senes num matrimonium contrahere possint. 273
Sensuum vitia in liberis præcavenda. 643
Sententia tutior quando præferenda. 100
Servus. Definitio. 1081. ad quænam a domino obligari possit. 1103. cui acquirat. 1107. an peculium habere possit. 1108. an eo abuti possit. 1109. num aufugere ei liceat. 1126. quænam ægroto debeantur a domino. 1112. num matrimonium contrahere possit. 1129. an hæres institutus fiat liber. 1130. num deficiente hærede. *ibid.* an sit amandus & diligendus. 1107. an ex ancilla nati sint servilis conditionis. 1128
Servitus num imponi possit rebus liberorum a parentibus. 760. num prædio pupilli a tutore. 886. num rebus conjugis a conjuge. 456
Servitus. Definitio. 1080. num locum habeat in communione primæva. 1085. quando habere cœperit. 1086. an in eam invitus redigi possit. 1118. qualis sit eorum, qui in conditione servili nascuntur. 1128
Servitus famulorum & famularum qualis sit. 1136
Servitus imperfecta. Definitio. 1082. quale sit domini in ea jus. 1083
Servitus invita num & quando licita. 1092. 1093. 1094.
Servitus perfecta. Definitio. 1082. quale in ea sit domini jus. 1083. num sit naturaliter licita. 1087
Servitus voluntaria. Definitio. 1089. an juri naturæ conveniat. *ibid.* an permittenda. 1090. unde oriatur & vim suam accipiat. 1088
Sobolis procreatio num conveniat primis naturæ. 238. an sit juris naturæ. 239
Sobrini & Sobrinæ. Definitio. 596
Socer. Definitio. 610. quo in gradu affinis sit genero & nuru. 614
Socer magnus. Definitio. 610. qualis sit ejus affinitas. 617
Societas. Definitio. 1. homonymia. 47. quænam licita. 153. quænam illicita. *ibid.* quænam injusta. 159. quænam a natura instituta. 138. quando quis in eam recipi possit. 180. num unam personam repræsentet. 161. num integra sese aliis obligare & ab aliis jus acquirere possit. 230. an pacisci cum aliis. 231. an ad pacta servanda obligetur. 232. an culpam in expediendo negotio committere possit. 235. quinam eam regat. 219. quando quis ex ea excludi possit. 192. 193. quando intereat. 185. quomodo dissolvi possit. *ibid.* quando ab ea recedere non liceat. 186. quando liceat. 187. 188. 191. quando non liceat sine sociorum consensu. 189. quando eidem renunciare liceat. 190. quid in eam recipiendus promittere debeat. 58. quod receptus ad legum observantiam obligetur. 60
Societatis commune bonum, sive *salus*. Definitio. 11. unde æstimandum. *ibid.* quod promovendum. 12. 14

BIU Cujas

Societatis conservatio quod sociis curæ esse debeat. 164
Societas jus defensionis adversus lædentes. 165.
Societatis obligatio ad diligentiam in negotio suscepto adhibendam. 234
Societatis perfectio in quo consistat. 171. unde æstimanda. 172. quomodo promovenda. 173
Societates quando contrahendæ. 137. quomodo differant. 3. quot dentur. *ibid.* quando diversæ simul contrahi ab uno possint. 175. quando non. 176. quomodo plures diversæ inter se spectandæ. 168
Societas æqualis. Definitio. 28. quænam in ea dentur obligationes & jura. 26. quid singulis licitum & illicitum. 32
Societas adjutorii mutui causa contracta inter marem & fœminam num sit matrimonium. 476
Societas bonorum & omnium fortunarum num a conjugibus contrahi possit. 440
Societas composita. Definitio. 5. quotuplex. *ibid.* ejus finis. 6. 1152. quomodo contrahatur. 1153
Societas composita major. Definitio. 5
minor. Definitio. *ibid.*
Societas conjugalis. Definitio. 270. num habere debeat leges. 484. Vide matrimonium.
Societas herilis. Definitio. 1134. an sit juris naturalis. 1135. quomodo finiatur. 1143. quid inde sequatur. 1144
Societas illicita an differat ab injusta. 160. num producat obligationem & jura. 156. num sit valida, si juramento confirmetur. 156
Societas inæqualis. Definitio. 28. quales in ea dentur obligationes & jura. 26
Societas licita quando illicita evadat. 155
Societas naturalis. Definitio. 142
Societas naturalis magna. Definitio. *ibid.* finis. 145. qualis sit. 150. an tollat naturalia jura. 151. quænam sint ejus leges. 152
Societas negotiatoria num sit species societatis. 2
Societas paterna. Definitio. 633. an sit quasi pactum. 634. an naturaliter valeat tanquam quasi pactum. 635
Societas perpetua. Definitio. 181. quando intereat. 183
Societas simplex. Definitio. *ibid.*
Societas temporaria. Definitio. 181. quando finiatur. 182
Socii quinam sint. 4. quando æquales. 29. quinam intrinsece æquales. 37. quando sint concordes. 134. quando discordes. *ibid.*
Sociorum actiones certo modo determinandæ. 45
Sociorum consensus tacitus de votis, quando societatem ineunt. 80
Sociorum diligentia præcepta. 20
Sociorum inæqualitas in societate inæquali. 34
Sociorum jura quando æqualia. 26. quando diversa. 27
Sociorum jus quale sit. 9. unde metiendum. 10. universorum in singulos in societate æquali. 31. in extraneum. 24. in consultando. 61. in societate illicita. 157
Sociorum negligentia prohibita. 19
Sociorum obligatio qualis sit. 7. unde metienda. 10. qualis erga se invicem in societate æquali. 31. quoad vota. 96. ad pœnam subeundam. 55. ad præmia præstanda. *ibid.*
Sociorum obligationes quando æquales. 26. quando diversæ. 27
Sociorum obligatio communis. Definitio. 13
propria. Definitio. *ibid.*
Sociorum officium. 12. 16
Socius. Definitio. 4. quænam non facere debeat. 18. 21. 22. an ultra conventa teneatur. 14. jus ejus in consocium. 25. an pati debeat, ut consocius faciat saluti societatis adversa. 25. quando e societate excludi possit. 192. an unius factum societati imputari possit. 228
Socrus. Definitio. 610. qualis ejus affinitas. 614
Socrus magna. Definitio. 610. qualis sit ejus affinitas. 617
Sodomia. Definitio. 244. an naturaliter illicita. *ibid.*
Soror. Definitio. 595
Soror uxoris meæ quo gradu sit mihi affinis. 621
Soror uxoris fratris mei num sit mihi affinis. 623
Sortitio in valore votorum determinando repetenda. 99. ejus usus in eo determinando. 98
Spadones. Definitio. 275
Specificatio jurata bonorum quando ab hærede edenda. 971

Spon-

Sponſa. Definitio. 369
Sponſa ſtuprata. 381. 382
Sponſalia. Definitio. 369. quomodo celebrentur. *ibid.* quibus verbis contrahantur. 387. num contrahi poſſint inter abſentes. 390. quinam contrahere nequeant. 391. num contrahi poſſint ſub conditione certi quid dandi & quo effectu. 418. 419. num ſub pœna. 404. num coram teſtibus. 409. num nuptias præcedere debeant. 388. 500. quem producant effectum. 370. quomodo diſſolvantur. 383. an ob impotentiam. 384. an ab furorem ſupervenientem & morbum contagioſum. 385. ob caſum alium ſupervenientem. 386. qua lege diſſolvi poſſint. 408. quid reſtituendum, ſi mutuo diſſenſu diſſolvantur. 407. num contracta in arbitrium alterius conferri poſſint. 420
Sponſalia bina ſi celebrentur. 373. 374. quando a prioribus recedere liceat. 375 an ad priora conſummanda cogi poſſit pars læſa. 376. ſub qua conditione celebrari poſſint. 413
Sponſalia clandeſtina. Definitio. 410. num valida. 410
Sponſalia conditionata num ante conditionem exiſtentem conſummari poſſint. 414. num pendente conditione contrahi poſſint alia ſub eadem conditione. 411. ſub qua conditione alia contrahi poſſint. 413. num pura iis præferenda. 412. an per copulam carnalem in matrimonium abeant. 415
Sponſalia contracta ſub conditione, ducam te, niſi meliorem reperero, qualia ſint. 421
Sponſalia contracta ſub conditione impoſſibili qualia ſint. 417
Sponſalia facta ſub conditione turpi num ſint invalida. 416
Sponſalia de præſenti & de futuro. Definitio. 389. an ea de præſenti ſint naturaliter matrimonium. 389
Sponſalia errantis num ſint valida. 380
Sponſalia pura num conditionalibus præferenda. 412
Sponſaliorum pœnalium effectus naturalis. 406
Sponſalia publica. Definitio. 410
Sponſus. Definitio. 369
Sponſus ſtuprator. 381. 382
Stipes cognationum. Definitio. 559. in linea deſcendente. 581
Stipes maſculinus. Definitio. 561
Stipes fœmineus. Definitio. *ibid.*
Στοργὴ quid ſit. 259. quid per eam intendat natura. 260
Studium placendi parentibus per omnem vitam debitum. 805
Stuprator. Definitio. 334. virginitatis ereptor. 346. 350. num prolem educare teneatur. 339. quando ſtupratam ducere. 340. quando non. 341
Stuprator violentus num occidi poſſit. 355 quando puniri ab alio. 360. num a ſtuprata. 359. quando a marito, patre & fratre. 361
Stuprum. Definitio. 334. an ſit licitum. 335
Stuprum violentum. Definitio. 334. num in meretricem committatur. 336
Stuprum voluntarium. Definitio. 334
Subitio in locum parentum an ſit juris naturalis. 980
Subjecti actiones a quonam dependeant. 209. quatenus is liber eſt. 210
Subjecti obligatio. 204. 206. 208
Subjectio. Definitio. 20. an ſit naturalis. 202. an invita eſſe poſſit. 206. an in ea renuncietur libertati. 211
Subjectio liberorum. 665
ſervorum. 1115
uxoris. 491
Succedens in locum an in jus & obligationem ſuccedat. 122. 123
Succeſſio ab inteſtato. Definitio. 1021. in linea recta. 1033. in obliqua. 1034. quid proprie ſit. 1032. quo fundamento nitatur. 1031
Succeſſio in bona defuncti. Definitio. 957
Succeſſio liberorum ex illicito concubitu natorum. 1079
Succeſſio moribus, vel lege poſitiva introducta, quando eam voluiſſe præſumatur defunctus. 1048
Succeſſio naturalis conjugum. 1075
Succeſſori in ſocietate quando competat præcedentia. 43
Suffragium. Definitio. 62
Subſtitutiones hæredum quando expirent. 1063
Subſtitutio exemplaris, ſive *quaſi pupillaris*. Definitio. 1062
Subſtitutio pupillaris. Definitio. *ibid.*
Subſtitutio vulgaris. Definitio. *ibid.*
Sumtus. Definitio. 443
Sumtus educationis quinam ſint. 445. quinam

BIU Cujas

nam eos facere teneatur. 445. 446. quarto a parentibus non debeantur. 527
Sumtus in res domesticas quinam in matrimonio facere teneatur. 447

T

Taciturnitas pueris & adolescentibus insinuanda. 702
Testamentum. Definitio. 994. quamdiu mutari possit. 997. quando fiat validum. 998. an sit juris naturalis. 999. quando naturaliter validum. 1026. num condito quædam posthac adjici possint. 1047. an sine hæredis institutione fieri possit. 1046. an tenor ejus subscribentibus notus esse debeat. 1029. in quantum subsistat, liberis, vel parentibus præteritis. 1023. aut exhæredato ad hæreditatem admisso. 1020
Testamentum nuncupativum. Definitio, 1028
Testamentum parentum & liberorum quando *invalidum*. 1015
Testamentum scriptum. Definitio. 1028
Testandi libertas, si desint cognati in linea recta. 1025
Testandi modus naturalis quotuplex. 1027
Testari quinam possint. 1060
Testator. Definitio. 966. num hæreditatem dividere possit inter hæredes. 1052
Testatus decedere quinam dicatur. 996
Timor filialis parentum num præceptus. 746. quodnam parentum circa eundem officium. 747
Timor servili parentum num præceptus. 746. quodnam parentum circa eandem officium. *ibid.*
Tractatus sponsalitii. Definitio. 371. an sint obligatorii. 372
Transgressio legum in societate non ferenda. 51
Tribades. 247
Trinepos. 578
Trineptis. *ibid.*
Tritavia. 576
Tritavus. *ibid.*
Tutor. Definitio. 841. num sit parentum vicarius. 848. in quo officium ejus consistat. 849. qualis sit ejus obligatio. 851. qualis potestas ei competat. 846. num pupillum suo sumtu educare teneatur. 845. si suo sumtu educet. 856. 857. quos sumtus in educationem facere debeat. 872. quomodo bona pupilli administrare debeat. 869. num in administratione personam pupilli repræsentet. 868. num finita tutela administrationis rationem reddere teneatur pupillo. 912. an ejus bona pupillo sint obligata pro bonis suis. 888. num satis dare teneatur. 890. 891. quod res mobiles pupilli superfluas alienare debeat. 871. num immobilia alienare possit. 877. & seqq. num prædio pupilli servitutem imponere. 886. num æs alienum prædii causa contrahere. 880. an prædium oppignorare. 887. quod pecuniam pupilli in lucrum collocare debeat. 872. usuras, debita & pensiones exigere. 873 debita pupilli solvere. 874. num filiæ nubenti bona restituere. 923. num honorarium ipsi debeatur. 909. an salarium constitui possit. 910. a quonam possit. 911. num sit benefactor pupilli. 903
Tutoris indemnitas. 919
Tutoris obligatio quoad patrimonium pupilli. 870
Tutor administrator. Definitio. 853. quinam eligi debeat. 891. quando rationem administrationis reddere. 867
Tutores dativi. Definitio. 841
Tutor educator. Definitio. 853. num ad damnum resarciendum teneatur. 914
Tutor honorarius, sive *inspector*. Definitio. 853. num ejus præsentia ad inventarium conficiendum requiratur. 866. ejus officium quoad administrationem bonorum. 863. in quantum teneatur pupillo. 917
Tutor suspectus. Definitio. 892. a quonam suspectus reddi possit. 893. a quonam removeri. 894
Tutores testamentarii. Definitio. 841
Tutela. Definitio. *ibid.* quando ea non sit opus. 843. num dividi possit. 852. quando finiatur. 905. 906. 908. quinam ad eam sint inhabiles. 858. & seqq.
Tutelæ administratio quando finiatur. 907
Tutelæ divisio voluntaria quem habeat effectum juris. *ibid.*

BIU Cujas

V

Valor votorum quando per rationes extrinsecas determinandus. 100
Vendere se in servitutem an naturaliter sit licitum. 1091
Venus præpostera. Definitio. 312. an diversa a copula carnali. *ibid.* an sit naturaliter licita. 313. quando meretrici non imputanda. 337
Vestes liberis num debeantur a parentibus. 640. quales servo debeantur. 1105
Vicarius. Definitio. 847. ad quid obligetur. *ibid.*
Vidua. Definitio. 521
Vidua stuprata num sit meretrix. 334
Viduitatis perpetuæ promissio num sit valida. 526
Viduus vir. Definitio. 521
Vigilantia. Definitio. 1158. patrisfamilias & matrisfamilias in domo. 1159
Virginitas. Definitio. 346. quamdiu retineatur. *ibid.*
Virgo. Definitio. *ibid.* quomodo virginitate orbetur. 347. num stuprata sit meretrix. 334
Virgo defiorata quænam dicatur. *ibid.*
Virtutes intellectuales & morales liberis implantandæ. 655. 656. 658
Virtutum moralium conjunctio. 657
Vita liberorum parentibus curæ esse debet. 639
ad *Vitæ commoditatem & jucunditatem facientia* quando parentibus debeantur. 756
Vitæ generi cuinam liberi a parentibus destinandi. 719. quod ad istud præparandi. 720. quid hic vitandum. 726
Vitam solitariam agere num liceat. 139
Vitia num reddant ad tutelam inhabilem. 858
Vitia sensuum in liberis præcavenda. 643
Vitricus. Definitio. 610. qualis ejus affinitas. 612
Vitricus avi & aviæ quo in gradu mihi affinis. 619
Vitrici avus & avia num sint affines privignis. 618
Vitrici paterentes num sint affines privignis. 613
Vitricus mariti quomodo affinis uxori. 616
Unio conjugum qualis sit. 469. quinam sit ejus effectus. 470
Unio prolium. Definitio. 810. quem habeat effectum. 811. qua lege naturaliter fieri debeat. 817. quot modis fieri possit. 818. quando fieri possit. 824. quænam leges eidem adjici possint. 819. num fiat per educationem. 813. num fieri possit absque consensu uniendorum liberorum. 820. quid in ea præcavendum. 813. an valeat, si ex posteriori matrimonio non nascantur liberi. 821. si liberi posterioris matrimonii prædefuncti. 822. si liberi prioris matrimonii ante unientes moriantur. 823. an possit revocari. 825. num afficiat bona propria liberorum ex priori matrimonio. 814. an bona, quæ ipsis aliunde obveniunt. 815
Verba libidinosa num naturaliter illicita. 250
Voluntas ultima. Definitio. 996
Voluptas venerea. Definitio. 248
Votandi libertas asserta. 115
Votandi jus in societate. 63
Votum. Definitio. 92. num ab eo discedere liceat. 111. num ejus ratio reddenda. 112
Vota quænam prævaleant, si majora haberi nequeant. 95. quænam conjungenda. 88. quænam conjungi nequeant. 89.
Votorum valor in societate. 78. quando forte determinandus. 98
Votorum conjunctione num majora, vel paria effici possint. 93. quando negotium decidi nequeat. 94
Votum absentis, vel *votare impediti*. 108
Votum affirmativum. Definitio. 64
Vota certa parte majora si ad concludendum requirantur. 107
Vota consentientia. Definitio. 64
Votum decisivum. Definitio. 102. quem habeat effectum. 103. quando competat forti. *ibid.* cuinam competat in matrimonio. 483. cuinam in societate conferendum. 105. num in consultatione alicui conferendum. 104. num contra id exceptio valeat. 106
Vota dissentientia. Definitio. 65
Vota majora. Definitio. 66
Vota meliora. Definitio. 71. num concludere possint. 76
Vota minora. Definitio. 66

BIU Cujas

Votum negativum. Definitio. 64
Vota paria. Definitio. 67. num concludant. 81. quid ex paritate sequatur. 82. quando non obstent, ut negotium habeat exitum. 86. quando obstent. *ibid.* quando sunt pro rebus specie, vel quantitate diversis. 90. pro diversis pœnis, vel onere diverso. 91. quando occurrunt in divisione rerum. 92
Votorum pluralitas. Definitio. 66. num concludat. 79. quando plura eidem socio competant. 120. 121
Votorum ponderatio. Definitio. 72. ejus difficultas. *ib.* quod sit dissensui obnoxia. 63. num in concludendo locum habere possit. 77
Vota secunda. Definitio. 519.
Vota unanimia. Definitio. 66. si ad concludendum requirantur. 107. eorum effectus. 75
Ususfructus in bonis uxoris quomodo a marito acquiratur. 438
Uxor. Definitio. 282. num obedire teneatur marito. 292. num marito subjecta. 491. num obligetur ad operas obsequiales. 428. an habeat dominium in bonis suis. 435. quomodo marito jus in bonis suis constituere possit. 436. 437. per quasnam operas sibi acquirat. 433. num lucri particeps fiat maritus per operas artificiales simplices acquisiti. 434. num ipsa particeps fiat lucri per operas ministeriales acquisiti. 432. an habere possit connubii adjutores, marito permittente. 292. num alteri a marito commodari possit. 291. si vi comprimatur, an adulterium committat. 351. & concubitus ipsi imputari possit. 352. num pro lubitu a marito dimitti possit. 508. an pro lubitu ab eo discedere. *ibid.*
Uxoris jus in corpus mariti. 306
Uxoris jus defendendi jus in corpus mariti adversus adulterum. 363
Uxor filii fratris mei, vel sororis meæ quo gradu mihi affinis. 622
Uxor pudica. Definitio. 344
Impudica. Definitio. *ibid.*

Z

Zelotypia. Definitio. 328. an ad prima naturæ referenda. 330
Zelotypia conjugalis. Definitio. 328. an locum habeat in communione uxorum. 329

FINIS INDICIS.

BIU Cujas

BIU Cujas


BIU Cujas

BIU Cujas

BIU Cujas

10.907
7